

BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
L
D
20
NAPOLI

Digitized by Google

L
8
20

L.
5.
20.

Digitized by Google

KALENDARIA
ECCLESIÆ UNIVERSÆ
TOMUS SECUNDUS.

Digitized by Google

KALENDARIA
ECCLESIÆ UNIVERSÆ
IN QUIBUS

TUM EX VETUSTIS MARMORIBUS, TUM EX CODICIBUS, TABULIS, PARIETINIS, PICTIS, SCRIPTIS, SCALPTISVE, SANCTORUM NOMINA, IMAGINES, ET FESTI PER ANNUM DIES

ECCLESIARUM ORIENTIS, ET OCCIDENTIS,

PRÆMISSIS UNIUSCUJUSQUE ECCLESIÆ ORIGINIBUS

Recenſentur, deſcribuntnr, Notiſque illuſtrantur

STUDIO, ET OPERA

JOSEPHI SIMONII ASSEMANI

BIBLIOTHECÆ VATICANÆ PRÆFECTI, ET SACROSANCTÆ BASILICÆ PRINCIPIS APOSTOLORUM DE URBE CANONICI.

TOMUS SECUNDUS.

KALENDARIA ECCLESIÆ SLAVICÆ, SIVE GRÆCO-MOSCHÆ.

ROMÆ, MDCCLV.

SUMPTIBUS FAUSTI AMIDEI BIBLIOPOLÆ IN VIA CURSUS.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

SERENISSIMO . ATQUE . EMINENTISSIMO . PRINCIPI,

H E N R I C O

BASILICÆ SS. XII. APOSTOLORUM

S. R. E. PRESBYTERO . CARDINALI.

J A C O B I III.

MAGNÆ . BRITANNIÆ . REGIS . FILIO.

DUCI . EBORACENSI.

SACROSANCTÆ . VATICANÆ . BASILICÆ . ARCHIPRESBYTERO.
CHRISTIANAM . PIETATEM . ATQUE . MODESTIAM.
REGALIBUS . POMPIS . ANTEFERENTI.

RERUM . ECCLESIASTICARUM . STUDIOSISSIMO.

JOSEPH . SIMONIUS . ASSEMANUS.

TOMUM . HUNC.

ECCLESIASTICAS . ORIGINES . SLAVORUM:
HUNNORUM . NORTMANNORUM . COMPLECTENTEM.

OB . INSIGNEM . EJUS . ERGA . SE . BENEVOLENTIAM.
ET. SINGULARIA . IN . BONAS . LITERAS . MERITA.
HONORIS . GRATIQUE . ANIMI . CAUSSA.

D. D. D.

Digitized by Google

SERENISSIMO, ATQUE EMINENTISSIMO PRINCIPI

H E N R I C O

S. R. E. CARDINALI

DUCI EBORACENSI

SACROSANCTÆ BASILICÆ VATICANÆ ARCHIPRESBYTERO

JOSEPH SIMONIUS ASSEMANUS

SEMPITERNAM FELICITATEM.

SI in omnibus illis ſacræ profanæq; Antiquitatis Græcis Latiniſque monumentis colligendis explicandiſque maxima utilitas atque jucun-

Digitized by Google

jucunditas eſſe ſolet; non minori certe voluptatis utilitatiſque genere eruditos Lectores perfundere ille cenſendus eſt, qui Chriſtianæ Religionis Origines, quæ ſive in Veterum, ſive in Recentiorum ſcriptis voluminibus obſervantur, eruendas illuſtrandaſque ſuſceperit. Ut enim omittam, ex Chriſtianis hiſce Antiquitatibus non exiguum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſplendorem eſſe acceſſurum, hoc unum etiam aſſerere non dubitaverim, quod primæva illa Chriſtianorum indoles, & Eccleſiarum facies veluti rediviva, quemadmodum eorum animos allicit atque mirifice delectat, qui rerum in priori ævo geſtarum cognitionem cum pietate conjungere ex æquo ſtudent; ita illorum proterviam redarguit, qui neglectis Majorum, a quibus Catholicam fidem accepere, inſtitutis, iniquo partium ſtudio ducti, fœdis ſe implicare erroribus non erubeſcunt.

Huic ego quidem operi manum jampridem admoveram, a primis Slavicarum Eccleſiarum Originibus exorſus: nimirum occaſione Ruſſicarum illarum Ephemeridum, a Marchione Alexandro Gregorio

gorio Capponio Bibliothecæ Vaticanæ dono datarum, arrepta, quibus Ephemeridibus Kalendarium Eccleſiæ Græco-Moſchæ ſive Ruſſicæ, per anni circulum continetur. Et primum ſane Tomum ſub auſpiciis Sanctiſſimi Domini noſtri BENEDICTI XIV. Pontificis Optimi Maximi in publicam lucem, quarto ab hinc anno, protuleram. Cur autem reliquos Tomos ejuſdem argumenti, quos paratos habebam, ad blattas propemodum tineaſque relegatos, in obſcuris forulis hucuſque vinctos tenuerim, alia ſtudiorum meorum ratio in cauſa fuit. Amicorum quippe nonnulli, virique haud vulgares acrius apud me inſtabant, ut, ſi non omnes, aliquos ſaltem Libros de Rebus Neapolitanis & Siculis, quos jam condideram, publici juris facerem. Quum igitur editis quatuor Libris, eorum votis ex parte feciſſe me ſatis exiſtimaſſem, ad telam, quam de Slavicis Rebus orſus eram, pertexendam nunc redeo.

Itaque alter hic Tomus, nulla quidem alia re, quam Celſitudinis Regiæ Tuæ, Eminentissime Princeps, quod in

ſronte emicat , Nomine se probaturus , Eccleſiaſticam Slavorum , Hunnorum , atque Nortmannorum Hiſtoriam Sæculo nono & decimo complectitur . Utrique ſæculo communem fere barbariem attribuere Eruditi ſolent ; ac præſertim decimo , quo lugubrem Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatum graphice depingunt. Unde *Infelix*, *Obſcurum*, *Indoctum* , *Ferreum* , & quid non aliud? vulgo audit.

„ Utrique ſæculo (inquit Mabillonius [a]) „ communia fuere bella, „ ſæculo Nono potiſſimum a Nortmannis; Decimo ab Hungaris; præter civiles , & inteſtinas diſcordias utrique „ etiam communes. „ Fatetur hoc ipſum de ſæculo Decimo ac dolet Eminentiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum parens Baronius: „ Novum (inquiens [b]) „ inchoatur ſæculum , quod ſui aſperitate ac boni ſterilitate Ferreum , malique exundantis deformitate Plumbeum , atque inopia Scriptorum appellari conſuevit Obſcurum. „ Et paulo

a Præfat. in Tom. III. Annalium Benedictinorum.
b Ad annum DCCCC. num. 1.

lo poſt[a] : „ Certe quidem in nullo
„ unquam graviori viſa eſt verſari di-
„ ſcrimine , nec manifeſtiori pereundi
„ penitus conſtituta periculo (*de San-*
„ *cta Eccleſia loquitur*) quam quum
„ ingruentibus ſæculo iſto eſt jactata pro-
„ cellis : nam cuncta , quæ olim paſſa
„ eſt ſub Gentilibus Imperatoribus , vel
„ quæ ab Hæreticis , ſive Schiſmaticis,
„ aliiſve quibuſcumque perſecutoribus,
„ horum comparatione, ſunt æſtimanda
„ luſus quodammodo puerorum , imo
„ referenda in lucrum , & computanda
„ in certum emolumentum , quum ex
„ illis ipſa Eccleſia effecta ſit pulchrior,
„ aucta amplior , atque reddita glorio-
„ ſior, dum egregium ſemper revexerit
„ de impietate proſtrata triumphum.
Eadem fere , ſed breviter Venerabilis Cardinalis Bellarminus, qui[b] „ nullum ſæculo decimo Indoctius , aut Infelicius „ exſtitiſſe memorat. Et Genebrardus[c] : „ Infelix dicitur hoc ſæ-

 „ cu-

a Ad eund. ann. num.3.
b Lib.4. de Romano Pontifice cap. 12.
c Ad ingreſſum ſæculi decimi pag.552.

„ culum, exhauſtum hominibus inge-
„ nio & doctrina claris, ſive etiam
„ claris Principibus & Pontificibus, in
„ quo nihil fere dignum memoria po-
„ ſteritatis geſtum ſit.

Si vero quæritur, quænam Sæculum iſtud vitia tam deforme, tamque abominabile reddiderint? Duo potiſſimum in cauſa fuiſſe ajunt: Virorum ſcilicet eruditorum inopia, & exſecranda quorundam Pontificum in Sacroſanctam Romanam Eccleſiam intruſio." At quæ-
„ nam mala iſta, dices, (verba hæc ſunt ejuſdem Baronii) „ & unde tanta
„ omnium acerbiſſima tempeſtas exorta?
„ Eſt plane, ut vix aliquis credat, imo
„ ne vix quidem ſit crediturus, niſi ſuis
„ inſpiciat ipſe oculis, manibuſque con-
„ trectet, quam indigna, quamque tur-
„ pia & abominanda ſit coacta pati Sa-
„ croſancta Apoſtolica Sedes, in cujus
„ cardine univerſa Eccleſia Catholica
„ vertitur, quum Principes ſæculi hu-
„ jus, quantumlibet Chriſtiani, hac ta-
„ men ex parte dicendi Tyranni ſæviſ-
„ ſimi, arrogarunt ſibi tyrannice electio-
„ nem

„ nem Romanorum Pontificum. Quot „ tunc ab eis, proh pudor! proh dolor! „ in eandem Sedem, Angelis reverendam, viſu horrenda intruſa ſunt monſtra? Quot ex eis oborta ſunt mala? „ conſummatæ tragœdiæ? Quibus tunc „ ipſam ſine macula, & ſine ruga, contigit aſpergi ſordibus, putoribus inſici, inquinari ſpurcitiis, ex hiſque „ perpetua infamia denigrari?

Et Mabillonius (a): " Non unam „ ſed plures tam infauſtæ ac ſubitæ converſionis cauſas fuiſſe conſtat: ſed tamen, ut quidem ego exiſtimo; feli„ cior ille ſæculi Noni ac probabilior „ ſtatus ex cultu potiſſimum bonarum li„ terarum: contra vero infanda illa ſæculi „ Decimi corruptela ex craſſa ignoran„ tia & literarum neglectu profecta eſt.

Atque ita Viri de Annalibus Eccleſiæ optime meriti ſentiunt: " fœdiſſimam „ nempe ſæculo Decimo fuiſſe Sanctæ „ Romanæ Eccleſiæ faciem, quum Ro„ mæ (Baronii verba recito (b)) domi-

„ na-

a Loc. ſupra cit.

b Ad annum DCCCCXII. num. 8.

„ narentur potentiſſimæ æque ac ſordi-
„ diſſimæ meretrices : quarum arbitrio
„ mutarentur Sedes, darentur Epiſcopi,
„ & (quod auditu horrendum & infan-
„ dum eſt) intruderentur in Sedem Pe-
„ tri earum amaſii Pſeudopontifices, qui
„ non ſunt, niſi ad conſignanda tantum
„ tempora, in Catalogo Romanorum
„ Pontificum ſcripti. „ Quamobrem cum
eodem Baronio tam orthodoxi, quam he-
terodoxi Scriptores concludunt: „ Dor-
„ miebat tunc plane alto, ut apparet,
„ ſopore Chriſtus in navi, quum hiſce
„ flantibus validis ventis, navis ipſa flu-
„ ctibus operiretur. Dormiebat, in-
„ quam, qui iſta non videre diſſimulans,
„ ſineret ſic fieri, dum non exſurgeret
„ vindex: & quod deterius videbatur,
„ deerant qui Dominum ſic dormien-
„ tem, clamoribus excitarent diſcipuli,
„ ſtertentibus omnibus.

Verum qualiſcumque fuerit ſæculo Decimo Eccleſiæ Romanæ ſtatus, ut quod ego ſentio, cum bona tantorum virorum pace ingenue proferam, neque illud ſæculum tam corruptum fuiſſe crediderim,

uti

uti communiter depingi ſolet: nam pleraque eorum, quæ de Romanis illis Pontificibus, deque matronis in Urbe olim dominantibus dicuntur, ſatyrico potius, quam hiſtorico calamo videntur eſſe conſcripta, quemadmodum petitis ex hiſtoria eorum temporum documentis alibi eſt a me demonſtratum, quum potiſſimum Franci æquales Annaliſtæ nullam faciant tantorum flagitiorum mentionem: ita ut non immerito veniant in ſuſpicionem plurima, quæ a Liutprando aliiſve ejuſdem furfuris ſcriptoribus in ſua hiſtoria memorantur: neque ſi talis Romanarum rerum ſtatus tunc temporis fuiſſet, qualem ex doctis probiſque viris ſupra deſcripſi, exinde inferre quis poſſit, aut incorruptam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam ulla in parte læſam fuiſſe, aut ſæculo illo nullum in toto terrarum orbe infelicius exſtitiſſe. Eſto enim, ut recte ait Natalis Alexander [a]: eſto „ pravorum nonnullorum „ Pontificum, qui Sancti Petri Sedem

„ te-

---

a Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Sæculo IX. & X. cap. 1. articulo 17.

„ tenuerunt, ſæculo præſertim decimo,
„ facinera Eccleſiam nonnihil infuſca-
„ runt; ſpeciem tamen ejus, ſanctita-
„ tem, ac fidem non violarunt; & Dei
„ ſingulari providentia, Chriſtique ſem-
„ per adſiſtentis virtute, ſervata, vere
„ dicere potuit: Nigra ſum, ſed formo-
„ ſa. Nec ideo defecit ſupra firmam pe-
„ tram fundata, aut portæ Inferi adver-
„ ſus eam prævaluere.„ Et Servus Dei
Bellarminus [a]: „ Ne forte putaremus,
„ ob vitam incorruptam & mores in-
„ tegerrimos Summorum Pontificum,
„ tandiu ſtetiſſe hanc Sedem, permiſit
„ ad extremum Deus, ut etiam quidam
„ parum probi Pontifices aliquando hanc
„ Sedem tenerent & regerent.„ Et paucis
interjectis „. Itaque nihil eſt, quod
„ Hæretici tantum laborent in quorum-
„ dam Pontificum vitiis conquirendis.
„ Nos enim agnoſcimus & fatemur, ea
„ fuiſſe non pauca: ſed tantum abeſt,
„ ut iis gloria hujus Sedis obſcuretur
„ vel minuatur, ut iiſdem potius vehe-
„ menter creſcat & amplificetur. Hinc
„ enim

a Præfat. in libros de Rom. Pont.

„ enim intelligimus, non humano conſilio, prudentia, viribus, Romanum „ Pontificatum tandiu conſiſtere; ſed „ quia hæc petra ita a Domino roborata, divinitus fundata, Angelorum „ cuſtodiis ſepta, ſingulari Dei providentia & protectione munita eſt, ut „ adverſus eam portæ inferorum nullo „ modo prævalere poſſint, ſive illis portis perſecutio tyrannorum, ſive rabies Hæreticorum, ſive Schiſmaticorum furor, ſive ſcelera & flagitia deſignentur.„ Denique Antonius [a] Pagius: „ Noſtri temporis Novatores pravis „ Romanorum quorundam Pontificum „ exemplis abutuntur ad impugnandam „ Eccleſiæ incorruptam veritatem & unitatem. At, ut ait [b] Mabillonius, „ qualeſcumque fuerint Pontifices illi, „ *quibus objiciunt pro ſua diſſenſione* „ *quod volunt* (verba ſunt [c] Auguſtini) *nihil præjudicat Eccleſiæ Catholicæ toto terrarum orbe diffuſæ. Nul-*

C lo

a Ad annum DCCCC. num. 11.
b In Præfat. ad ſæculum v. Benedictinum, §. 1. num. 9.
c Lib. de Unico Bapt. cap. 16.

„ lo modo eorum innocentia coronamur:
„ nullo modo eorum iniquitate damnamur. Ita nobis loqui licet in cauſa Novatorum, ſicut ille in cauſa Donatiſtarum loquebatur. Manet ſemper eadem Eccleſiæ veritas, manet ſemper eadem unitas. *Quiſquis ab hac Unitate vento ſuperbiæ, tamquam ſola palea, ſeparatur, areæ Dominicæ propter commixtam paleam quid calumniatur?* „ Subjicit Auguſtinus. Et Tertullianus [a] ulterius progreditur, ſic ſcribens: „ Soli „ Dei Filio ſervabatur ſine delicto permanere. Quid ergo, ſi Epiſcopus, ſi „ Diaconus..... lapſus a regula fuerit, „ ideo hæreſes veritatem videbuntur obtinere? Ex perſonis probamus fidem, „ an ex fide perſonas?

Sed abſit, ut dicamus, lapſum eo ſæculo a Regula Fidei ullum Summum Pontificem. Siquidem quum tanta illa urgerent toto fere eo ſæculo mala, & ſcandala increbreſcerent: tamen neque inventus eſt, qui a fide orthodoxa aberraverit, aut quippiam ei contrarium docue-

a De Præſcript. adverſus Hæreticos cap. 3.

cuerit : neque qui ea de cauſa , ob eorum ſcilicet Antiſtitum ſive vera , ſive ficta flagitia , ab ipſa Eccleſia Romana se abſciderit ſchiſmate , vel hæreſi eandem impugnaverit ; ſed omnes ubique gentium eidem , fidei vinculo & obedientiæ fœdere , juncti perſtiterunt. Quod factum plane non eſſet (uti ſcite advertit Baronius [a]) „ niſi Deus ejus incolumi-
„ tati & integritati ſumma vigilantia
„ proſpexiſſet , ſic , ut quo longius ab
„ eadem Eccleſia foris viſus eſt receſſiſ-
„ ſe , eo magis intime eidem cognitus
„ ſit inhæſiſſe , manumque ſubjeciſſe , ne
„ pravorum hominum impulſibus agita-
„ ta , corrueret. Etſi enim [b] Dominus
„ tunc dormiſſe putatus eſt , in eadem
„ tamen navi dormivit ; in eadem navi ,
„ quæ typum Eccleſiæ gerit , conſtitit ,
„ nec ab ipſa receſſit , ſemperque in Ec-
„ cleſia manſit , in qua , (ut ita dixerim)
„ tenetur ſuis promiſſionibus vinctus ,
„ & ſuis verbis arctius alligatus , obliga-

c 2 tuſ-

a Ad annum DCCCCVIII. num. 7.

b Ejuſdem Baronii hæc ſunt verba ad ann. DCCCCXII. num. 9.

Digitized by Google

„ tuſque ſponſionibus ſuis ; ita Petro ,
„ navis hujus Archinautæ clavuum te-
„ nenti , pollicitus : Rogavi pro Te ,
„ Petre , ut non deficiat fides tua.

Quæ tamen hactenus dicta ſunt , hæc juxta mentem eorum , qui ſeculum decimum omnium infeliciſſimum vocant , dicta ſunto. Ceterum , ſi accuratius ad res eo ſæculo in toto terrarum orbe geſtas animus advertatur , iidem ipſi , quos ſupra laudavi , doctiſſimi piiſſimique viri , mutata , ut arbitror , ſententia , mecum affirmabunt , nullum decimo ſæculo felicius Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ , atque adeo Romanæ , quæ omnium Eccleſiarum caput eſt & magiſtra , contigiſſe ; proinde tantam in illud ſæculum , ob pravos paucorum Antiſtitum mores Declamationem , non aliter ſe habere , ac ſi quis denſiſſimam uni civitati caliginem aliquando incubare conſpiciens , exclamet , toto etiam terrarum orbe lumen ſolis in meridie defeciſſe. Ut enim ab *Inſcitia* , & *Ignorantia* incipiam , cujus cauſa ob Scriptorum paucitatem ſæculum decimum *Obſcurum* , omnibuſque

In-

Indoctius appellatur ; ſi ejuſdem ſæculi decimi cum præcedentibus aut ſubſequentibus comparatio fiat, complures in eo Latinos Græcoſque Scriptores floruiſſe, longe hodie notius eſt, quam Baronii & Bellarmini ætate, uti Catalogos Scriptorum Eccleſiaſticorum, eorumque Operum evulgatas editiones percurrentibus perſpicue apparet. Si probitatem cum doctrina conjunctam requiras; claruere etiam inſigni ſanctitate multi Epiſcopi & Abbates, Monachi & Sanctimoniales, viri ac mulieres cujuſcnmque generis ac conditionis, ut ex iis, quæ apud eundem Baronium & Pagium in Annalibus Eccleſiaſticis referuntur, planum fit.

Atque hic juverit Mabillonii ipſius verba de florentiſſimo per ea tempora in Italia, Germania, Gallia, & Anglia Eccleſiæ ſtatu uſurpare. „ Non defuere (inquit [a]) per illa peſtilentiſſima tem-
„ pora in Italia optimi Epiſcopi [adde etiam optimi Pontifices quos idem Mabil-

a In Præfat. ad Tomum III. Annalium Benedictinorum.

billonius laudat: [a]] „ non defuere [inquam] „ in Italia optimi Epiſcopi: in
„ his Theodoricus & Grimoaldus Piſani:
„ Adelbertus Bergomatenſis: Zenobius
„ Feſulanus: Sergius Cæſenas, & Albertus Aretinus, qui communem Clericorum vitam in ſuis Eccleſiis reſtituerunt. His adde Attonem Vercellenſem Epiſcopum, æque doctum ac pium, ejuſque æqualem Ratherium Veronenſem, qui Eccleſiæ ſuæ Clericos & Laicos ad mores defæcatiores verbis ac ſcriptis reducere conatus eſt.
„ Nec omittendi Petrus, & Gauzlinus Patavini Antiſtites, quorum ille Arianis ſuam Diœceſim etiam tunc infeſtantibus ſtrenue reſtitit, hic, eximiæ vir ſanctitatis, eoſdem penitus delevit, ac cœnobium Sanctæ Juſtinæ inſtauravit. Denique inter pios Italiæ Antiſtites cenſendi ſunt, Notherius magnæ ſanctitatis, necnon Dominici duo Venetiarum, alter ob præclaras virtutes coacte conſecratus Epiſcopus; alter pius & doctus, abdicata dignitate,
„ factus

a Ineunte Libro XLI. Annalium Benedictinorum.

„ factus in locis ſanctis Eremita. Coro-
„ nidis loco, ut alios præteream, aderit
„ Sanctus Stephanus, primum cœnobii
„ Sancti Salvatoris apud Capuam Ab-
„ bas, dein Cajacenſis electus Antiſtes:
„ de cujus confirmatione exſtat memo-
„ rabile Gerberti, ex Caſinate Monacho
„ Capuani Metropolitani, decretum ad
„ Clerum & Populum Cajacenſem.

„ At longe felicior, ac florentior
„ erat Eccleſiæ ſtatus in Germania, Gal-
„ lia, & Anglia. In Germania quidem
„ Bruno Colonienſis, Notgerus Leodi-
„ cenſis, Vvolfangus Ratiſponenſis,
„ Udalricus Auguſtenſis, Adalbertus
„ Magdeburgenſis, & Pragenſis cogno-
„ minis, præ cæteris floruere: quorum
„ ille Slavos, hic Bohemos, Polonos,
„ & Hungaros Chriſtianis myſteriis im-
„ buere. His omnibus compares fuere
„ in Belgica prima, Henricus Treviren-
„ ſis Metropolita: Adalberones duo
„ Mettenſes: Dado, & Berengarius,
„ Virdunenſes: Gauzlinus, & Gerardus
„ Tullenſes: quorum facta, eorum pro-
„ bitatem, & ſanctitatem prædicant.

„ Porro

„ Porro in Belgica ſecunda, non minus
„ celebres exſtitere Fulco, Heriveus,
„ Attaldus, & Adalbero Archiepiſcopi:
„ ex quibus Fulco duas Rhemis Scho-
„ las, unam Canonicorum, alteram ru-
„ ralium Clericorum, ſub Remigio, &
„ Hucbaldo Magiſtris, reſtituit, quas
„ Gerbertus itidem, Adalberone Archie-
„ piſcopo curante, excoluit. Ne nimius
„ ſim, alios optimos Galliæ Præſules
„ omitto, quales exſtitere Theotolo Tu-
„ ronenſis, Hagano Carnutenſis, quo-
„ rum primus Sancti Juliani, alter San-
„ cti Petri Monaſteria in ſua uterque
„ urbe inſtauravit. His adde Turpionem
„ Lemovicenſem, cujus rogatu Sanctus
„ Odo, tunc Monachus, poſtmodum
„ Abbas Cluniacenſis, Collationum li-
„ bros duos ad emendandos Clericorum
„ & Monachorum mores compoſuit.
„ Ad Angliam quod attinet, vix ullum
„ ſæculum plures doctrina & ſanctitate
„ præſtantes protulit, quam Decimum:
„ quales fuere Plegmundus, Odo, &
„ Dunſtanus Cantuarienſes: Oſvvaldus
„ Eboracenſis: Elſegus, atq; Ethelvvol-
„ dus

„ dus Vvintonienſes. Omnibus aliis Re-
„ gnis ſæculo nono præcelluit Martyrum
„ numero Hiſpania, quæ ſæculo decimo
„ Rudeſindum Epiſcopum Dumienſem
„ ſanctitate inſignem protulit, multoſ-
„ que ſine dubio alios non inferioris
„ meriti Præſules, quorum acta ad nos
„ minime pervenerunt.

Solos fere, ut vides, ſui Ordinis inſignes viros Mabillonius recenſuit. Quid vero? ſi reliquos probitate & doctrina præſtantes enumerare velimus, quos in occiduis partibus floruiſſe, ex chronicis uniuſcujuſque gentis cognoſcimus? Quid etiam? ſi oculos mentemque ad Orientem Chriſtianum convertamus: ubi Imperatores orthodoxi, iidemque de Fide Catholica deque bonis literis optime meriti claruere, Baſilius Macedo, Leo Sapiens, Conſtantinus Porphyrogenitus, aliique in Hiſtoria Byzantina ſummis laudibus exornati: Patriarchæ Conſtantinopolitani, Alexandrini, Antiocheni, Hieroſolymitani, cum Sancta Romana Eccleſia, Fidei vinculo (nulla Photiani ſchiſmatis habita ratione aut facta men-

Digitized by Google

tione) conjuncti: Scriptores Eccleſiaſtici, quorum volumina in Bibliothecis adhuc ſervantur; Sanctiſſimi Monachi, ſive in Aſceteriis Syriæ ac Palæſtinæ, ſive in Monte Atho, aliiſve Græciæ eremis: fortiſſimi Martyres, a Saracenis, Bulgaris, Scythis, pro Chriſti nomine cæſi, quorum certamina in Menæis leguntur.

Celeberrimæ illius Hieroſolymitanæ expeditionis ad eripienda e manibus Saracenorum Terræ Sanctæ Loca, hortante Urbano II. Summo Pontifice, a Chriſtianis Principibus exeunte ſæculo undecimo, duobuſque ſequentibus ſuſceptæ præconia, editis propemodum innumeris libris, Græci Latinique auctores decantant. Et jure quidem meritoque: nam tota Palæſtina, oraque Syriæ maritima ab Antiochia uſque ad urbem Gazam, Chriſtianis ceſſit; tametſi propter mutua eorundem Principum diſſidia, ea ipſa Loca, quæ Dominus noſter natalibus, vita, miraculis, & ſanguine conſecraverat, exeunte ſæculo tertiodecimo barbaris tandem & infenſiſſimis

mis Chriſtiani nominis hoſtibus in hæreditatem deinceps quiete relicta ſint. Atqui ſæculo decimo non inferior expeditio adverſus eoſdem Saracenos, nec minus proſpero eventu, ſuſcepta præceſſerat. Nam Nicephorus Phocas Imperator Anno Imperii ſecundo, Chriſtianæ Epochæ DCCCCLXIV., motis in Ciliciam & Syriam, quibus Saraceni incubabant, armis, Ciliciæ urbes [a] Anazarbam, Rhoſſum, Adanam, Tarſum, & Mopſveſtiam cepit: Cyprum quoque inſulam, Infidelibus ereptam, Imperio Conſtantinopolitano adjecit. Anno ſequenti, in interiores Syriæ partes profectus, multis urbibus & agris ad Libanum & maritima loca ſitis in ſuam poteſtatem redactis, victor Byzantium rediit, ſecum adducens ollam, quæ habebat effigiem non manufactam formæ Chriſti Domini, quam Hierapoli a se expugnata reperit, & capillorum Sancti Joannis Baptiſtæ partem ſanguine concretam. Et Byzantini quidem Hiſtorici narrant, in hac

d 2 & ſe-

a Curopalates, & Cedrenus ad ann. II. Nicephori Phocæ: edit. Reg. Pariſ. pag. 654. & ſeqq.

& ſequentibus Nicephori Phocæ expeditionibus, captas urbes amplius centum: Ciliciæ nempe, & Syriæ, & Phœniciæ, & Libaneſiæ, quarum maximæ & nobiliſſimæ, Anazarba (ut modo dicebam) Adana, Mopſveſtia, Tarſus, Rhoſſus, Pagrae, Hierapolis, Synephium, Laodicea, Arca, Beroea: tributarias quoque eidem Nicephoro Imperatori factas Tripolim Phœniciæ urbem, & Damaſcum: Antiochiam denique ab ipſo arcta obſidione cinctam, & mox per Burtzam & Petrum ejus Duces expugnatam.

Sed quid hæc ad hujus ſæculi decimi decora? Longe majora in hoc Tomo conſpiciuntur, quum conſtet, tertiam fere Chriſtiani Orbis partem eo ſæculo Eccleſiæ Catholicæ acceſſiſſe. Slavos dico, Hunnos, & Nortmannos, quorum ſedes in Svedia, Dania, Ruſſia, Polonia, Bohemia, Moravia, Carinthia, Dalmatia, Illyrico, Thracia, Macedonia, Hungaria, Valachia, Moldavia, Scythia, ceteriſque locis, ubi Slavicus Turcicuſque ſermo uſurpatur: ita ut illi etiam

No-

Novatores , qui tam corruptiſſimo , ut ajunt , ſæculo errores nonnullos in Eccleſiam Catholicam irrepſiſſe nugantur, fateri coacti ſint „ infelici [a] huic ævo „ non defuiſſe barbararum quarundam „ gentium ad Chriſti fidem converſio- „ nes; Nortmannorum, Rollone Duce „ anno DCCCCXII. ſacro lavacro tin- „ cto; Ruthenorum ſeu Moſchorum cir- „ ca annum DCCCCLXIX. : mox Po- „ lonorum , Danorum , Hungarorum, „ aliorumque populorum Borealium , „ qui relicto Paganiſmo in Chriſti ca- „ ſtra tranſierunt. „ Mera itaque impoſtura eſt (inquit Pagius [b]) „ quod „ Heterodoxi fingunt, inimicum ſcilicet „ hoſtem ſæculo decimo, dum vitiorum „ ſomno Eccleſiæ Paſtores oppreſſi eſ- „ ſent, & omnia tenebris plena, zizania „ ſuperſeminaſſe, quæ puram ac genui- „ nam Fidei ſementem ſuffocarint , ac „ Tranſubſtantiationis & realis Chriſti „ in Euchariſtia præſentiæ Dogma, alia-

d 3 „ que

a Verba hæc ſunt Gulielmi Cavei in Hiſtoria Literaria, in conſpectu ſæculi decimi:

b Ad annum DCCCC. num. 3.

„ que quædam , in locum antiquæ &
„ primigeniæ fidei Chriſtianæ puritatis
„ induxerint , lateque propagarint ;
„ quum e contra in illo ſæculo tam
„ pauca circa fidem errata exorta fue-
„ rint ; & tot populi ad Chriſti fidem
„ converſi , ut illud feliciſſimum fuiſſe
„ dici poſſit. Nortmanni , Moſcovitæ,
„ Sveci , Poloni , Sclavi , ac Hungari
„ Chriſtiani effecti . Varii Epiſcopatus
„ erecti . Plura Monaſteria condita :
„ pluresque Eccleſiæ large dotatæ.

Quæ omnia quum in hoc Tomo a me ſingillatim explicentur , ea præ cæteris cauſa fuit, ut illum Celſitudini Tuæ Regiæ , Princeps Eminentissime , audacter offerrem; tum, ut aliquod meæ in Te obſervantiæ [quod jamdudum optaveram] teſtimonium publicum exſtaret; tum quia pro eo, quo Regia Tua Celſitudo in omnem Antiquitatem , præſertim vero ſacram, ſtudio incenditur, hoc ipſum argumentum gratum Tibi ratumque fore non dubitavi. Quis enim neſciat, abjectis ſæculi curis, omnem maxime operam a Te in id impendi , ut

in-

inter ſacrarum literarum ſtudia , & Eccleſiaſticarum exercitationum officia , [non nobis tantum , qui Deo optimo maximo in Auguſtiſſima Principis Apoſtolorum Baſilica Tecum miniſtramus , ſed omnibus etiam , qui in culmine Eccleſiaſticæ dignitatis ſunt collocati , exemplo futurus ,] vitam tranſigas religioſiſſimam ? Ita ut [abſit verbo invidia] illud de Te , Serenissime Princeps , uſurpari jure poſſit , quod magnus ille Anglorum Apoſtolus Gregorius Pontifex de Sancto Hermenegildo Vviſigothorum Regis filio pronunciavit : tanto nempe ſublimius gloriam tranſeuntis mundi a Te deſpici , quanto & Eccleſiaſticis miniſteriis addictus , palam univerſo terrarum orbi facis, nihil fuiſſe quod potuerit auferri. Hinc a ſolemni tritoque more abſtinendum mihi ratus ſum , quo laudes ejus , cui quid inſcribitur , non leviter attingi neceſſarium exiſtimatur : nimirum perſpectum mihi exploratumque eſt, univerſum hoc laudationis genus Tibi inviſum eſſe, idque unum a Te ſpectari, ut apud Deum commenderis : quo tamen

fit,

Digitized by Google

ſit, Ambroſio teſte, ut nemo laudabilior ſit, quam qui ab omnibus laudari poteſt. Hinc etiam prolixius fortaſſe, quam par aut decorum videtur, ad Regiam Celſitudinem Tuam de tot gentibus, quæ ſeculo decimo nomen Chriſto dederunt, ſermonem habui: noveram quippe, non modo id Tibi tædio non eſſe, ſed potius nulla alia re Te magis delectari, quam quum de Eccleſiæ Catholicæ triumphis diſſeris, aut diſſerentes audis.

Hoc igitur qualecumque eſt operis ac laboris, quod Tuo ſub auſpicatiſſimo nomine in publicam lucem protrahitur, uti pro Tua indulgentia non tantum æqui bonique ducas ac foveas, rogo; verum etiam, ut ſimul auctorem ejus, Regiæ Tuæ Celſitudini addictiſſimum, Tibique tot aliis nominibus devinctiſſimum, in Tuum patrocinium adſciſcas: dum pro Tua incolumitate vota ex intimo corde perſolvere non deſino.

Dabam e Bibliotheca Vaticana Nonis Decembris Anni MDCCLIV.

AP-

APPROBATIONES.

LEgi alterum Tomum Operis, cui titulus eſt *Kalendaria Eccleſiæ Univerſæ*, Auctore Illmo ac Rmo Præſule Joſepho Simonio Aſſemano: & quum in illo celebratiſſimi Auctoris jam ſpectatam in tot aliis ejus libris pietatem & eruditionem ſingularem miratus fuerim, publica luce dignum cenſeo, & litteratis hominibus gratiſſimum, & utilem futurum fore; in cujus judicii mei fidem mea manu ſubſcripſi.

Petrus Franciſcus Fogginius.

PErlegi juſſu Rmi P. Auguſtini Orſi Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri librum ſecundum *De Kalendariis Eccleſiæ Slavicæ*, Auctore Illmo, & Rmo D. Joſepho Simonio Aſſemano Vatic. Baſilicæ Canonico, & Bibliothecæ Præfecto: quumque in eo miram diligentiam, eruditionem, rerumque haud vulgarium notitiam, criteriumque perſpexerim, nihilque quod a recta Fide, bonorumque morum inſtitutis alienum ſit appareat; ſicut in reliquis ejuſdem Illmi Auctoris operibus cuique perſpectum eſt, publicis typis, ac communi præconio dignum cenſeo.

Franciſcus Marianus Vatic. Bibliothecæ Græcus Scriptor.

IM-

Digitized by Google

I M P R I M A T V R.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Patriarch. Conſtantinop. Viceſgerens.

I M P R I M A T V R.

Fr. Vincentius Elena Magiſter Socius Reverendiſſimi Patris Sac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Prædic.

LI-

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS

DE KALENDARIIS ECCLESIÆ SLAVICÆ, SIVE GRÆCO-MOSCHÆ.

PARS I.

ORIGINES ECCLESIASTICÆ SLAVORUM, BULGARORUM, ET RUSSORUM.

CAPUT I.

Slavi, & Abares Hunni ſub Regibus Francorum, uſque ad Caroli Magni tempora.
Slavos a Gothis, Winidis, & Hunnis Abaribus longe differre.

ORigines, reſque geſtæ *Slavorum*, & *Hunnorum*, tum in Scythia & Sarmatia, hoc eſt, in patriis ſedibus, tum etiam in iis, in quas migrarunt, regionibus, Germania ſcilicet, Pannonia, Thracia, Illyrico, & Dalmatia, ſunt a me in Secunda Primi Libri Parte uſque ad Heraclii Imperium expoſitæ. Nunc vero, velut reliqua membra capiti jungens, ut ipſum Slavicæ Hiſtoriæ corpus integrum repræſentem, ad ea, quæ deinceps ſequutiſque temporibus contigerunt, pergo. 1. Prologus.

 A Fran-

Digitized by Google

II. Hunni Abares in Thuringiam invadunt, temporibus Sigeberti Francorum Regis. Bis cum Francis confligunt: pacem demum componunt.

A Francicarum Rerum Scriptoribus exordior, inde ad Græcos progreſſurus. Aimoinus Monachus Floriacenſis in Hiſtoria Francorum lib. 3. cap. x1. de Chunis ſeu Avaribus, Franciam (quæ Gallia ab ipſo dicitur) ideſt, Germaniam, invadentibus, hæc ſcribit. *Chuni, qui & Avares, rupto fœdere, quod cum Rege Francorum Sigeberto pepigerant, in imparatam ſe Galliam infundunt: quos quum ille congregato exercitu bello excipere deſtinaviſſet, Chuni magicis artibus, priuſquam ad manus veniretur, quibuſdam phantaſmatibus Francos perterrefactos fugere compulerunt. Rex ipſe fruſtra reſiſtere conatus, capitur. Sed prudentiæ ſuæ aſtu oblatis muneribus, honorifice ad ſuos redire permiſſus, pacem cum Chunis in reliquum ſtabilem firmavit.* Gregorius Turonenſis in Hiſtor. Francor. lib. 4. duo Regis Sigeberti cum *Hunnis* bella refert: primum cap. 23. *Poſt mortem Chlothari (a) Regis, Chuni Gallias adpetunt. Contra quos Sigebertus exercitum dirigit, & geſto contra eos bello, vicit atque fugavit. Sed poſtea Rex eorum cum eodem per Legatos meruit.* Secundum bellum cap. 29. *Chuni vero iterum in Gallias venire conabantur. Adverſus quos Sigebertus cum exercitu dirigit, habens ſecum magnam multitudinem virorum fortium. Quumque confligere deberent, iſti magicis artibus inſtructi, diverſas eis fantaſias oſtendunt, & eos valde ſuperant. Fugiente autem exercitu Sigeberti, ipſe incluſus a Chunis retinebatur, niſi poſtea (ut erat elegans & verſutus) quos non potuit ſuperare virtute prælii, ſuperavit arte donandi. Nam datis muneribus, fœdus cum Rege iniit, ut omnibus diebus vitæ ſuæ nulla inter ſe prælia commoverent. Ideoque ei magis ad laudem, quam ad aliquod pertinere opprobrium, juſta ratione penſatur. Sed & Rex Chunorum multa munera Regi Sigeberto dedit. Vocabatur autem (b) Caganus: omnes enim Reges gentis illius hoc appellantur nomine.* Ad primum illud bellum ea referuntur, quæ Paulus Diaconus lib. 2. cap. 10. narrata Chlotharii

a Chlotharius Francorum Rex obiit exeunte anno 561. teſte Mario Aventicenſi in Chron.

b Vox Hunnica ſive Turcica خاقان *Chakan*, *Regem* ſive *Imperatorem* ſignificat. Vide Adnotationem noſtram Tom. I. pag. 403.

tharii Francorum Regis morte ſic ſcribit : *Eo quoque tempore (a) , comperta Hunni qui & Avares , morte Chlotharii Regis , ſuper Sigisbertum ejus filium irruunt . Quibus ille in Thuringia occurrens , eos juxta Albim fluvium potentiſſime ſuperavit , eiſdemque petentibus pacem dedit .* Ad alterum vero bellum , quæ ibidem apud Paulum Diac. ſubjiciuntur : *Rurſumque Avares cum Sigisberto in locis , ubi & prius , pugnantes , Francorum proterentes exercitum , victoriam ſunt adepti .* Ante primum illud bellum , quum Legati Abarum Byzantium (b) menſe Novembri anni 565. ad Juſtinum juniorem Imperatorem veniſſent , ut conſueta munera , quæ Juſtinianus conferre erat ſolitus , acciperent ; quumque ab Imperatore repulſam tuliſſent ; viſum eſt eis a Romanorum ditione diſcedere , atque Iſtro trajecto, in Francorum regiones venire : tum vero id accidit , quod in Menandri Protectoris hiſtoria legitur Tom.2. Hiſtor. Francor. Ducheſnii pag. 248. in hæc verba : *Quum Avares & Franci fœdus inter ſe percuſſiſſent , & pax firmiſſima inter eos eſſet , Chaganus Sigisberto Francorum Duci ſignificavit , exercitum ſuum fame laborare : decere eum , qui Rex eſſet , ac præterea indigena , minime negligere exercitum fœdere conjunctum . Quodſi copias Avarum rebus neceſſariis reficere ac recreare vellet , ſpondebat Chaganus , haudquaquam ſe ultra triduum in ea regione moraturum eſſe . Hæc ubi Sigisberto nunciata ſunt , ſtatim farinas , & legumina , oveſque ac boves ad Avares miſit .* Itaque , (ut ordinem rerum geſtarum perſequar,) Hunni qui & Avares , exeunte anno 565. a Juſtino juniore Auguſto rejecti , ad conterminos Pannoniæ Francorum fines ſeſe conferentes , a Sigeberto Francorum Rege alimoniam , fame urgente , petierunt obtinueruntque . Mox fixis in Pannonia poſt Langobardorum in Italiam diſceſſum anno 568. ſedibus, Thuringiam invadentes, ab eodem Sigeberto victi ſunt atque fugati . Demum commiſſo altero cum Francis ante annum 575. quo Sigebertus deceſſit , bello , vi-

a Nimirum , poſt annum 568. quo Hunni Abares Pannoniam a Langobardis relictam occuparunt . Vide Tom. 1. pag. 402.

b Vide Pagium de hac Abarum Legatione ad ann. 566. num. 4.

victoriam, ut ſupra, ſunt adepti. *Bajano* nomen fuiſſe ei Hunnorum Regi, ex iis, quæ Menander Protector de Abaribus ſcripſit, Tom. 1. Par. 2. pag. 431. & ſeqq. demonſtratum eſt.

III.
A Brunichilde Regina acceptis muneribus, e Thuringia, in quam excurrerant, ad Pannoniam Hunni Abares revertuntur: Bajoarios Sclavi ſuperant.

Sigeberto filius Childebertus ſucceſſit: quo regnante (ut ait Paulus Diac. lib. 4. cap. XI.) *Bajoarii uſque ad duo millia virorum ſuper Sclavos irruunt; ſuperveniente Cacano, omnes interficiuntur*. Nimirum, miſti Sclavis Hunni Abares in Pannonia degebant, Rege utrorumque Bajano, qui Hunnica lingua *Chacanus* dicebatur. Pergit Paulus loc. cit. poſt narratam ejuſdem Childeberti mortem, quæ anno 596. contigit: *Hunni quoque, qui & Avares dicuntur, a Pannonia in Thuringiam ingreſſi, bella graviſſima cum Francis geſſerunt: Brunichildis tunc Regina cum nepotibus adhuc pueris Theudeberto & Theuderico regebat Gallias, a quibus accepta Hunni pecunia, revertuntur ad propria*.

IV.
Dagobertus Francorum Rex Sclavos & Abares intra ſuos limites conſiſtere compellit.

Dagobertus a patre Chlothario II. Chilperici filio, Chlotharii I. nepote, anno Chr. 622. ſuper Auſtraſios Rex inſtitutus, anno Regni ſui ſeptimo, (ſive Chriſti 628.) ut ſcribit Fredegarius in Rer. Francicar. Chronotaxi cap. 58.) *uſque eodem tempore ab initio, quo* (poſt patris obitum) *regnare cœperat, conſilio primitus beatiſſimi Arnulfi Metenſis urbis Pontificis, & Pippini Majoris-Domus uſus; tantæ proſperitatis Regale regimen in Auſter regebat, ut a cunctis gentibus immenſo ordine laudem haberet. Timore vero ſic forti ſua concuſſerat utilitas, ut jam devotione adreperent, ſuæ ſe tradere ditioni: ut etiam gentes, quæ circa limitem Avarorum, & Sclavorum conſiſtebant, eum prompte expeterent, ut ille poſt tergum eorum iret feliciter, & Avaros & Sclavos, ceteraſque gentium nationes uſque manum publicam, ſuæ ditioni ſubjiciendum fiducialiter ſpondebant*. Hæc anno Chlotharii, patris Dagoberti, *trigeſimo nono* geſta eſſe, oſtendit Pagius ad ann. Chr. 622. num. X.

V.
Sclavi Vvinidi in Hunnos Abares conſpirant, eoſque ſuperant: Samonem, natione Francum, ſibi Regem conſtituunt.

Anno ſequenti, (ideſt Chr. 623. Chlotharii 40. Dagoberti 2.) de Samone inter Sclavos Rege conſtituto ſic ſcribit Aimoinus lib. 4. cap. 9. *Anno XL. Principatus Chlotharii*

tharii, homo quidam, nomine Samo, natione Francus, de pago Senonico, multos negotiatorum, mercandi cauſa, in Sclavorum patriam (qui etiam Winidi *dicuntur) ſecum deduxit. Sclavi jamdudum Hunis (qui & Avares dicuntur) ſubjecti, dominationis eorum jugum detrectare tentabant. Siquidem quum primum vectigalia eis, uti dominis dependerent, prœliantium caſtra tutarentur, fugientibus auxilia ad reſiſtendum ſubminiſtrarent, tantas ab ipſis ſibi illatas tolerabant contumelias, ut non homines hominibus, ſed feras crederes quibuslibet vilibus imperitare jumentis. Nam inter cætera, quæ crudeliter (dictu quoque horrendum) in eos exercebant, unum illud nefandum, cunctiſque antea ſæculis inauditum erat ſcelus, quod quaſi hiematuri, eorum adeuntes domicilia, uxores ipſorum ſuis aſſumebant ſocias ſtratis. Verum illi, qui de conjugibus Sclavorum, & Hunis erant geniti, hoc malum, quod vitrici eorum diu fuerant perpeſſi, nolentes perpeti, immane contra dominos & patres ſuos excitavere bellum. Ad quod Samo cum ſociis, adjumento* Winidis *futurus, forte profectus eſt. Factaque congreſſione,* Winidi *Hunnos ſuperant. In hoc certamine Samo cum ſuis præclarum militiæ documentum dedit. Prœrupto namque ſeſe periculo dans, plurimos hoſtium deſtruxit. Hoc ſucceſſu Samo a Sclavis ad regnandum expetitus, eo quod egregia ejus delectarentur fortitudine, de negotiatore Rex conſtitutus, per XXXVI. annos ſtrenue Regnum gubernavit, adverſum innumeros bellorum tumultus, quæ cum Avaris geſſit: in quibus ſemper, prudenti aſtutia uſus, victor extitit. Habuit quoque duodecim ex genere* Winidorum *uxores, ex quibus XXII. filios, ac XV. genuit filias.*

VI. Dagobertus Francorum Rex adverſus Samonem Sclavorum Vvinidorum Regem dirigit exercitum ex Alemannis, Langobardis, & Auſtraſiis conflatum. Auſtraſii profligantur.

De eodem Samone Winidorum Sclavorum Rege apud eundem Aimoinum lib. 4. cap. 23. redit ſermo ad annum (*a*) Dagoberti IX. his verbis. *Eo tempore, commutatores mercium ex Francia, Sclavorum ingreſſi patriam, a Sclavis rebus exſpoliati ſuis, & qui reſiſtere tentaverant, interfecti ſunt. Quapropter quidam, Sicharius vocabulo, miſſus*

a Annus Dagoberti IX. exordium ſumſit menſe Martio anni Chr. 630.

ſus a Dagoberto ad Samonem memoratæ gentis Principem, poſtulaturus de commiſſis juſtitiam, dum ſciret ſe a Samone nolle videri, veſtibus quibus Sclavi utebantur, ne agnoſceretur, indutus, conſpectibus ſe offert Regis præſentiam ſuam refugientis: & quæ ſibi in mandatis tradita fuerant prolocutus, ait, non debere eum contemptui habere gentem Francorum, eo quod ipſe ac populus ei ſubjectus, obnoxii forent ſervitutis Dagoberto eorum Regi. His verbis Samo provocatus ad iram, reſpondit, ſe cum populo ſuo, ſimul & terra, Dagoberto libentiſſime pariturum: ſi tamen, inquit, diſpoſuerit nobiſcum amicitias conſervare. Ad hæc Sicharius: non eſt, ait, poſſibile, ut ſervi Chriſti cum canibus fœdera jungant. Et reſpondente Samone: Quandoquidem vos ſervos profitemini eſſe Dei, & nos ſumus ejus canes; ideo ea quæ vos nequiter contra ejus geritis voluntatem, ut inutiles famuli, nobis frequenter conceditur morſibus ipſa ulciſci: ſtatim ejectus eſt Sicharius de conſpectu ipſius. Qua exaſperatus Dagobertus contumelia, lectas ex Auſtria dirigit militares copias, ad debellandam Vvinidorum gentem. Quibus fuere auxilio Alemanni cum Rotberto Duce, nec non & Longobardi. Qui in ea qua congreſſi parte victoriam adepti, plurimum captivorum ad propria redeuntes abduxerunt numerum. Auſtraſii vero Franci Winidos, qui in Vogaſtenſe confugerant caſtrum, obſidione clauſerunt. Quam dum ſegniter adminiſtrarent, irruentibus ſuper ſe hoſtibus graviter afflicti, caſtra cum tentoriis deſerentes aufugerunt. Hac victoria Vvinidi animoſiores redditi, in Thoringiam & circumjacentes Francorum terras ſeſe effundunt: ita ut Deruanus Dux, qui urbibus præerat Sclavorum, quæ uſque ad id tempus Francis paruerant, deſperatis rebus, ſe ad ceteros transferret Sclavos. Enimvero non tam virtute Vvinidorum hæc clades accidit Francis, quantum ignavia Auſtraſiorum: alioquin vindictam, quam ſub Chlothario in Saxones, hinc ipſam ſub Dagoberto in Sclavos exercuiſſent. Hoc ipſum legere eſt apud Fredegarium cap. 68. ad annum Dagoberti IX. *Eo anno Sclavi, cognomento Vvinidi, in Regno Samonis, negotiantes Francorum*

quum

quum plurima multitudine interfeciſſent, & rebus exſpoliaſſent, hoc fuit initium ſcandali inter Dagobertum & Samonem Regem Sclavorum. Dirigens quemdam Dagobertus Sicharium Legatarium ad Samonem, petens, ut negotiantes, quos ſui interfecerant, aut res illicite uſurpaverant, cum juſtitia faceret emendare; Samon nolens Sicharium videre, nec ad ſe eum quum venire permitteret; Sicharius veſtem indutus adinſtar Sclavorum, cum ſuis ad conſpectum pervenit Samonis: univerſa quæ injuncta habuerat, eidem nunciavit. Sed ut habet gentilitas & ſuperbia pravorum, nihil a Samone, quæ ſui admiſerant, eſt emendatum, niſi tantum placita volens inſtruere, ut de his & aliis intentionibus, quæ inter partes ortæ fueraut, juſtitia redderetur in invicem. Sicharius, ſicut ſtultus Legatus, verba improperii, quæ injuncta non habuerat, & minas adverſus Samonem loquitur, eo quad Samo & populi Regni ſui, Dagoberto deberent ſervire. Samo reſpondens jam ſaucius dixit: & terram quam habemus, Dagoberti eſt, & nos ſui ſumus, ſi tamen nobiſcum diſpoſuerit amicitias conſervare. Sicharius dixit: non eſt poſſibile, ut Chriſtiani & Dei ſervi, cum canibus amicitias collocare poſſint. Samo e contrario dixit: ſi vos eſtis Dei ſervi, & nos ſumus Dei canes, dum vos aſſidue contra ipſum agitis, nos permiſſum accepimus, vos morſibus lacerare. Ejectus eſt Sicharius de conſpectu Samonis. Quum hæc Dagoberto nunciaſſet, Dagobertus ſuperbiter jubet de univerſo Regno Auſtraſiorum contra Samonem & Vvinidos movere exercitum. Ubi tribus turmis phalangæ ſuper Vvinidos exercitus ingreditur: etiam & Langobardi, ſollicitatione Dagoberti, idemque hoſtiliter in Sclavos perrexerunt. Sclavi his & aliis locis e contrario præparentes, Alamannorum exercitus cum Chrodoberto Duce in parte, qua ingreſſus eſt, victoriam obtinuit. Langobardi idemque victoriam obtinuerunt; & plurimum numerum captivorum de Sclavis Alamanni & Langobardi ſecum duxerunt. Auſtraſii vero quum ad caſtrum Vogaſtenſe, ubi plurima manus fortium Vvinidorum immoraverat, circumdantes, triduo præliantes, plures ibidem de exercitu Dagoberti gladio trucidantur, & exinde

Digitized by Google

inde fugaciter omnes tentoria & res, quas habuerunt, relinquentes, ad proprias ſedes revertuntur. Multis poſthæc vicibus Vvinidi in Thoringiam & reliquos vaſtando pagos, in Francorum Regnum irruunt: etiam & Dervanus Dux gentis Urbiorum, qui ex genere Sclavorum erant, & ad Regnum Francorum jam olim aſpexerant, ſe ad Regnum Samoni cum ſuis tradidit. Iſtamque victoriam, quam Vvinidi contra Francos meruerunt, non tantum Sclavinorum fortitudo obtinuit, quantum dementatio Auſtraſiorum, dum ſe cernebant cum Dagoberto odium incurriſſe, & aſſidue exſpoliarentur.

VII. Bulgari ab Hunnis Abaribus e Pannonia expulſi, in Bajoariam ſe recipiunt, ubi omnes ad unum, juſſu Dagoberti, interficiuntur.

Poſt iſtud cum Samone Sclavorum Winidorum Rege commiſſum bellum, proſequitur Fredegarius cap. 72. enarrans alterum Hunnorum & Bulgarorum: de quo & Regino lib. 1. ad annum IX. Dagoberti hæc habet: " Huni & Bulgares inter ſe prælia conſerunt. Huni Bulgares ſuperant, qui devicti, & de Pannonia expulſi, novem millia cum uxoribus & liberis Regem Dagobertum expetunt, terram ad manendum requirunt. Quos Rex ad hiemandum, & Bajoariam recipere præcepit: diſperſoſque per domos, omnes una nocte cum mulieribus & liberis interficere fecit ". Eadem ſcribit Aimoinus lib. 4. cap. 24 commiſſo inter Francos & Winidos prælio ſubjungens ad eundem annum IX Dagoberti, Chriſti 630. " His ,, diebus inter Avares cognomento Hunnos, & eos qui ,, Bulgari dicuntur, magna ſurrexit contentio, cui deberetur Regni ſucceſſio; utrum ex Bulgaris orto, an ex Avarum ſemine [a] procreato. Lis uſque ad arma deducta, ,, Hunnis victoriam peperit. Victi Bulgari, & a propriis ,, exules terris, Dagobertum expetunt Regem Francorum, ,, poſcentes uacantem tellurem ſibi concedi ad habitandum. ,, Ille hiematum eos in Bajoariam dirigit: donec cum amicis deliberaret, quid de eis ageret. Quibus per domos ,, Bajoariorum hoſpitantibus, Rex habito cum familiaribus ,, tractatu (veritus, nequid novi molirentur) evocatis ,, Ba-

a Videtur hæc inter Hunnos & Bulgaros contentio orta poſt obitum Bajani, de quo ſupra dictum eſt.

„ Bajoariis dedit in mandatis, ut unuſquiſque eum, qui „ apud ſe hoſpitaretur, cum conjuge ac liberis contruci„ daret. Quod factum eſt: Et una nocte, quæ tam crude„ li operi deſignata erat, omnes neci traditi ſunt": Auctor Geſtorum Dagoberti ad annum ipſius ix. hæc eadem refert; ſed pro *Bulgaris* ponit *Regnum Hiſpaniæ*, per ſummam librarii oſcitantiam, ſic: " Eodem anno inter „ Avaros cognomento Chunos, & Regnum Hiſpaniæ, ve„ hemens ſurrexit contentio, eo quod certarent inter ſe, „ cui deberetur Regnum ad ſuccedendum: altera pars ex „ Avaris, & altera ex Bulgaris". Idem Auctor una cum Reginone, Bulgaros ab Avaribus ſuperatos, & ad Dagobertum confugientes, *novem millia virorum* fuiſſe *cum uxoribus & liberis* affirmat: quod ipſum & apud Aimoinum cap. 72. de Bulgarorum e Pannonia in Bajoariam venientium numero legitur, additurque poſt eorum cædem: " Nec quiſquam „ ex illis remanſit Bulgaris, niſi tantum Altiaus (*al. Alti*„ *ceus*, *vel Alciocus*) cum DCC. viris, & uxores cum li„ beris, qui in Marca Winidorum ſalvatus eſt. Poſt hæc „ cum Vvallaco (*al. Walluco*, *ſeu Walduco*) Duce Vvi„ nidorum annis plurimis vixit cum ſuis.

VIII. Saxones Dagoberto Regi promittunt, Francorum limitem ab Hunnis Abaribus ſe defenſuros, ſi tributo levarentur. Illis tamen tributo liberatis, nec promiſſa ſolventibus, Sigeberto filio Auſtraſiis Rege impoſito, Dagobertus Sclavorum incurſionibus occurrit.

Ad (*a*) annum x. & xi. Dagoberti Aimoinus & Fredegarius deſcribunt bellum, quod in Sclavos paravit Dagobertus, a Saxonibus ob tributi levationem ficte ſuſceptum, ſed a Sigeberto ipſius Dagoberti filio feliciter geſtum. „ Anno autem x. (*inquit Aimoinus lib.* 4. *cap.* 26.) poſt„ quam præfatus Dagobertus regnare cœperat, memor „ malitiæ Sclavorum in ſuos, collegit lectam è Francis bel„ latoribus ſcaram, quam nos turmam vel cuneum appel„ lare poſſumus. Cui properanti ad capiendam ultionem „ ex inimicis, occurrere Saxonum Legati, ſpondentium ſe „ fore vindices contumeliarum, quæ Francis illatæ erant, „ ſi tributo, quod regiis exhibebant uſibus, levari me„ ruiſſent. Quingentas namque vaccas inferendales a Chlo„ thario Seniore, Chlodovei filio, Chilperici patre, Re„ giæ menſæ inferre juſſi fuerant. Quæ ideo inferendales

B „ di-

a Annus x. & xi. Dagoberti, exordium ſumpſit menſe Martio anni Chr. 631. & 632.

„ dicebantur, eo quod ſingulis inferrentur annis. Dago-
„ bertus ergo, ſapienti Auſtraſiorum conſilio, petita non
„ abnuit, eo videlicet pacto, ut per ſuccedentia ſemper
„ tempora, Francorum limitem ſibi vicinum Saxones con-
„ tra adverſantium defenſarent incurſus. Hoc pactum ſa-
„ cramento quidem ſuper arma (ut eis mos erat juranti-
„ bus) firmatum: ſed nulla efficacia factorum eſt ſtabili-
„ tum, licet cenſu, quem ſolvere ſolebant, liberati eſ-
„ ſent. Sequenti etiam anno (*Dagoberti* XI. *Chr.* 632.)
„ quum aſſiduis Sclavorum incurſionibus Thoringia labora-
„ ret, collato cum Pontificibus ac Senioribus gentis conſi-
„ lio, Dagobertus filium ſuum Sigebertum Auſtraſiis præpo-
„ ſuit, ut fungeretur Rectoris munere cum Regni hono-
„ re. Tutores duos filio delegavit, Chunibertum Colo-
„ niæ urbis Præſulem, & Adalgiſum Palatii Rectorem.
„ Theſaurum etiam eis ſufficientem tribuit: & quæcumque
„ conceſſit, teſtamento cuncta inſeri, ac ſigilli impreſſione
„ ſignari mandavit. Deinceps quamdiu Sigebertus vixit,
„ ſtudio ac induſtria Auſtraſiorum, irruptiones refrenatę ſunt
„ Vvinidorum. *Geſta Dagoberti*. Anno itaque XI. Regni
„ ſui, quum Vvinidi juſſu Samonis iterum fortiter ſævi-
„ rent, & ſæpe tranſcenſo proprio limite, Regnum Fran-
„ corum vaſtandum, Thoringam & reliquos pagos ingre-
„ derentur; Dagobertus Rex Mettis urbem veniens, cum
„ conſilio Pontificum, ſeu & Procerum, omnibuſque Pri-
„ matibus Regni conſentientibus, Sigebertum filium ſuum
„ in Regno Auſtriæ ſublimavit, ſedemque Mettis civitatem
„ habere permiſit; Chunibertum vero Coloniæ Pontificem,
„ & Adalgiſum Ducem (*a*) Palatii ad Regnum gubernan-
„ dum inſtituit. *Et poſt pauca*. Deinceps enim, Auſtraſio-
„ rum ſtudio, limitem & Regnum Francorum contra Vvi-
„ nidos utiliter defenſare noſcitur „. Pagius hunc Dago-
berti Regis annum XI. quo filium ſuum Sigebertum Auſtra-
ſiæ Regem conſtituit, menſe Martio anni Chr. 632. in-
choatum fuiſſe ſcribit: " Quare ((*b*) *inquiens*) Sigeber-
„ tus

a. Fredegarius cap. 75. *Hunibertum Coloniæ Urbis Pontificem, & Adalgyſelum Ducem, Palatium & ad Regnum gubernandum inſtituit .... Deinceps Auſtraſii, eorum ſtudio, limitem, & Regnum Francorum contra Vvinidos utiliter defenſare noſcuntur*.
b Ad ann. 633. num. XXX.

„ tus agens annum ætatis ſuæ tertium, Auſtraſiis a patre
„ præfectus eſt, ut *Slavi* cognomento Vvinidi, qui Ca-
„ rinthiam & vicinas provincias circa Danubium incolebant,
„ & frequentibus irruptionibus Auſtriam laceſſebant, fa-
„ cilius repellerentur.

IX. Sclavi, Hunni Abares, Vvinidi & Gothi, origine & lingua differunt, etſi commiſta eorum nomina apud Scriptores occurrant. Farlatus, vir doctiſſimus, auctor Illyrici ſacri laudatur.

Tria hactenus Barbarorum genera commemorari a Scriptoribus vidimus: nimirum *Abares* ſive *Hunnos*: *Sclavos*, & *Vvinidos*. Et unum quidem populum longe ab alio diverſum eſſe, jam monui Tom. 1. Par. 2. ubi cap. 5. a pag. 292. demonſtravi, *Slavos* indigenas quidem fuiſſe in Scythia & Sarmatia; advenas vero in Pannonia, Bohemia, Polonia, Germania & in aliis uſque ad Balticum mare regionibus: adeoque origine, patria, lingua, a *Vvinidis*, (qui & *Vvinithi* & *Vvinuli*, & *Venedi* dicuntur,) prorſus differre: Et cap. 9. a p. 409. oſtendi, alios eſſe *Slavos*, alios *Avares* ſive *Hunnos*, & alios *Langobardos* & *Gothos*: quidquid in contrarium ſcripſerint nonnulli, qui aut *Gothos* & *Slavos*, aut *Slavos* & *Vvinidos*, aut *Slavos* & *Hunnos* ſive *Avares*, eandem eſſe gentem putant. Hoc ipſum cl. *Daniel Farlatus* Soc. Jeſu, in præclaro opere *Illyrici Sacri*, (Venetiis nuper impreſſo anno 1753. *Tom.* 2. pag. 1308. & ſeqq.) recte obſervat *Animadverſione ſecunda in excerpta ex Conſtantino Porphyrogenito & Thoma Archidiacono* circa Salonæ excidium, quod anno *Chriſti* 639. per Hunnos & Sclavos contigit: ubi primum quidem Thomam Archidiaconum manifeſti erroris arguit, eo quod pro Hunnis ſive Abaribus Gothos poſuit, eoſque a Slavis nihil differre dixit: deinde Conſtantinum ipſum, qui Sclavos & Hunnos in Salonæ excidium conſpirantes ſcribit, ſic interpretatur, non quia utroſque pro una eademque gente acceperit, ſed quia utrique populi, etſi lingua moribuſque diverſi, alteri cum alteris ſocietatem in ea excurſione inierint. " Tria (*inquit Farlatus loc. cit.*) Barbarorum genera commemorant Conſtanti-
„ nus Porphyrogenitus & Thomas Archidiaconus: Gothos,
„ Slavos, & Avares, quibus præclariſſimæ illius civitatis
„ (*Salonæ*,) excidium, Dalmatiæque depopulationem at-
„ tribuunt. Uterque Slavos nominat: ſed alter Slavos
„ ab Avaribus diſtinguere non videtur; alter vero Slavos

,, & Gothos vocabulo quidem, non autem genere inter ſe
,, differre exiſtimat. Conſtantinus (*de Adminiſtr. Imperio*)
,, cap. 39. ait:*Sclavinos* ſive *Sclavos* appellari etiam*Abares*,
,, *Invenerunt Sclavinos*, *qui & Abari nuncupati* ... *Scla-*
,, *vi qui trans flumen habitabant*, *qui & Abari dicti* ....
,, *Hoc igitur conſilio Sclavi ſive Abari*. Et eodem capite,
,, everſores illos Salonæ, populatoreſque Dalmatiæ, mo-
,, do *Sclavos*, modo *Abares* appellat. Idem vero Conſtan-
,, tinus ſub initium capitis trigeſimi, *Sclavos* ſemel iterum-
,, que nominat; ſed deinde perpetuo conſtanterque *Abares*
,, vocat, hoſque fuiſſe tradit, qui Salonitanæ urbis exci-
,, ſionem, & Dalmatiæ vaſtitatem intulerunt. Contra ea
,, Thomas Archidiaconus e Slavis & Gothis unam nationem
,, gentemque conflavit;& ab his Gothis ſive Slavis Salonam
,, oppugnatam, captam, direptam, incenſam, funditus
,, everſam fuiſſe ſcripſit cap. VII. *Quamvis pravi eſſent &*
,, *feroces*, *tamen Chriſtiani erant*, *ſed rudes valde*. *Aria-*
,, *na erant tabe reſperſi*, *Gothi a pluribus dicebantur*; *&*
,, *nihilominus Sclavi ſecundum proprietatem nominis eorum*,
,, *qui de Polonia*, *ſeu Bohemia venerant* .... *Igitur Dux*
,, *Gothus*, *qui toti præerat Slavoniæ*, *coadunato magno*
,, *exercitu equitum peditumque*, *deſcendit de montibus*,
,, *& caſtra poſuit ex Orientali parte civitatis &c.* Satis
,, apparet, unde occaſionem erroris ſumpſerit Archidiaco-
,, nus, nimirum ex Anonymo Diocleate, qui in Opuſculo
,, *de Regno Slavorum*, inter Gothos & Slavos nullum di-
,, ſcrimen agnovit. Atqui Slavos a Gothis origine,patria,
,, moribus lingua, religione plurimum differre, ut ſæpe
,, diximus, fere omnis eruditorum hominum natio ſum-
,, mo conſenſu affirmat ". Idem ipſum de Slavis & Vvinidis dicendum, quod Farlatus de Slavis & Gothis. Pergit porro Farlatus, excuſans Diocleatem, ſimulque oſtendens, alios eſſe Slavos, & alios Gothos, etſi fieri potuit, ut Gothorum reliquiæ, initis cum Slavorum gente connubiis, in Slavos tranſierint.
" Verum enim vero poſtquam debellatum eſt cum Gothis
,, anno 554. ineunte, nullum ſive nominis ſive imperii
,, Gothici veſtigium in Dalmatia apud idoneos & probatos
,, ſcri-

Digitized by Google

„ ſcriptores reperire licet ; eaque provincia Imperio „ Orientis reſtituta , in fide ac poteſtate Græcorum Im- „ peratorum uſque ad Heraclium perpetuo manſit . In ex- „ trema quidem ſuperioris Dalmatiæ parte adhuc erant „ reliquiæ Gothorum , quos ſub initium belli Gothici „ Oſtroyllus cum Slavis illuc induxerat ; ſed poſt Gothos „ victos , & Dalmatia pariter Italiaque expulſos , quum „ nulli e natione Gothica , plures vero quotidie ex Sla- „ vonica gente in eam regionem migrarent , ut alio loco „ diximus,Gothorum genus paullatim deficere , Slavorum „ numerus auctior in dies fieri & magis magiſque propa- „ gari cœpit . Hinc factum eſt , ut Gothorum quod reli- „ quum erat , nationis Slavonicæ prævalentis mores , in- „ ſtituta , linguam , nomenque adſciſceret ; ac nihil ex „ antiquo præter primigenium ſanguinem, nec eum incor- „ ruptum , ſed propter connubia cum Slavis inita confu- „ ſum miſtumque cum Slavonico retineret . Reges vero „ ipſi , quamvis e Gothorum ſtirpe ultimam originem re- „ peterent , tamen propter crebras affinitates cum Sla- „ vorum dynaſtis junctas , materno genere & ſanguine „ præpollente , Slavi eſſe & haberi , Slavoniciſque vo- „ cabulis appellari cœperunt . Quapropter hiſtoria eorum „ Regum ab Anonymo Diocleate non inſcite inſcribitur „ *Regnum Slavorum* . Quare ſi ex his duabus gentibus , „ Gothis & Slavis , in Dalmatia ſuperiori , & Prævalita- „ na provincia ſedes ac regnum jampridem adeptis , exer- „ citum illum conflatum putes , qui Salonæ ſupremum „ excidium (*anno 639.*) attulit,everſores illius urbis Sla- „ vos rectius , quam Gothos fuiſſe dixeris . Ceterum ne- „ que Archidiaconus , neque Porphyrogenitus hinc pro- „ fectos eſſe ſcripſit , qui Salonam everterunt , & Dal- „ matiam vaſtarunt ; ſed eos alter quidem (*Conſtantinus* „ *ſcil.*) e regione proxima , quæ aliquot poſt annis dicta „ eſt *Chrobatia* , ſive *Slavonia* ; alter vero (*nempe Tho-* „ *mas*) inde uſque ab ſeptentrionalibus ultra Danubium „ provinciis (*e Polonia ſcil. & Bohemia*) evocavit . „ Mox concludit , Thomam quidem erraſſe , qui *Slavos* il- los vocat *Gothos* ; Conſtantinum vero , quum non *Slavos* cum

cum *Abaribus* confundat; ſed utroſque populos inita ſocietate in Dalmatiam excurriſſe affirmet, majorem apud eruditos fidem mereri. " Nullo igitur modo [*inquit*] calamitas Salonitana, & depopulatio Dalmatiæ ad Gothos
„ referri poteſt; & erravit Archidiaconus, omninoque in
„ hoc omnis eſt error, quod inter Gothos & Slavos nihil
„ intereſſe putaverit, præter diverſitatem vocabuli; &
„ quod Salonæ everſæ depopulatæque Dalmatiæ cauſam in
„ ipſos Gothos contulerit. Conſtantinus Porphyrogenitus,
„ quamvis annis fere trecentis excidio Salonitano (*a*) poſterior fuerit; totidem tamen annis ab eodem propior
„ aberat, quam Thomas Archidiaconus, qui ſæculo XIII.
„ floruit: quapropter illius, quam hujus auctoritas pluris
„ eſſe debet; præſertim quum ipſemet Thomas fateatur,
„ *ſibi non ſatis perſpicuum eſſe, qualiter Salona finaliter*
„ *everſa fuerit*. Conſtantinus autem ſine ulla dubitatione
„ affirmat cap. 30. de Admin. Imperio, ab Avaribus & Slavis Salonam funditus exciſam, & Dalmatiam vaſtatam
„ fuiſſe tum, quum Heraclius in Oriente Imperium obtinebat. Quod autem ſuperiori capite everſores Salonæ
„ vocet *Sclavinos*, eoſque etiam *Abares* nuncupatos tradat, id argumento eſt, alteros cum alteris in ſocietatem
„ coiiſſe, & gentem utramque in exitium hujus urbis conſpiraſſe; ex qua conſiliorum & armorum conjunctione
„ factum eſt, ut perinde quaſi in populi unius corpus coaluiſſent, utrique alterutro vocabulo, nunc Slavi, nunc
„ Abares, promiſcue & communiter appellarentur. Ceterum Slavi & Abares, ut nomine, ſic genere inter ſe
„ differunt.

Proſequitur Farlatus pag. 309. demonſtrans, *Abares* quidem ſive *Avares* gentem *Hunnicam* fuiſſe, ab *Avaro* proprio eorum Rege ſic appellatos, qui primum Græcis cogniti fuerunt ſub Juſtiniano Imp. uti ſcribit Theophanes in Chronographia ad annum 31. Juſtiniani: *Advenit gens prorſus inſolens atque incognita, Conſtantinopolim. Abares ei nomen. Et ad ejus ſpectaculum cuncta urbs effuſa eſt*,

a Excidium quippe hoc contigit anno 639. Porphyrogenitus autem ſcribebat anno 949.

Digitized by Google

eſt, quod nuſquam viſi fuiſſent hujus formæ mortales. Comas ſiquidem a tergo longas admodum tæniis revinctas & implexas geſtabant, reliquus licet habitus Hunnico ſimillimus conſpiceretur. Illi porro relicta patria regione, in Scythiæ(Europeæ) *Myſiæque partes ſe conferentes, ut humanius in iis provinciis admitterentur, ad Juſtinianum Legatos deſtinaverunt, petentes ut reciperentur.* Illos Juſtinianus recepit, ſedeſque eiſdem & agros trans Iſtrum attribuit, imprudens, (ut ait Farlatus) & ignarus quantam Imperio perniciem aſciſceret: nam exinde per annos fere centum vix alia gens infeſtior, aut peſtis exitialior fuit. Ad hæc Abarum Chaganus, ſive Rex *Bajanus*, Tiberio imperante, ſub jus ditionemque ſuam *Slavos* populos redegerat, quemadmodum ex Menandro narravi Tom. 1. Par. 2. a pag. 434. eoſdemque *Slavos* (qui *Sclaveni & Sclavini* appellantur) ſub Mauricio Imp. ad invadendam Romanorum ditionem ab eodem Chagano ſubmiſſos fuiſſe; alios inſuper *Slavos*, qui ad Oceani limites pertinebant, (ideſt, qui in Vvinidorum terris habitabant,) in Romanorum perniciem exſtimulatos habes eod. Tom. 1. Part. 2 a pag. 437. ad 464. ubi res *Abarum Slavorumque* ſub Mauricio, Phoca & Heraclio ab anno 583. ad 620. geſtas fuſius deſcripſi.

X. **Slavi Vvinidi differunt ab aliis Slavis, quibus Bajanus. Hunnorum Abarum Rex imperabat. Notatur proinde cl. Farlatus.**

Fallitur tamen idem Farlatus, dum loc. cit. poſtquam *Slavos* ab *Hunnis Aburibus* ſubactos & vectigales redditos dixiſſet, *Slavos illos* qui *Bajano Abarum* Chagano parebant, confundens cum aliis *Slavis*, quibus *Samo* in Vvinidorum per Germaniam uſque ad Balticum mare regionibus imperabat, illos ait, Samone duce, a ſervitute Hunnorum in libertatem ſe vindicaſſe. Certe ex Aimoino jam vidimus, & Vvinidos vocari Slavos, & hos ab *Hunnorum* ſive *Avarum* jugo, opera & adjumento Samonis, fuiſſe liberatos. Id ipſum Fredegarius in chron. cap. 48. teſtatur: " Erant ab antiquo Vvinidi biſulci Chunis, ſive
,, Hunnis, ſive Avaribus (eadem quippe gens fuit, ſæ-
,, pius variato nomine) quaſi bifariam illos fulcientes:
,, nam in præliis præſto eſſe debebant Slavi, ſeu Vinidi,
,, & præliari pro Hunnis. Hunni vero caſtra ſervabant ſpe-
,, ctatores præliorum, neque accurrebant, niſi pericli-

,, tan-

„ tantibus Slavis . Præter hæc auxilia , magnis onerabantur tributis Vvinidi, & venientibus ad ſe Hunnis ad hiemandum , cogebantur illis filias ſuas proſtituere : quo „ barbaro agendi ritu effecerunt Hunni , ut ipſimet filii , „ quos apud Slavos genuerant , contra ipſos arma corri- „ puerint . „ Narrat deinde , quo pacto , Samone (homine Franco de pago(*a*)Senonico) cum ſociis negotiatoribus , opem Vvinidis Slavis ferente , congreſſione cum Hunnis Abaribus circa ann. *623*. facta , Vvinidi Hunnos ſuperarunt , ipſumque Samonem de negotiatore Regem ſibi conſtituerunt . Mox Farlatus pag. 310. ſubjungit . " Itaque ante Salonam (anno *639.*) everſam, anni jam erant „ amplius ſexdecim , quam Slavi Avarum dominatu exempti , ſui juris erant , ſuis legibus utebantur , ſuos habebant magiſtratus ac duces , quorum auctoritate ductuque rempublicam adminiſtrabant , & bella cum hoſtibus „ gerebant . Hinc fit, ut Slavi , non tamquam vectigales & „ ſubditi, ut antea, ſed tamquam ſocii & fœderati, arma & „ copias cum Avaribus junxerint , atque ad expeditionem „ Dalmaticam contulerint. Avares quippe, ut illatas a Dalmatis injurias, quas Porphyrogenitus commemorat, ulciſcerentur , ab Slavis finitimis , inito cum illis fœdere , „ copias auxiliares ſibi adſciverunt : jampridem enim ceſſatum fuerat a bellis,quæ Samo Slavorum Rex cum Avaribus feliciter geſſerat;quippe(*b*) anno *636*. armis ac viribus ab ortu in occaſum,ab Avaribus in Francos converſis , Dagoberto Francorum Regi bellum indixit , treſque illius florentiſſimos exercitus ex Auſtraſiis , Alemannis , Langobardis collectos, ad internecionem concidit : „ quæ clades, ait Aimoinus , *non tam virtute Vinidorum accidit Francis , quam ignavia Auſtraſiorum* . Utrique „ igitur juncti fœdere ſociali Avares Slavique , depopulationem & vaſtationem Dalmatiæ , excidionem excidiumque Salonæ intulerunt : ſed in ejuſmodi expeditio-

„ ne

a Expago Senogago, quæ pars eſt Belgicæ juxta Bruxellam . Hanſiz. in German. Sacr. tom. 1. pag. 104.

b Ex Aimoino l. 4. cap. 23. conſtat , & bellum a Samone cum Dagoberto anno 630. non 636. geſtum ; & in eo bello non Alemannos , neque Langobardos , ſed ſolum Auſtraſios fuiſſe ſuperatos . Vide ſupra .

„ ne partes priores Abarum fuiſſe exiſtimo, ſub quorum „ imperio ductuque Slavi auxilio acciti rem geſſerunt. „ Hæc vir doctus, ab Aimoino & Fredegario in errorem inductus, a quibus quum *Vvinidos* Slavos, & *Hunnos*, qui Vvinidis vim inferebant, *Abares* appellari, *Samonemque* Slavorum Vinidorum Regem conſtitutum legiſſet, exiſtimavit, de iiſdem Hunnis Abaribus ſermonem ibi fieri, qui trans & cis Danubium incolentes, Bajano eorum Chagano ductore, unacum ſubjectis Slavis in Dalmatiam anno 639. invaſere. Verum, ſicuti *Slavi* non uno in loco conſederant, nec unum eundemque Ducem habebant, ſed alii Hunnis mixti eiſque ſubjecti cis & trans Danubium ſedes fixerant; alii cum Vvinidis ad Balticum Oceanum habitabant; ita & Hunnorum ſive Abarum pars Bajano Chagano, qui in Thraciam & Dalmatiam ſæpius irrupiſſe legitur, obtemperabant; pars altera uſque ad fines Vvinidorum excurrerat; quos diro, ut ſupra dictum eſt, jugo premebat. De primis Hunnis, Slaviſque intelligendus eſt Porphyrogenitus, dum ab illis ait, inita ſocietate, Dalmatiam depopulatam, & Salonam exciſam. Alteros Hunnos Slavoſque (*a*) deſignant Fredegarius & Aimoinus, quum de Vinidis & Samone Rege loquuntur. Ceterum Vinidos ſive Slavos Samoni Regi obtemperantes, in auxilium Hunnorum Abarum in Dalmatiam irrumpentium, non fuiſſe accitos, conſtat ex eodem Fredegario, qui enarrato bello, quod Slavi, Vinidi dicti, Samone opitulante, cum Hunnis Abaribus geſſerant, ſtatim ſubjicit: *Hoc ſucceſſu Samo a Slavis ad regendum expetitus, eo quod egregia ejus delectarentur fortitudine, de negotiatore Rex conſtitutus, per triginta ſex annos* (ideſt, ab anno Chr. 623. uſque ad annum 659.) *ſtrenue Regnum gubernavit, adverſus innumeros bellorum tumultus, quæ cum Avaris geſſit,* in

a Hinc ſcrupulus Bandurio eximitur, qui Animadverſ. in lib. Porphyrogen. de Adm. Imp. edit. Pariſ. p. 89. ſic ſcribit. *Dagobertum Francorum Regem, Avares & Slavos ſua ditioni ſubegiſſe, Regni ejus anno 7. geſtorum ejus ſcriptor tradit. Sed ſicuti Avares tunc Pannoniam incoluiſſe conſtat; ita Slavos Francis in Germania a Septentrione, in Illyrico vero ab Oriente conterminos fuiſſe patet. De quibus autem Slavis hæc intelligi debeant, an de Septentrionalibus, vel de Orientalibus, incompertum eſt.* Ex dictis ſupra num. 4. 5. & 6. res plana eſt.

in quibus ſemper prudenti aſtutia uſus victor exſtitit. Si ergo anno Chr. 623. bello cum Hunnis Abaribus geſto, Slavi Vinidi, ope Samonis, victores exſtitere, idemque Samo Rex factus, per annos 36. continuum cum Abaribus bellum commiſit, ſemperque victoriam de iis retulit; non video, quo pacto aut Samo ipſe aut ſubjectus ei Slavorum Vinidorum populus, in auxilium Hunnorum Abarum in Dalmatiam excurrere volentium acciri potuerint. Quid? quod, (Theophane teſte ad annum Mauricii Auguſti IX. Chriſti 590.) habemus, tres Sclavinos ad Imperatorem adductos & ab eo examinatos, ſignificaſſe, legationem a Bajano Hunnorum Abarum Chagano miſſam ad ipſorum gentem, quæ *ad Oceani limites habitabat*, ut auxilio ſibi eſſent adverſus Romanos. Recole Theophanis verba, quæ Tom. 1. Par. 2. pag. 444. recitavi, ex quibus palam fit, *Slavos* illos nequaquam fuiſſe Bajano ſubjectos: *Chaganum* (inquiunt tres illi Sclavini) *Legatos ad ſe miſiſſe, & tribuum ſuarum præfectos muneribus ſollicitaſſe, ut ſibi ſuppetias adverſus Romanos ferrent: ſe vero ab familiarum capitibus miſſos, qui eos apud Chaganum excuſarent, quod ob viarum remota intervalla manum auxiliarem ei præbere nequeant: octodecim vero menſium iter feciſſe, ac ita demum in Romanorum manus ſe prolapſos aſſeverabant*. Proinde *Vvinidi Slavi* iſti non alii ſunt ab iis, quos idem Farlatus *Dalmatas Germanicos* vocat Tom. 1. *Illyrici ſacri* a p. 118. ad 120. eiſque regionem illam obtigiſſe affirmat, *quæ Albi & Oderæ fluminibus interjacet, eique finitimæ ſunt ab occaſu Miſnia ſive Sorabia, a Septentrione Luſatia, ab ortu Sileſia, a meridie Bohemia*: nam *ſatis conſtat*, inquit, *univerſam illam regionem, quæ inter Albim ac Viſtulam a Danubio uſque* (*a*) *ad mare Balticum longe lateque porrigitur, Slavorum coloniis refertam fuiſſe, qui partim e Sarmatia, vel e Palude Mæotide, unde oriundi erant, partim e regionibus, quas citra Danubium occupaverant, partim etiam ex Illyrico & Dal-*

a Eorum fines longius etiam in Septentrionem uſque ad oram maritimam ſinus Codani e Regione Daniæ, quam veteres dixere Cherſoneſum Cimbricam, profert Anonymus Ravennas apud eund. Farlatum pag. 120.

Digitized by Google

& Dalmatia, *illuc alii poſt alios*, *incertum quonam tempore*, *confluxerant*.

XI. Marani Schiſmaticorum Epiſcoporum Synodus apud Mauricium Imp. agit, ne Francorum Epiſcopi in terris Hunnorum & Sclavorum Epiſcopos mitterent aut conſecrarent.

Atque hæc de ſedibus ac diſcrimine *Vvinidorum*, *Gothorum*, *Slavorum*, atque *Hunnorum* ſive *Abarum*, dixiſſe ſufficiat. Ad Francicam eorum hiſtoriam redeo. Ab anno Chriſti 638., quo Dagobertus Francorum Rex obiit, uſque ad Caroli Magni regnum, nulla amplius occurrit apud antiquos Hiſtoriæ Francicæ ſcriptores, *Slavorum*, aut *Hunnorum Abarum* mentio, ſive quod compoſita cum vicinis pace quieverint; ſive quia nihil memoratu dignum geſſerint. Ante ipſius tamen Caroli tempora de *Sclavis* nonnulla memorantur, tam in Pſeudoſynodo *Marana*, quam a *Biographis*, quæ ſunt a cl. viro Joanne Bollando ad diem v. Februarii diligenter collecta, quæque Pagius ad annum 590. a num. x. accurate expendit. Synodus itaque illa Schiſmaticorum Epiſcoporum in *Marano* ſeu *Mariano*, (quod muniſſimum Venetorum oppidum eſt, ſtagnis Adriatici maris fere circumdatum in Forojulienſi litore ad Celinam, ſive, ut incolæ vocant, Zelinam,) habita anno (*a*) Chr. 590. in ſuggeſtione ad *Mauricium* Imperatorem adverſus Tria Capitula, queritur, *Bremenſem*, *Tiburienſem*, *& Auguſtanum* Epiſcopos, jam a Galliarum, hoc eſt Franciæ, Epiſcopis ordinari cœptos eſſe, quum antea conſueviſſent per *Aquilejenſem* Metropolitanum conſtitui. ,, Suggerimus etenim, Pie Dominator (*inquiunt Epiſcopi illi* ,, *ſchiſmatici*) quia tempore ordinationis noſtræ, unuſquiſ- ,, que Sacerdos in Sancta Sede Aquilejenſi cautionem ſcri- ,, ptis emiſimus ſtudioſe de fide ordinatoris noſtri, nos ,, fi-

a Cl. Farlatus Illyrici Sacri Tom. I. pag. 73. ad annum 591. confert, ſic ſcribens: *Noricos jam inde ab ætate Juſtiniani*, *Francorum Imperio obnoxios fuiſſe*, *confirmat Epiſtola illa*, *quam ex Synodo Iſtrienſi anno 591. ad Mauricium Imp. dederunt Epiſcopi Provinciæ Aquilejenſis*; *in extrema autem Epiſtola de Archiepiſcopis Galliarum ſibi finitimis graviter queruntur*; *quippe eos immiaore ajunt in omnem occaſionem invadendi in Eccleſias Metropolis Aquilejenſis*, *& earum Epiſcopos conſecrandi jus poteſtatemque intervertere ſibique vindicare conari: tres Eccleſias jam pridem ab ea diſtraxiſſe*, *videlicet* Tiburnienſem, Beconenſem, Auguſtanam, (*quarum prima ſine controverſia ad Noricum pertinebat*, *de reliquis duabus ambigunt eruditi*:) *& alias porro diſtracturos fuiſſe*, *niſi Juſtinianus Imp. eorum conatibus obſtitiſſet*. *Juſtinianus enim*, *ut hunc locum interpretatur Jo. Georgius ab Eckart in comment. de Rebus Franciæ Orient. l. 5. §. 36. Francis poſſeſſionem Vindeliciæ & Norici ſub ea conditione firmam eſſe juſſit & ratam habuit*, *ut ne ultra Rhætiam Noricumque ditionem protenderent*.

„ fidem integram Sanctæ Reipublicæ ſervaturos : quod ipſe „ novit Dominus , nos fideliter toto corde & ſervaſſe , & „ hucuſque jugiter conſervare . Si conturbatio illa & com- „ pulſio piis juſſionibus veſtris remota non fuerit , ſi quem „ de nobis , qui nunc eſſe videmur , defungi contingeret , „ nullus plebium noſtrarum ad ordinationem Aquilejenſis „ Eccleſiæ poſt hoc pateretur accedere ; ſed quia Gallia- „ rum Archiepiſcopi vicini ſunt , ad ipſorum ſine dubio or- „ dinationem accurrent : & diſſolvetur Metropolitana Aqui- „ lejenſis Eccleſia ſub veſtro Imperio conſtituta , per „ quam , Deo propitio , Eccleſias in Gentibus poſſidet ; „ ut quod ante annos jam fieri coeperat , & in tribus Ec- „ cleſiis noſtri Concilii , ideſt (*a*) , Bremenſi , Tiburienſi, „ & Auguſtana , Galliarum Epiſcopi conſtituerant Sacerdo- „ tes : & niſi ejuſdem tunc divæ memoriæ Juſtiniani Prin- „ cipis juſſione commotio partium noſtrarum remota fuiſſet, „ pro noſtris iniquitatibus pene omnes Eccleſias ad Aquile- „ jenſem Synodum pertinentes , Galliarum Sacerdotes „ pervaſerant " . Hæc Iſtrianarum provinciarum Epiſcopi Schiſmatici ad Mauricium Imperatorem , conquerentes , Bremenſis , Tiburnienſis & Auguſtanæ Eccleſiarum Sacerdotes non amplius ab Aquilejenſi Metropolitano conſtitui , ſed ab Epiſcopis Galliarum , ideſt Franciæ : *Victis enim Gothis , eæ urbes in Francorum poteſtatem reciderunt* . Id vero

a *Auguſta Vindelicorum* Metropolis erat Mediolanenſi Epiſcopo contributa . *Tiburnia* , quæ & *Teurnia* , Urbs erat Norici , hodie in Carinthia , vulgo *Villa. b.* ſed *Brema* ad Viſurgim ſita , Urbs clara Veteris Saxoniæ , quæ necdum Chriſti fidem eo tempore receperat , longe ab Aquilejenſi provincia diſtat . Mendoſus itaque fuit codex , quo uſus eſt Baronius , neque alium ſupereſſe ſcimus . Bollandus citatus dicit , vix ſibi dubium eſſe , quin loco *Bremenſis* , legendum hic ſit *Breonenſis* , aut *Breunenſis* , ſive *Breunenſis* , quos Populos Ptolemæus Tab. v. Europæ cap. 13. inter Vindelicos locat , ſicuti et Strabo lib. 4. de quibus plura ibidem Bollandus . Sed quum hic non oſtendat horum Populorum Urbem Epiſcopalem fuiſſe , hæc conjectura non admittenda . Hæc Pagius . Sunt qui non dubitant , quin pro , *Bremenſis* , legendum ſit , *Brunenſis* : *Bruna* ſiquidem , *Brunq* incolis , *Bryn* Germanis , Urbs Bohemiæ Regni , caput Moraviæ Provinciæ , ad Suvartam fluvium , qui ibi in Zuittam cadit quinque milliaribus Germanicis diſtans ab Olomucio Meridiem verſus . Vide Baudrandium in V. *Brinnum* , & *Bruna*. Farlatus loc.cit.pro *Bremenſi* , ſeu *Breonenſi* , aut *Brunenſi*, habet, *Beconenſi* . Pergit Pagius Quum igitur Francorum Imperio *Alemanni & Vindelici* ſubjecti eſſent , Galliarum Epiſcopi in illis partibus Epiſcopos ordinarunt , qua de re queruntur Schiſmatici . Hactenus Pagius ad ann. 590. num. xiv. *Mihi valde arridet el. Hanſizii ſententia* , qui in Germ. Sacr. tom. 1. p. 94. pro Beconenſi , Bremenſi & Brunonſi , legendum ait *Betovenſi* , ſeu *Petovenſi* , cujus Urbis laudantur Epiſcopi Victorinus p. 21. & Marcus p. 62. Idem Hanſizius rem quoque attigiſſe videtur , dum ibidem *Auguſtam* exiſtimat non aliam eſſe a *Celeja* , cui urbi nomen erat *Celeja Auguſta Claudia* .

vero quando aut quomodo contigerit, Agathias narrat lib. 1. belli Goth. ubi quum retuliſſet, Alemannos a Theoderico Gothorum Rege ſubactos ac tributarios factos, eo mortuo, ubi bellum Gothis a Juſtiniano illatum eſt, illos ait copias omnes undique contraxiſſe ad tutandam Italiam, cæteris neglectis: & ſubdit: *Sic itaque Alemannorum gentem per Gothos dimiſſam, Theodebertus in ditionem accepit: quo mortuo ad Theodebaldum filium cum cæteris & hi ſimul in poteſtatem ceſſere*. Succeſſit Theodebertus, de quo hic agitur, Theoderico patri, Clodovæi primi filio, anno Chr. 533. Obiit ipſe anno 548. Ejus filius Theodebaldus anno 555. Quod igitur queruntur Schiſmatici illi Epiſcopi, ordinatos a Gallis in Tiburnienſi, Betovenſi, & Auguſtana Eccleſia Sacerdotes, innuunt circa illud tempus contigiſſe, Juſtiniano Auguſto ſuperſtite, quidemum anno 565. die 14. Novemb. deceſſit. Etſi enim Chriſtianam fidem tunc Norici, Alemanni, & Vindelici, ſeu Pannones non omnes amplexi fuiſſent, neque omnes Francorum Imperio ſubjecti eſſent, aut Epiſcopos haberent; potuiſſent tamen, ut ad alias gentes, Romani Pontificis auctoritate, e Francia ad Alemannos, Noricos, Vindelicos ſeu Pannones proficiſci zelo Apoſtolico Antiſtites, ut eos a gentilitiis ſuperſtitionibus, quas ibidem refert Agathias, ad Chriſtum vocarent, eaque occaſione Auguſtæ Vindelicorum, ſeu Celejæ Auguſtæ, Tiburniæ, & Brunæ ſeu Betovii Sacerdotes conſecrare, quum nullus forte eis ſedibus tunc Epiſcopus præeſſet; aut alibi conſecratos, in variis illarum diœceſeon locis collocare.

XII.

Sanctus Columbanus ad Vvinidos Slavos proficiſci cogitavit, ut illos Chriſtiana fide imbueret: ab Angelo tamen intellexit, nondum adveniſſe opportunum converſionis eorum tempus. Euſtaſius Columbani diſcipulus Bojos nonnullos convertit: Rupertus Juvavienſis Epiſcopus plenius per Bavariam fidem diſſeminavit. Sanctus Amandus ad Sclavos penetravit. Pauci Sclavi ſub Dagoberto Chriſtianam fidem amplexi.

Quo tempore e Burgundia a Theoderico Rege ac Brunichilde avia ejectus eſt S. Columbanus ſub annum Chr. 610., *ei cogitatio in mentem ruit, ut* [a] *Veneticorum, qui & Sclavi dicuntur, terminos adiret, cæcaſque mentes Evangelica luce illuſtraret, ac ab origine poſt devia oberrantibus viam panderet*; uti in ejus vita XXI. Novemb. Jonas ſcribit. Verum ex Angelo intellexit, non eſſe gentis illius in promptu fidei profectus. Sancti Columbani diſcipulus Euſtaſius., qui XXIX. Martii colitur, *ad Bo-*

[a] Qui *Venetici Slavi* hic dicuntur, iidem ſunt ac *Vvinidi*, *Venda*, *Vinda*, *Venidi*, *Vvinitui*, *Vvinuli*: de quibus dixi Tom. 1. Par. 2. a p. 299.

Bojos , qui *nunc Bicarii* [forte *Bajoarii*] *vocantur*, *tetendit* , *eoſque multo labore imbutos* , *fideique lineamento correctos* , *plurimos eorum ad fidem convertit* . Plenius fidem per Bavariam diſſeminavit S. Rupertus , Vvormatienſis primum , deinde Juvavienſis ſive Salisburgenſis Epiſcopus, cujus vitam Bollandus dedit XXVII. Martii . De neutro , an Sclavorum fines ingreſſus ſit , conſtat : diu enim poſt S. Ruperti mortem , quam ad annum *628*. Velſerus Brunneruſque conſignant , gentiles fuere Sclavi , ipſeque cumprimis eorum Rex Samo , uti ſupra a Fredegario memoratum . Haud multo poſt , S. Amandus ad Sclavos penetravit : nam , ut ſcribit Baudemundus VI. Febr. in ejus vita , *audivit* , *quod Sclavi nimio errore decepti* , *a Diaboli laqueis tenerentur oppreſſi* . *Illicque martyrii palmam ſe aſſequi poſſe confidens* , *transfretato Danubio* , *eadem circumiens loca* , *libera voce Evangelium Chriſti gentibus prædicabat* . *Paucis vero ex eis in Chriſto regeneratis* , *videns etiam ſibi non ſatis accreſcere fructum* , *&* *martyrium* , *quod ſemper quærebat* , *non ſe adepturum* , *ad proprias iterum reverſus eſt oves* . Pauci illi , ex iis fortaſſis fuere , qui apud Fredegarium & in Geſtis Dagoberti Regis dicuntur , *ejus ditioni* ſub annum *634*. *ſe ſubjiciendos fideliter ſpopondiſſe* : hallucinatur enim Aventinus dum lib. 3. Annal. Bojor. ex Auctore vitæ S. Virgilii Epiſcopi Salisburgenſis , ſcribit , ab *exercitibus Dagoberti* , *Venedorum regionem in obſequium & ditionem redactam* : *Venedos quoque ſub jugum religionis Chriſtianæ miſſos* : non enim Venedi a Dagoberto ſubacti , ſed repreſſæ dumtaxat eorum in Thuringiam incurſiones , & pauci ex iis ad fidem Chriſti adducti , de quibus Geſta Dagoberti intelligenda ſunt , dum ſic habent ad annum ejus VII. Chr. *634*. *Intantum ut Avari & Sclavi* , *cæterarumque gentium nationes manu publica ipſius ditioni ſe ſubjiciendas fiducialiter ſponderent* . Quæ haud probabile eſt , a Sclavis , ſaltem publico conſilio , fuiſſe promiſſa , quum feliciter iis Samo imperaret , qui etiam Francos ipſos ultro irritare auſus , variis deinde cladibus affecit , atque uſque ad annum Chr. *659*. regnavit .

Qui

Digitized by Google

XIII.
Animadverſiones in ea quæ de Slavis Vvinidis in vita S. Virgilii Epiſcopi Salisburgenſis narrantur; ac præſertim de Samone Slavorum Rege deque primis Carinthiæ Ducibus.

Qui Sancti Virgilii Epiſcopi Salisburgenſis vitam ſeculo XII. ſcripſit, B. Eberardi Archiepiſcopi diſcipulus, de Sclavis & Hunnis multa (*a*) narrat, ſed a vero utplurimum aliena. Nam primo ſcribit, *Samonem* Sclavorum Venedorum Regem cum ſuis a Dagoberto ſubactum fuiſſe: quod falſum eſſe, modo demonſtratum eſt. Deinde de Carinthiæ poſt Samonem ſtatu & Ducibus iſta ſubjungit. „ Non multo poſt tempore, cœperunt Huni eoſdem Quarantanos (*Carinthiæ incolas*) hoſtili ſeditione graviter „ affligere, fuitque Dux tunc eorum, Boruth nomine, qui „ Hunnorum exercitum contra eos videns, interim Bavanis nunciare fecit, rogans eos ſibi in auxilium venire. At illi cum magna feſtinatione venientes, expugnaverunt Hunos, & obfirmaverunt Quarantanos, ſervitutique eos Regum ſubjecerunt, ſimul & confines eorum: duxeruntque inde obſides ſecum in Bavariam, inter quos erat filius Boruth, nomine (*b*) Karaſtus, quem „ pater ejus more Chriſtiano nutriri & baptizari poſtulavit: quod ita factum eſt. Similiter de Chetimaro filio „ fratris ſui fieri rogavit. Mortuo autem Boruth, juſſu „ Francorum, Bavari Karaſtum Chriſtianum factum, petentibus eiſdem Sclavis, remiſerunt, & illi eum Ducem fecerunt: ſed poſtea ille tertio anno defunctus eſt. „ Iterum autem, permiſſione Pipini Regis, populis idem „ petentibus, Chetimarus Chriſtianus Ducatum ſuſcepit „ .... Mortuo autem Chetimaro, & orta tertia ſeditione, aliquot annis nullus Presbyter ibi erat, uſque dum „ Vvaltunc Dux eorum miſit iterum ad Virgilium Epiſcopum, & intente poſtulavit, ut ad confortandam in fide „ prædictam terram aliquos deſtinaret Presbyteros. „ Quod & factum eſt: ipſeque deinde Virgilius *per Karinthiam ſenſim tranſeundo ad fines Hunnorum, ubi Hrabus* (Dravus) *influit Danubium ... pertranſiit*. Ex his conficci-

a Eadem leguntur apud Anonymum *de converſione Bajoariorum & Carentanorum ad fidem Chriſtianam. Item de Juvavenſis ſive Salisburgenſis Eccleſiæ origine & diœceſi: Fragmentum pervetus ſcriptum circa annum Domini* 858. In Rer. Bohemicar. antiq. Scriptor. Hanoviæ 1602. pag. 15.

b Rer. Bohemic. p. 17. *Cacatius*: & *Chetrimanus*, ſive *Chetamarus*, pro Karaſto & Chetimaro: & *Bojarii*, pro Bavari: & *Vvaltinch* Dux, pro *Valtunc*.

ficitur (verba hæc ſunt cl. Bollandi tom. 1. Febr. pag. 698. num. 34.) *Boruthum* Ducem uſque ad Pipinum Regem vixiſſe : quo annuente *Chetimarus*, triennio poſt Boruthi mortem, Dux Carantanorum eſt creatus, qui ſecum *Majoranum* a S. Virgilio ſacerdotio initiatum, propter doctrinam Chriſtianæ Religionis detinuit : namque ipſe *Virgilius* primum (*a*) anno 767. Pipini penultimo, Epiſcopus erat ordinatus ; *Vualtunco* vero Dux, iterum Presbyteros ad ſe mitti ab eodem S. Virgilio poſtulavit. Obiit autem S. Virgilius anno 784. At Vualtunco ſive Vualtcunoni, ſine liberis defuncto, Vvolfgangus Lazius, & Hieronymus Megiſerus, *Theodonem* Taſſilonis Bavariæ Regis filium, Carantanis a patre anno 772. præfectum ſcribunt : *Ingonem* dein Ducem Carantanis datum volunt, poſtquam Caroli Magni juſſu anno 788. Taſſilo Theodoque attonſi in Monachos eſſent. Hæc illi : quorum tamen Chronologia ab eodem Bollando num. 35. & ſeqq. improbatur. Et jure quidem optimo : confundunt enim Slavos Venedos cum Carantanis ; & Samonem qui Slavorum Vinidorum Rex fuit, faciunt Carinthiæ Ducem, eique ſucceſſiſſe perhibent Boruthum, alioſque modo enumeratos. Quid ? quod in ipſa Ducum Carinthiæ recenſione Chronologiam perturbatam ait Bollandus, & quædam haud ſatis conſentientia cum iis, quæ in vita S. Virgilii narrantur : ut quum Lazius refert, „ Boruth, cum fratre Cotio, ab Avaribus Carantano Re„ gno exutum, a Francorum denuo Regibus in dignitatem „ reſtitutum : Caraſtum ſacris undis perfuſum a B. Do„ mningo, D. Ruperti Juvavienſis Epiſcopi diſcipulo: Ce„ temarum Carnis principem ex gente Francorum da„ tum.

a Auctor vitæ S. Virgilii Epiſcopi, de anno ejus conſecrationis hæc ſcribit: *Ordinatuſque eſt a Provincialibus Præſulibus anno Nativitatis Domini DCCLXVI. XVII. Kal. Julii* : vel ut alia lectio habet : *Anno Nativitatis Domini DCCXLVII.* Verum quum in eadem Vita dicatur, Pipinus Rex, cui Bavaria, & tota Norica Provincia patebant, tranſmiſiſſe Virgilium ad *Otilonem* Bavariæ Ducem, illique Epiſcopatum Saltzburgenſem conceſſiſſe ; quumque Otilo, ſeu Odilo, Bavariæ Dux, anno Chr. 748. deceſſerit, manifeſtum eſt, pro anno Nativ. Domini DCCLXVI. vel DCCLXVII., legendum, DCCXLVI. vel DCCXLVII. id quod ex die obitus ejuſdem S. Virgilii confirmatur. Obiit enim, ut in ejus vita dicitur, *anno* 780. vel 785. aut potius 784. quum Epiſcopatui Salisburgenſi per annos fere XL. præfuiſſet. Itaque cl. Bollandus emendandus, quum ait Virgilium anno 767. Pipini penultimo obiiſſe. Vide Hanſiæ Germ. Sacr. Tom. 2. a pag. 89. ad 96.

„ tum ” . Megiſerus autem quum ſcribit , ” Samonem
„ obiiſſe anno Chr. 638. Boruthum inde annis 42. imperaſ-
„ ſe , Caraſtum 19., Chetimarum annis 57., eumdemque ,
„ Pipini auctoritate anno 700. Carantanis Ducem datum ;
„ huic Valtuncum filium ſucceſſiſſe,ultimumSlavici generis.
„ Valtunco autem ſine prole defuncto , a Taſſilone Bava-
„ riæ Duce datum Carinthiæ Ducem Theodonem filium
„ anno 772. ” Quem tamen Theodonem Velſerus eo pri-
mum anno natum tradit , qui & de Carantanis ad eum an-
num iſta habet : ” Domeſtici Annales , Carantanos eodem
„ anno a Taſſilone victos atque ſubactos memorant : rem
„ tantam [nam ea ingens fuit Boicæ potentiæ acceſſio]
„ verbo ſtrictim ſignificaſſe ſatis habentes . Valtuncum ,
„ quem Bojis volentibus regnaſſe,Virgilii amicitia oſtendit,
„ prius obiiſſe , in dubium apud me quidem non ve-
„ nit . .

XIV. Epitome Chronici Slavorum ab Helmoldo Presbytero Buzovienſi conſcripti circa Chriſtianam fidem a Slavis Venedis ſuſceptam temporibus Caroli Magni.

Verum , quidquid ſit de iſtis Carinthiæ Ducibus , ad Slavos Venedos quod ſpectat , cæteris Scriptoribus præferendus mihi videtur Helmoldus Presbyter Buzovienſis , qui *Chronicon Slavorum* a Caroli Magni temporibus exorditur . Sic autem ſcribit lib. 1. cap. 3. ” Inter omnes ergo
„ ſtrenuos Chriſtianæ fidei propagatores , qui pro fidei
„ ſuæ merito , laudabilem adepti ſunt Principatum, glorio-
„ ſiſſimus ſemper elucet Carolus , vir omnium ſcriptorum
„ præconiis attollendus , & in fronte ſtatuendus eorum ,
„ qui pro Domino in partibus Aquilonis laboraverunt: ipſe
„ enim Saxonum gentem ferociſſimam atque rebellem ,
„ ferro perdomuit , & Chriſtianis legibus ſubegit . *Et mox*.
„ Nullis itaque fere annis a bello vacantibus , tandem Sa-
„ xones ita profligati leguntur , ut ex his , qui utraſque
„ ripas Albiæ incolunt , decem millia hominum cum mu-
„ lieribus & parvulis in Franciam tranſlati ſint . Et hic an-
„ nus eſt diuturni Saxonum belli triceſimus tertius , quem
„ Francorum hiſtorici ponunt memorabilem , ſcilicet Ca-
„ roli Imperatoris triceſimum ſeptimum , quo Vvidikindus
„ rebellionis incentor , depoſita tyrannide , imperio ſub-
„ jectus baptizatuſque eſt ipſe cum aliis Saxonum magnati-
„ bus : & tunc demum Saxonia in provinciam redacta .

Digitized by Google

„ *Et poſt pauca*. Diviſa eſt ergo Saxonia (*a*) in octo Epi- „ ſcopatus, & digniſſimis Paſtoribus ſubjecta, qui ad im- „ buendas rudes in fide animas verbo & exemplo ſuffice- „ rent: quibus etiam hujus vitæ ſtipendia memoratus Cæ- „ ſar multo honore, plena denique munificentia providit". Tum de Slavis ſubjungit. " Quo tempore quum Slavorum „ quoque gentes Francorum imperio ſubjicerentur, fertur „ Carolus Hammenburg civitatem Nordalbingorum, con- „ ſtructa ibidem Eccleſia, Heridago cuidam Sancto viro, „ quem loci Epiſcopum deſignavit, regendam commiſiſſe, „ proponens eandem Hammenburgenſem Eccleſiam, cun- „ ctis Slavorum Danorumque gentibus Metropolim ſta- „ tuere. In qua re ad perfectum ducenda, & mors Heri- „ dagi Presbyteri, & occupatio bellorum Carolum Impe- „ ratorem, ne deſiderata compleret, præpedivit ". Nec plura de Caroli Magni temporibus Helmoldus: qui tamen Slavicam hiſtoriam poſt illius obitum accurate perducit uſque ad annum circiter Chr. 1170. ideſt uſque ad tempora Henrici Leonis, Ducis Saxoniæ & Bavariæ, qui ſuper omnes, qui ante ipſum fuerunt, duritiam Slavicam perdomuit, & non ſolum ad tributa ſolvenda coëgit, ſed etiam erga Dei cultum, relictis ſuperſtitionibus idololatriæ, humiliatis cervicibus promptiſſimos fecit; adeo ut pacem maximam in omni terra Slavorum firmaret, & omnes provinciæ aquilonares Vvagirorum, Holzatorum, Polaborum, Obotritorum, otio & quiete vacarent; uti ſcribit Arnoldus Abbas Lubecenſis ejuſdem *Slavici Chronici* continuator lib. 2. cap. 1. in Prologo ad Philippum Racesburgenſis Eccleſiæ Antiſtitem. Quia vero multa ſcitu digna idem ipſe Helmoldus de Slavis habet, ex quibus lux magna Francicis Scriptoribus affulget, ideo præmittenda ex ipſius Chronico exiſtimo, quæ ad Ottonis uſque tertii obitum in Slavia contigere. Itaque Helmoldus cap. 4. de Lu-

a Apud Nicolaum Schatenum, fundati in Saxonia Epiſcopatus ita enumerantur. *Antiquiſſimus Oſnabrugenſis. Inde Paderbornenſis: Halberſtadienſis: Bremenſis: Verdenſis: Mindenſis: Mimigardevordenſis ſeu Monaſterienſis: Hildeſienſis, fundati.* *His acceſſere Hamburgenſis, & Schildrenſis, capti inchoatique a Carolo Magno; alterum Ludovicus Pius, alterum cæteri Imperatores, dum poſtremo Magdenburgum transferretur, Otto magnus abſolvit.*

Ludovico Imp. Caroli Magni filio ſic ſcribit . " Hic ubi
,, ſuper Hammenburg patris ſui comperit votum , com-
,, municato ſtatim ſapientum conſilio , ſanctiſſimum virum
,, Anſcarium , quem etiam aliquando ad Danos & Svedos
,, prædicatorem direxerat , Hammenburgenſi Eccleſiæ or-
,, dinari fecit Archiepiſcopum , ſtatuens eandem civitatem
,, Metropolim univerſis borealibus populis, ut legatio ver-
,, bi Dei exinde uberius pullularet in omnes barbaras na-
,, tiones . Quod & factum eſt . Nam Hammenburgenſis Ec-
,, cleſiæ Pontificum inſtantia , diſſeminatum eſt verbum Dei
,, in omnes Slavorum , Danorum , ſive Nortmannorum po-
,, pulos " . Verum orto inter filios Caroli Magni diſſidio , occaſionem nacti Dani , qui cum Carolo pacem fecerant , prius quidem Slavos, & Freſones tributis ſubjiciunt ; dehinc claſſe piratica per Rhenum ſubvecti, Coloniam obſident , & per Albiam , Hammenburg funditus excidunt . Sanctus igitur Anſcarius Hammenburgenſis Archiepiſcopus, & cæteri prædicatores in Slaviam ſive Daniam deſtinati , magno perſecutionis fervore ſedibus ſuis pulſi ſunt , & uſquequaque diſperſi Tum vero Ludovicus Imp. cui Germania ceſſerat, Bremenſem Sedem , quæ defuncto Paſtore vacabat, Hammenburgenſi adjiciens , voluit , ut eſſent de cætero non duæ Parochiæ, ſed una: recepitque Sanctus Anſcarius utramque regendam . Fuere autem Hammenburgenſes Epiſcopi , primus *Anſcarius* , ſecundus *Reimbertus* , tertius *Adelgarius* , quartus *Hogerus* , quintus *Reinwardus*, ſextus *Unni*, qui ſub HenricoAucipe videns DanorumSlavorumque pertinaciam eſſe edomitam,oſtiumque fidei in gentibus eſſe apertum , omnem ſuæ dioeceſis latitudinem cæpit per ſeipſum circuire , multoſque Danos , Svedos , & Gothos ad Chriſti fidem perduxit : obiit autem (Helmoldo teſte cap 8.) anno Chr. 936. At Slavi , quos ſub Ludovico II. Corbejenſes Monachi Chriſtianis ſacris imbuerant , paulo poſt a fide deficientes , pulſis Sacerdotibus atque Chriſticolis , religionem verterunt in ſuperſtitionem : nam Sanctum Vitum , Chriſti martyrem , Corbejæ patronum , ipſi pro Deo venerantes, Svantewit Deum appellarunt ; & quamquam digniſſimi Præſules & evangelici prædicatores Anſcarius , Reimber-

bertus,aliique in converſione Slavorum curam omnem adhibuerint, aliquem tamen in eis fructum nec per miniſtros feciſſe leguntur, uſque ad Ottonis Magni tempora: qui ſubactis Chriſtianæque fidei copulatis Slavorum gentibus,urbem Magdeburg ſuper ripas Albiæ fluminis conditam, Slavis Metropolim ſtatuens, *Adelbertum* ibidem conſecrari fecit Epiſcopum, eique Metropoli totam ſubjecit Slaviam uſque ad Panim fluvium, Suffraganeis quinque Epiſcopatibus conſtitutis. Item Aldenburgenſem inſtituit Epiſcopatum, quem tamen, Adeldago poſtulante, Hammenburgenſi Metropoli ſubdidit, eo quod terminus Slaviæ eſſet, *Marcone* ei Eccleſiæ Epiſcopo præpoſito: qui una cum *Adeldago* populis Wagirorum ſive Obotritorum ſacro Baptiſmi fonte abluendis egregiam operam impendit:" Crevit au-
„ tem populus fidelium (*Helmoldi verba hæc ſunt cap.* 12.)
„ nec fuit aliquid quod novellæ Eccleſiæ adverſaretur om-
„ ni tempore Ottonum. Horum tres fuiſſe comperi, om-
„ nes pari devotione erga Slavorum vocationem affectos.
„ Et repleta eſt omnis Wagirorum, Obotritorum, ſive
„ Kycinorum provincia, Eccleſiis, Sacerdotibus, Mona-
„ chis, & Deo dicatis virginibus". Poſt Marconem, primum Aldenburgenſium Epiſcopum, fuere *Edwardus*, *Vuago*, *Ezico*, *Volkwardus*, *&* *Reginbertus*: *Adeldago* autem in Hammenburgenſi Metropoli ſucceſſit *Libentius*. Hujus Libentii, & Eziconis temporibus, Slavi defecerunt a fide. Poſtquam enim Bernardus Saxoniæ dux arma adverſus Henricum Pium Imp. corripuit, Slavi, quorum principes erant *Miſtiwoi*, *&* *Mizzudrag*, opportunitate accepta, congregato exercitu, totam primo Nordalbingiam ferro & igne depopulati ſunt: deinde reliquam peragrantes Slaviam, omnes Eccleſias incenderunt, & ad ſolum uſque diruerunt: Sacerdotes autem & reliquos Eccleſiarum miniſtros, variis ſuppliciis enecantes, nullum Chriſtianitatis veſtigium trans Albiam reliquerunt. Hæc fuſius ab Helmoldo narrantur a cap. 13. ubi Slavos, qui inter Albiam & Odoram habitant,per annos ſeptuaginta & amplius ait Chriſtianam religionem coluiſſe, omni ſcilicet tempore Ottonum: eorum vero regulos quoſdam nominat: nimirum, Obotrito-
rum

Digitized by Google

rum ſeu Vvinulorum Principes, *Billug*, *Miſizlaum*, *Naccon*, *& Sederich*, ſub quibus pax continua fuit: deinde *Anadrag*, *Gneum*, *Udonem*, *& Godeſcalcum*, ſub quibus dira Slavorum in Chriſtianos perſecutio: tum *Buthuem*, *& Henricum*, Godeſcalchi filios: & hunc quidem Henricum ſcribit ad tantam potentiam perveniſſe, ut *Ranos* ſeu *Rugianos* ſubjugaverit, eique tum (*a*) hi ſervierint, tum *Vagiri*, *Polabi*, *Obotriti*, *Kycini*, *Circipani*, *Luticii* ſeu *Vvilzi*, *Pomerani*, & univerſæ Slavorum nationes, quæ ſunt inter Albiam & mare Balticum, & longiſſimo tractu portenduntur uſque ad terram Polonorum. Relictis autem duobus filiis *Zventepolco*, & *Kanuto*, tum obiiſſe, quum Magdeburgenſibus Sanctus *Northbertus* Epiſcopus præeſſet, & *Adalbero* Hammenburgenſibus, a quo *Vicelinus* Slavis Evangeliſta deſtinatus eſt. Poſtremo *Bolizlaum* Polonorum Regem narrat cap. 15. cum Ottone tertio fœdere junctum, omnem Slaviam, quæ eſt ultra Odoram, tributis ſubjeciſſe, ſed & Ruſſiam, & Pruſſos, a quibus paſſus eſt *Adelbertus* Epiſcopus, cujus Reliquias idem Bolizlaus in Poloniam tranſtulit.

His ex Helmoldo uſque ad Henrici primi tempora, hoc eſt, uſque ad caput XVI., prælibatis, ad Francicos ſcriptores redeo. Fredegarius in Chronico, juſſu Childebrandi Comitis, avunculi Regis Pipini conſcripto, poſtquam Carolomannum, devotionis cauſa, Regnum una cum

XV. Reges Vvinidorum Slavorum Pipino Francorum Regi opem adverſus Saxones rebellantes ferunt.

a Reineccius in Append. 1. de gentium Germanicar. & Heneticar. ſeu Slavicar. appellationibus; hi (inquit) Populi ſecundum litus Maris Baltici, ac deinde poſt Viadrum ad occidentalem plagam occurrunt. 1. *Pomerani*, ideſt Maritimi, 2. *Vvilzi* & *Lutici* ſeu *Lutitii*: *Vvilzi* ſcil. Lupini, ſorte a moribus barbaris, ſeu latrocinandi & prædandi conſuetudine. *Tolenzi* ab amne Tolenzo. *Redarii* ſeu *Riedari*, ab urbe Rethra. Stetinenſium fines inter Panim & Viadrum incoluerunt. *Circipani*, a Pani fl. ſedes habuere ad Gripſualdiam, Vvolgaſtum & Sondium. *Kycini*, ad Gucegovium oppidum. (*Lutitii* ad Lutitiam ſeu Leutitiam in Pomerania citeriori ad Panim fl. Baudrand.) 3. *Rugiani* ſeu *Rani* a Rugia inſula, ac ſi dicas *quietos* & *pacificos*: ſicut Czechi de Boemia dicuntur Boëmi. 4. *Vvarnavi*, a Vvarnavo fl. in Agro Roſtochienſi. 5. *Obotriti* Megalburgenſem terram poſſederunt, inter Holſatiam ad occaſum & Pomeraniam ad ortum. 6. *Polabi*, a regionis planitie, oppidum habuere primarium *Raceburgum*. 7. *Vvagiri* habitarunt ad Aldeburgum. 8. *Linones*, & *Lingones*, ad Luneburgum. 9. *Heruli* ſeu *Heveldi*, h. e. Vagabundi ſeu peregrinantes, ad Havelum fl. 10. *Leubuſii* ad Lebuſium oppidum. 11. *Vvilini*, ad Berlinum. 12. *Stoderani* & *Brizani* ad Havelburgum & Brandeburgum: reliquum hodie eſt Brizanorum nomen in oppidis Britzen, & Britz. denique *Veneda*, *Venedi*, *Veneti*, *Vvinithi*, & *Vvinuli*, iidem ac *Heneti*, gentis lingua *Vagabundi*, *nomades*, ab *Honasi*, vagari, diſcurrere; ſicut Germani ſeipſos *Vvallen* dixerunt, & viciſſim ab Henetis *Nemetzi* dicti ſunt.

Digitized by Google

cum filio ſuo Drogone manibus germani ſui Pipini commiſiſſe ſcripſiſſet: " Eodem anno (*inquit*, *hoc eſt Chr.* 747.)
„ Saxones more conſueto fidem, quam germano ſuo promiſerant, mentiri conati ſunt. Qua de cauſa, adunato exercitu, ad eos pervenire compulſus eſt. Cui etiam Reges Vvinidorum ſeu Friſionum ad auxiliandum uno animo convenerunt: quod videntes Saxones, conſueto timore compulſi, multis ex eis jam trucidatis & in captivitate miſſis, regionibus eorum igneque concrematis, pacem petentes, juri Francorum ſeſe, ut antiquitus mos fuerat, ſubdiderunt; & ea tributa, quæ Chlothario quondam præſtiterant, pleniſſima ſolutione ab eo tempore deinceps eſſe reddituros promiſerunt. Ex quibus plurima multitudo videntes, ſe contra impetum Francorum rebellare non poſſe, propriis viribus deſtituti, petierunt ſibi Chriſtianitatis ſacramenta conferre. Quo peracto tempore, Bagoarii (*Bavari*) conſilio nefandorum, iterum eorum fidem fefellerunt, & contra præfatum Principem eorum fidem mentiti ſunt. Qua de re commoto exercitu cum magno agmine apparato, eorum patrias peraccellit. Ipſi vero terrore compulſi, ultra fluvium Œni cum uxoribus ac liberis eorum fugientes, & memoratus Princeps ſuper ripam Œni caſtra metatus, navale prælium præparavit, qualiter eos ad internecionem perſequeretur. Quod videntes Bagoarii, eorum viribus ſe auxiliare non poſſe, Legatos cum muneribus multis tranſmittunt, & in ejus ditione ſe ſubdunt, & ſacramenta vel obſides donant, ut ne ulterius rebelles exiſtant. Ipſe vero, duce Chriſto, cum magno triumpho in Franciam ad propriam ſedem feliciter remeavit „. Pagius primum Pipini Regis adverſus Saxones bellum refert ad ann. Chr. 747. num. 6. Secundum vero adverſus Bajoarios a Pipino ſuſceptum affirmat anno 749. quum Taſſilo in locum patris Odilonis Bavarorum Ducis anno 748. defuncti ſucceſſiſſet: ſic enim habet Annaliſta Metenſis. *Anno Dominicæ Incarnat. DCCXLIX. Gripo videns, quod Saxonum armis minime defendi poſſet, in Bajoariam confugit. Quorum Dux eo tempore Odilo defun-*

functus erat; *cui Taſſilo filius ejus ſucceſſerat*. *Quem de Principatu Gripo abegit*, *& ſibi ipſe Bajoarios ſubjugavit*; *cui etiam in ſolatium Lanfridus* (Alemanorum Dux) *venit*. *Hæc audiens Pippinus*, *cum exercitu illuc pervenit*, *victiſque Bajoariis*, *Griponem ſecum & Lanfridum inde abducens*, *Taſſilonem in Ducatu Bajoariorum collocavit*. Ex his colligitur, anno 747. Vvinidis Sclavis Regem præfuiſſe, qui Pipino Francorum Regi adverſus Saxones opem tulit: anno vero 748. Odiloni Bavariæ Duci defuncto ſucceſſiſſe Taſſilonem, quem a Principatu per Griponem amotum, anno ſequenti idem Pipinus in Ducatum reſtituit: adeoque quæ a Lazio & Megiſero de Carantanis Ducibus narrantur, ad Sclavos Vvinidos ſpectare non poſſe.

CAPUT II.

Slavi, *& Abares Hunni temporibus Caroli Magni.*

P. Slavorum Vvinidorum multitudo anno Chr. 780. baptiſmum ſuſcepit. Saxones quoque Baptiſmo, licet ficte, abluuntur.

PIpino Rege anno 768. defuncto, Carolus Magnus ipſius filius Regnum Francorum ſuſcepit. Is per annos 33. continuum fere bellum cum Saxonibus geſſit, ab anno ſcil. 772. ad ann. 804. Eginhardus in vita Caroli Magni, narrato bello Langobardico, ad Saxonicum orationem convertit. " Poſt ejus finem (*inquit*) Saxonicum, quod
,, quaſi intermiſſum videbatur, repetitum eſt, quo nullum neque prolixius neque atrocius, Francorumque populo laborioſius ſuſceptum eſt, quia Saxones, ſicut omnes fere Germaniam incolentes nationes, & natura feroces, & cultui dæmonum dediti, noſtræque Religioni contrarii, neque divina, neque humana jura vel polluere vel tranſgredi inhoneſtum arbitrabantur. Suberant & cauſæ, quæ quotidie pacem conturbare poterant, termini videlicet Francorum, & illorum pene ubique in plano contigui, præter pauca loca, in quibus vel ſilvæ majores, vel montium juga interjecta, utrorumque agros certo limite diſterminant, in quibus cædes & rapinæ & incendia viciſſim facere non ceſſabant. Quibus adeo Franci ſunt irritati, ut non jam viciſſitudinem ,, red-

Digitized by Google

„ reddere, ſed apertum contra eos bellum ſuſcipere dignum judicarent. Suſceptum eſt ergo adverſus eos bellum, quod magna utrinque animoſitate, tamen majori Saxonum, quam Francorum damno, per continuos triginta tres annos gerebatur „. Eo in bello ſæpe involuti Sclavi Vvinidi, aut Abares, de quibus per ſingulos annos eſt nobis digerenda narratio. Igitur anno Chr. 789. *Sclavorum Vvinidorum* multitudo baptizata dicitur. Chronicon Moiſſiacenſe, tom. 3. Franciæ Hiſtoriæ Scriptorum Ducheſnii pag.138." Et in ſequenti anno(*h. e.*780.) „ Carolus Rex congregans exercitum magnum, ingreſſus „ eſt iterum in Saxonia; & pervenit uſque ad fluvium magnum Herlba, & Saxones tradiderunt ſe illi omnes, & „ accepit obſides tam ingenuos, quam Etlidos. Et diviſit ipſam patriam inter Epiſcopos, Presbyteros & Abbates, ut in ea habitarent, & prædicarent. Nec non „ & Vvinidorum, ſeu & Freſonum paganorum magna multitudo baptizata eſt „. Annales Bertiniani ad eundem ann. 780. " Glorioſus item Carolus Rex iter peragens ad „ diſponendam Saxoniam, ad Heresburgum caſtrum pervenit, & inde ad locum, ubi Lippia conſurgit. Ibique „ Synodum tenuit. Indeque perrexit partibus Albiæ fluvii, & in ipſo itinere omnes Bardongavenſes & multi „ de Nortleudis baptizati ſunt in loco qui dicitur Orhaim „ ultra Obacrum fluvium, & pervenit uſque ad fluvium „ ſupradictum, ubi ora confluit in Albia. Ibique cuncta „ diſponens, tam Saxoniam, quam & Sclavos, reverſus „ eſt præclarus Rex in Franciam „. Eadem in Annalibus Metenſibus. At Fuldenſis breviſſime: *Carlus habito conventu in Saxonia iterum eam ſubigit, diſpoſitiſque tam Saxonum, quam Sclavorum rebus, orationis cauſa Romam vadit*: nulla facta baptiſmi Saxonum, & Sclavorum mentione. Eginhardus vero, Poeta Saxonicus, Regino, & alii, multos de Nortleudis baptizatos ſcribunt, ideſt, de Saxonibus, idque ficte & ſimulate. Eginhardus: *Iterum cum magno exercitu in Saxoniam profectus eſt: tranſienſque per arcem Eresburgum, ad fontem Lippiæ venit, ubi caſtrametatus, per aliquot dies moratus eſt. Inde ad Orien-*
tem

tem itinere converſo, ad Obacrum fluvium acceſſit. Cui quum ibi omnium Orientalium partium Saxones ut juſſerat occurriſſent, maxima eorum multitudo in loco, qui Horheim appellatur, ſolita ſimulatione baptizata eſt. Profectus inde ad Albiam, caſtriſque in loco, ubi Hora & Albia confluunt, ad habenda ſtativa collocatis, tam ad res Saxonum qui exteriorem, quam & Sclavorum qui ulteriorem fluminis ripam incolunt, componendas operam impendit. Id factum, ſicut & cætera Caroli omnia quæ ſequuntur, in Annalibus Francorum apud Ducheſnium Tom. 2. pag. 15. ad annum ſequentem differtur.

II. Reges Hunnorum Abarum, & Jgurorum legatos ad Carolum Magnum mittunt anno 782.

Anno 782. Prima ſub Carolo Magno Abarum mentio in Annalibus Francorum, ab anno 708. ad annum 800. perductis, Tom. 2. Ducheſnii pag. 9. *Hoc anno domnus & religioſus Rex Carolus habuit magnum Placitum in Saxonia ſuper flumen Lippia: & ibi venerunt Legationes Unorum ad præſentiam Principis*. Id factum anno ſequenti, ideſt 783. refertur in aliis Annalibus auctioribus ab anno Chr. 708. ad annum 808. quo auctor ſe vixiſſe teſtatur, Tom. 2. cit. pag. 15. *Tunc Rex iter in Saxoniam peragens, & Rhenum tranſiens ad Coloniam, Synodum tenuit, ubi Lippia conſurgit. Ibi Saxones convenientes, excepto Witikingo, & illuc convenerunt Nortmanni, etiam & miſſi Chagano & Vigurro*. In aliis Annalibus Francorum ab anno 741. ad 814. Tom. cit. pag. 32. ad annum 782. eadem leguntur: *Ibique omnes Saxones venientes, excepto rebelli Windikinde: etiam illuc convenerunt Nordmanni miſſi Sigifredi Regis, ideſt, Haltoni cum ſociis. Similiter & Avari illuc convenerunt miſſi a Cagano & Vigurro*. Et in vita Karoli Magni incerto auctore, ibid. pag. 54. ad ann. 782. *Avarique ſimiliter miſſi a Cagano & Vigurro*. Regino ad eundem annum 782. *Necnon etiam Legati Avarorum miſſi a Cacano & Jugurro*. Annales quoque Bertiniani: *Similiter & Avari illuc convenerunt miſſi a Cagano & Jugurro*. At vero Eginhardus de geſtis Karoli Magni ad annum 782. Tom. cit. pag. 242. *Ubi inter cætera negotia & Legatos Sigefridi Regis Danorum, & quos ad ſe Caganus & Jugurrus Principes Hunnorum ve-*

lut pacis cauſa miſerunt, *& audivit & ſolvit*. Pagius ad annum 782. num. 2. de anno undecimo Belli Saxonici loquens, Annaliſtæ Metenſis verba hæc recitat: *Carolus Rex Cumam* (legendum, *Coloniam*, cum Eginhardo in Annalibus, & aliis:) *veniens*, *Rhenum tranſiit*, *& Synodum tenuit*, *ubi Lippia conſurgit*, *ubi omnes Saxones convenerunt*, *excepto rebelle Widichindo*. *Illic etiam venerunt Legati Godefridi Regis Nortmannorum* (ideſt, Danorum) *Altdem & Hoſmundus*: *nec non etiam Legati Avarorum miſſi a Cagano & Jugorro*. Mox ſubjungit: *Dicit etiam Eginhardus*, *Caganum & Jugurrum*, *qui Legatos velut pacis cauſa ad Carolum miſere*, *fuiſſe principes Hunnorum*. Mira nominis transformatio: dicitur enim *Vigurrus*, *Jugurrus*, *Jagurtus*, & *Jugurgus*: tam in citatis Annalibus, quam in Bertinianis, & Fuldenſibus ad ann. 782. *miſſi quoque Hunorum Cagani & Jugurri*: & apud Reginonem: *necnon etiam Legati Avarorum miſſi a Cacano*, *& Jugurro*. Ita & Poëta Saxonicus de geſtis Caroli Magni lib. 2. ad ann. 782. Indict. IV.

Illic diſponens complura negocia Regni,
Danorum Regis Sigfridi nomine miſſos,
Et quos Jugurgus, *pariterque Chaganus ad ipſum*
Hunorum miſere Duces, *pro pace petenda*
Audiit, *abſolvitque datis prudenter eiſdem*
Reſponſis.

Verum ſicut in nomine Sigefridi Danorum Regis erratum eſt, quem Annaliſta Metenſis *Godefridum* vocat; ſic etiam error irrepſit in titulo horum duorum Abarum Principum. Nam *Caganus*, ſeu *Cachan* nomen proprium non fuit, ſed ei Principi ab Hunnis tributum, qui ſummam totius Regni obtineret. Item nomen *Jugurro*, ſive potius *Igur*, Hunnicæ cujuſdam gentis, cui princeps præerat ab Abarum Principe diverſus.

III. Sclavorum Soraborum, & Saxonum contumaciam Carolus Magnus anno 782. comprimit.

Ad eundem annum 782. Eginhardus de Sclavis Sorabis hæc habet. " Interea Regi allatum eſt, quod Sorabi Sclavi, qui campos inter Albim & Salam interjacentes incolunt, in fines Euringorum ac Saxorum, qui eis erant contermini, prædandi cauſa fuiſſent ingreſſi, & direp-

" tio-

„ tionibus atque incendiis quædam loca vaſtaſſent. Qui „ ſtatim accitis ad ſe tribus miniſtris ſuis, Adalgiſo Cubicu- „ lario, Geilone Comite Stabuli, & Vvorado Comite Pala- „ tii, præcepit, ut ſumptis ſecum Orientalibus Francis „ atque Saxonibus, contumacium Sclavorum audaciam „ quam celerrime comprimerent. Qui quum juſſa facturi, „ Saxoniæ fines ingreſſi fuiſſent, compererunt Saxones „ ex conſilio Vvidikindi ad bellum Francis inferendum „ eſſe paratos; omiſſoque itinere, quo ad Sclavos ituri „ erant, cum Orientalium Francorum copiis ad locum, in „ quo audierant Saxones congregatos, ire contendunt „. Hoc ipſum cæteri Annaliſtæ narrant, Bertinianus, Metenſis, Fuldenſis. Necnon Poëta Saxonicus & Regino. Sed Anonymus auctor Annalium Francorum editus Tom. 2. Ducheſnii pag 15. ad annum 783. id factum differt.

IV. Hunni Abares commiſſo cum Francis in Italia, & cum Bajoariis in Germania bello, utrobique profligantur anno 788.

Anno 788. Abares in Marchiam Forojulienſem, & in Bajoariam irrumpunt: utrobique a Carolo Magno devicti. Eginhardus. " Huni, ſicut Taſſiloni (Bajoariorum Duci) „ promiſerant, duobus exercitibus comparatis, uno Mar- „ chiam Forojulienſem, altero Bajoariam aggreſſi ſunt: „ ſed fruſtra. Nam in utroque loco victi fugatique ſunt, & „ multis ſuorum amiſſis, cum magno damno ad loca ſua ſe „ receperunt. Quam injuriam velut vindicaturi, Bajoariam „ iterum majoribus copiis petierunt: ſed in primo congreſ- „ ſu pulſi a Bajoariis, & innumera multitudo eorum cæſa, „ multi etiam ex iis qui per fugam evadere conati, Danu- „ bium tranare voluerunt, gurgitibus fluminis abſorpti „ ſunt. " Regino ad ann. 788. " Convictus eſt Taſſilo ad „ Avaros tranſmiſiſſe. *Et mox*. Eodem anno commiſſum „ eſt bellum inter Græcos & Langobardos, Ducibus Hilde- „ brando Spoletano & Grimaldo Beneventano, & Vvine- „ giſo a Rege directo cum Francis: & fugati ſunt Græci, „ & victores extiterunt Franci & Langobardi. Per id tem- „ pus pugna commiſſa eſt inter Avaros & Francos qui in „ Italia habitabant, & Deo largiente victoriam obtinue- „ runt Franci. Tertia pugna commiſſa eſt inter Avaros & „ Bajoarios in campo Iboræ (al. Iboſæ) & fuerunt ibi miſ- „ ſi Regis Grahamanus & Odoacer cum aliquibus Francis,

„ & Deo auxiliante victoria fuit Francorum ſeu Bajoario-„ rum. Quarta pugna fuit contra Avaros, qui voluerunt „ vindicare eos, qui in prælio ſuperius dicto conciderant: „ ſed, Deo adjuvante, victoria Chriſtianis ceſſit". Sigebertus Gemblacenſis ad ann. 787. "Bellum inter Francos, & „ Avaros oritur. *Et ad ann.* 788. In Italia inter Græcos & „ Romanos pugnatur. Secundo in Italia inter Francos & Avaros pugnatur. Tertio inter Avaros & Bajoarios pugnatur. „ Quarto inter Avaros & Francos pugnatur: & in omnibus „ Carolus ſuis proveniſſe victoriam lætatur". In Annalibus Francorum tom. 1. pag. 16. ad annum 789. quatuor hæc prælia ponuntur. Sed Annales Bertiniani, Metenſes, Fuldenſes, & alii, cum Eginhardo, & Reginone conveniunt. Pagius ad ann. 788. num. VII. "Porro bellum iſtud Hunnicum „ diverſum eſt ab eo, quod poſtea per annos octo a Carolo „ geſtum fuit, anno 791. inchoatum, annoque 799. confe-„ ctum." Cauſam vero belli iſtius Hunnici ad ann. 788. commiſſi dediſſe videntur Græci & Bajoarii: Græci quidem, quum vellent Langobardos ſuæ ditioni ſubigere; & Bajoariorum Dux Taſſilo, quum in Carolum rebellare decreviſſet, Hunnos vicinos ſuos partim in Forojulianum Ducatum incitarunt, partim in Bajoariam ipſam.

V. Slavi Vvilſi, quorum Rex Vvitzan, anno 789. a Carolo Magno ſubjugantur.

Anno 789. Carolus Rex ſubigit Sclavos, qui Vvilſi dicuntur. Chronicon Moiſſiacenſe. "Et in ſequenti anno (*h. e.* 789.) Karolus Rex per Saxoniam pervenit uſque ad Sclavos, qui dicuntur Wilſi. Et venerunt Reges terræ illius cum Rege eorum Tranquito ei obviam, & petita pace, tradiderunt terras illas univerſas ſub dominatione ejus, & ſe ipſi traditi ſunt". Mendum in Regis nomine, qui hic dicitur *Tranquitus*, quum *Tranquiti* ſeu potius *Dragawiti* nomen fuerit urbis, non Regis Eginhardus ad ann. 789. "Natio quædam Sclavonorum eſt in Germania, ſedens ſuper litus Oceani, qui „ propria lingua Weletabi, Francica autem Vvilſi vocan-„ tur. Ea Francis ſemper inimica, & vicinos ſuos, qui „ Francis vel ſubjecti, vel fœderati erant, odiis inſecta-„ ri, belloqne premere ac laceſſere ſolebat. Cujus inſo-„ lentiam Rex longius ſibi non ferendam ratus, bello eam

„ ag-

„ aggredi ſtatuit : comparatoque ingenti exercitu , Rhe-
„ num apud Coloniam trajecit . Inde per Saxoniam iter
„ agens, quum ad Albiam perveniſſet, caſtris in ipſa poſitis
„ amnem duobus pontibus junxit , quorum unum ex utro-
„ que capite vallo munivit , & impoſito præſidio firmavit .
„ Ipſe fluvio tranſito , quo conſtituerat exercitum duxit :
„ ingreſſuſque Vvilſorum terram , cuncta ferro & igni va-
„ ſtari juſſit . Sed gens illa quamvis bellicoſa , in ſua nu-
„ meroſitate confidens , impetum exercitus regii diu ſuſti-
„ nere non valuit : ac proinde quum primum in civitatem
„ Dragavviti ventum eſt , Vviltzan (nam is cæteris Vvil-
„ ſorum regulis & nobilitate generis , & auctoritate ſene-
„ ctutis præeminebat) extemplo cum omnibus ſuis ad Re-
„ gem de civitate proceſſit : obſides qui imperabantur de-
„ dit , fidem ſe Regi ac Francis ſervaturum jurejurando
„ promiſit . Quem cæteri Sclavorum primores ac reguli
„ ſequuti, omnes ſe Regis ditioni ſubdiderunt. Tum ille ſub-
„ acto illo populo , & obſidibus quos dare juſſerat accep-
„ tis , eadem via qua venerat , ad Albiam regreſſus eſt : &
„ exercitu per pontem reducto , rebus quoque ad Saxones
„ pertinentibus ſecundum tempus diſpoſitis , in Franciam
„ reverſus eſt ". Poëta Saxonicus *Wilſos* vocat *Sclavorum gentem* , Oceani litora incolentem , *jungit ubi Oceano proprios Germania fines* : de Rege autem eorum , hæc habet : *In primis Rex Dragawiti , quem nobile clarum præ reliquis fecit genus & maturior ætas* : Ubi Ducheſnius in margine hanc appoſuit notam . *Acquieſcendum hic in Auctoris ſententia . Nam Francorum Annales variant , & Regem hunc* Wiltzan *vocant , qui infra Auctori eſt Rex Obotritorum* . Nimirum ſuſpicatur vir doctus a Poëta dictum hunc Regem *Dragawitum* . Verum hoc Poëta non dicit , ſed eum ſcribit eſſe Regem *Dragawiti* , ſcilicet civitatis . Alii Annaliſtæ præter *Wilzorum* nomen , alia Sclavorum exprimunt . Fuldenſis ad 789. " Carlus per Saxones iter faciens,
„ venit ad Albim fluvium , habens in exercitu ſuo Francos
„ Saxones Sorabos & Abodritos , quorum Princeps erat
„ Vvitzan . . . . Tranſito flumine , Sclavorum qui vocan-
„ tur Vvilzi , terram ingreſſus, magnis eos præliis domuit.
„ *Ber-*

„ *Bertinianus*. Fuerunt etiam Sclavi cum eo, quorum vocabula ſunt hæc, Suburbi, nec non & Abotriti, quorum „ princeps fuit Vvitzan ". Metenſis: *Fuerunt etiam cum eo Sclavi, Survi, & Abotrudi, quorum princeps vocabatur Vvitzan*. Regino. *Fuerunt autem cum eo Sclavi, Urbi, & Abotrudi, quorum princeps vocabatur Vvizan*. Corrupta Sclavorum nomina. Legendum proinde. *Sclavi, Sorabi, & Abotriti*, ſeu *Obotriti*. Annales Francorum tom. 2. p. 17. id factum ad ann. 790. conferunt. De Rege Obotritorum Vvizan, mox ſermo redibit.

VI. Hunnorum cum Francis circa limites anno 790. altercatio.

Anno 790. Eginhardus: " Hoc anno nulla expeditio a „ Rege facta eſt, ſed in Vvormacia reſidens, Legatos „ Hunnorum & audivit, & ſuos viciſſim ad eorum Principes miſit. Agebatur de confiniis inter eos Regnorum „ ſuorum, quibus in locis eſſe deberent. Hæc contentio atque altercatio, belli, quod poſtea cum Hunis geſtum „ eſt, ſeminarium & origo fuit ". Poëta Saxonicus hoc ipſum refert ad ann. 790. Indict. XII.

Illic Hunnorum Miſſos audivit, ad illos
Ipſe ſuos etiam miſit. Nam maxima cauſa
Hos inter populos (Francos ſcil. & Hunos) *litem commovit atrocem,*
Dum quo Regnorum confinia certa ſuorum
Eſſe loco veteri deberent jure ſtatuta,
Ingenti ſtudio diſceptaretur utrinque.
Hæc & origo fuit belli, quod poſteriori
Tempore cum Hunnis (Chunis) *Franci geſſiſſe probantur.*

Annales Francor. ad ann. 790. pag. 23. *& venit ibidem legatio Hunnorum: & tranſmiſit* Carolus *maximam partem de exercitu ſuo in Bagoriam contra ipſam infandam gentem Hunnorum, quum ſcilicet confinia Francorum & Hunnorum, per legatos terminari non potuiſſent*.

VII. Reportata a Carolo M. de Hunnis Pannoniæ anno 791. victoria.

Anno 791. Primus annus belli a Carolo geſti in Hunnia, ideſt Pannonia, Hunnis Abaribus tum ſubjecta. Eginhardus. *Tranſacto vere, circa æſtatis initium Rex de Vvormacia movens, Bajoariam profectus eſt ea meditatio-*

tatione, ut Hunis factorum ſuorum vicem redderet, & eis quamprimum poſſet bellum inferret. Comparatis igitur ad hoc ex omni Regno ſuo quam validiſſimis copiis & commeatibus, bipartito exercitu iter agere cœpit. Cujus partem Thederico Comiti & Meginfrido Cubiculario ſuo committens, eos per Aquilonarem Danubii ripam iter agere juſſit. Ipſe cum parte, quam ſecum retinuit, Auſtralem ejus fluminis ripam, Pannoniam petiturus, occupavit, Bajoariis cum commeatibus exercitus, qui navibus devehebantur, per Danubium ſecunda aqua deſcendere juſſis. Ac ſic inchoato itinere, prima caſtra ſuper Aneſum poſita ſunt, nam is fluvius inter Bajoariam atque Hunnorum terminos medius currens, certus duorum Regnorum limes habebatur. Ibi ſupplicatio per triduum facta, ut id bellum proſperos ac felices haberet eventus. Tum demum caſtra mota, & bellum genti Hunnorum a Francis indictum eſt. Pulſis igitur Hunnorum prȩſidiis, ac deſtructis munitionibus, quarum una ſuper Cambum fluvium, altera juxta Comagenos civitatem in monte Cumeberg, vallo firmiſſimo erat extructa, ferro & igne cuncta vaſtantur. Quumque Rex cum eo, quem ducebat, exercitu uſque ad Arrabonis fluenta veniſſet, tranſmiſſo eodem fluvio, per ripam ejus uſque ad locum, quo is Danubio miſcetur, acceſſit, ibique ſtativis per aliquot dies habitis, per Bajoariam reverti ſtatuit. Alias vero copias, quibus Thedericum & Meginfridum præfecerat, per Behemannos, via qua venerant, reverti præcepit. Sic peragrata ac devaſtata magna parte Pannoniæ, cum incolumi exercitu Francorum in Bajoariam ſe recepit. Hæc breviter Sigebertus in Chron. Ann. 791. *Carolus Rex Regnum Avarorum terra marique impetit, eiſque in ſola fuga ſpem evadendi relinquit.* Chronicon uſque ad ann. 810. productum, & a Ducheſnio. Tom. 3. publicatum. *Carlus Rex primum fuit in Chunia.* Aliud ad ann. 799. perductum Tom. 2. Ducheſnii p. 10. " Hoc anno domnus Rex Karolus commoto
„ magno exercitu perrexit in Hunia, ibique habuit conflictum magnum cum Hunis, & vaſtavit Hunia plaga magna
„ uſque flumen Raſa, cum præda magna Deo protegente
„ victor revertit in Franciam. „ Aliud eod. Tom. 2. p. 17.
(ad

(ad annum tamen 792.)"Inde autem itinere permoto partibus Bajoariæ, pervenit ad Ragnisburg,& inde promovens venit adAniſam:inde adComisberg.Avari enim quum vidiſſent,timore perterriti loca munita dereliquerunt in fugam lapſi: Rex cum exercitu ipſos fines ingreſſus,uſque ad fluvium Raba pervenit ."Eodem Tom.2. pag.23. cauſa hujus belli exponitur : "Ibique (*in Reganesburg*) conſilio peracto,Francorum, Saxonum,Friſonum, diſpoſuerunt, propter nimiam malitiam & intolerabilem , quam fecerunt Avari contra Sanctam Eccleſiam , vel populum Chriſtianum, unde juſtitias per Miſſos impetrare non valuerunt , iter peragendi , cum Dei adjutorio , partibus jam dictis Avarorum perrexerunt " . Vel ut habent alii Annales ibid. pag. 36. " iter, fuit conſilium, peragendi cum Dei adjutorio , partibus jamdictis Avarorum : & perrexerunt ad Aniſam fluvium properantes " . In editione Caniſii additur hoc : " Sed & ille tertius exercitus , quem Pipinus filius ejus de Italia tranſmiſit , introivit in Illyricum , & inde in Pannoniam , & fecerunt ibi ſimiliter, vaſtantes & incendentes terram illam , ſicut Rex feciſſet cum exercitu ſuo ubi erat " . Verum in hac ipſa editione modo *Danaus* modo *Danubius* dicitur : " Et ſic intravit ipſe per partes jam in fines Hunnorum, ex meridiana parte Danaum , ſed & de alia parte Danaum alius exercitus Ripuariorum , & Friſonum , & Saxonum , cum Thuringis . Sed & navalem hoſtis per Danubium , ut ex utraque ripa Rex poteſtatem habere potuiſſet cum exercitu ſuo , & ſic intravit terram illam iſtinc & illinc . In medio autem erat exercitus navalis " . Nomina locorum, quæ apud Annaliſtas Francicos hic diverſis modis proferuntur , exponit Pagius ad ann. 791. num. 3. Regnum Avarum ſeu Hunnorum , Antiqui modo *Huniam* , modo *Chuniam* vocitabant . Ejus Regni ditiones in Auſtrales & Boreales medius dividebat Danubius , cui commiſcentur in hodierno Auſtriæ Archiducatu *Aniſus* ſive *Aneſus* (al. Aniſa, Anaſe , vulgo *Ens*) *&* *Cambus* (al. Campus , vulgo *Camb* ,) Francorum eorumdemque Avarorum certi tunc termini . *Aniſus* ad urbem cognominem ſubit dexteram Danubii ripam,

pam, ſiniſtram *Cambus* infra Chrembſam oppidum (vulgo *Chrembs*) e regione Trigiſami, vulgo *Traſmaur*. *Raba* ſive *Arabo*, (al. Rabah, Raſa,) quem Carolus pertranſiit, fluvius eſt in hodierna Hungaria cuique notus, vulgo *Rab*. *Cumeberg*, (al. *Cummiberg*, *Cumberg*, *Cammeoberg*,) Cumanus mons. *Reganesburg*, *Renesburg*, *Regnesburg*, *Ragenesburg*, *Raganisburg*, *Reginum* civitas, hodie *Ratisbona*. Cæterum de iſta a Carolo in Hunia de Abaris reportata victoria, exſtat ejuſdem Caroli M. Epiſtola ad Faſtradam Reginam ex edit. Jacobi Sirmundi evulgata a Ducheſnio Tom. 2. pag. 187. qua hæc habet de miſſo ſibi a Pipino Rege filio ſuo nuncio: " Et inſuper retulit nobis, „ qualiter illæ Scaræ, quas prius de Italia juſſimus pergere partes Avariæ, in illa confinia reſidendum, perrexerunt infra fines ipſorum x. Kal. Sept. & inierunt pugnam cum eis. Et dedit eis Deus omnipotens pro ſua miſericordia victoriam, & multitudinem de ipſis Avaris interfecerunt, in tantum, ut dicunt, quod in multis diebus major ſtrages de ipſis Avaris facta non fuit. Et expoliaverunt ipſum vallum, & ſederunt ibidem ipſa nocte, vel in craſtina, uſque hora diei tertia, & acceptis ſpoliis reverſi ſunt in pace. Et centum quinquaginta de ipſis Avaris vivos comprehenderunt, quos reſervaverunt, ut noſtra fiat juſſio, qualiter exinde agere debeant. Fideles Dei ac noſtri, qui hoc egerunt, fuerunt ille Epiſcopus, ille Dux, ille & ille Comites. Ille Dux de Hiſtria, ut dictum eſt nobis, ibidem benefecit cum ſuis hominibus. Vaſſi vero noſtri fuerunt illi. Nos autem Domino adjuvante, tribus diebus Litaniam fecimus, ideſt, Nonis Septembris, quod fuit Lunis die, incipientes, & Martis, & Mercoris ". Cætera.

VIII. Saxones Chriſtianam fidem, quam acceperant, ejurantes, miſſa ad Hunnos Abares legatione, illos ad arma in Francos convertenda anno 792. ſollicitant.

Anno 792. Chronicon Moiſſiacenſe. " Eodem anno „ reſedit Rex in Bajuaria, & apud Raganisburg celebravit Paſcha. Sed appropinquante æſtivo tempore, Saxones exiſtimantes quod Avarorum gens ſe vindicare voluiſſet, hoc quod in corde eorum diu latebat, manifeſtiſſime oſtenderunt. Quaſi canis qui revertitur ad vomitum ſuum, ſic reverſi ſunt ad Paganiſmum, quem primum

,, reſpuerant, relinquentes iterum Chriſtianitatem, conjungunt ſe cum Paganis, qui in circuitu eorum ſunt. Sed ,, & miſſos ſuos ad Avaros tranſmittentes, conati ſunt rebellare inprimis contra Dominum, deinde contra Regem &c." Annales Francorum ex Codice Bavarico, quem ſequutus eſt Caniſius, Tom. 2. Ducheſnii pag. 38. hanc Saxonum defectionem ad ann. 793. referunt. Idipſum tradit Eginhardus ad eundem annum 793. *In hoc opere* (foſſa ſcil. navium capace, inter Radantiam & Almonum fluvios ducenda) *occupato, duo valde diſplicentia de diverſis terrarum partibus allata ſunt. Unum erat Saxonum omnimoda defectio &c.* Addunt Annaliſtæ Francorum ad ann. 792. Pontem ſuper Danubium a Carolo Rege factum, anchoris & funibus ita cohærentem, ut jungi & diſſolvi poſſet. Poëta Saxonicus pag. 156.

In Bajoaria vero regione moratus,
Inſtabat Princeps navalem condere pontem,
Qui per Danubium bello prodeſſet agendo,
Quod contra ſævos olim ſuſceperat Hunos.

Eginhardus: *Rex autem propter bellum cum Hunis ſuſceptum, in Bajoaria ſedens, pontem navalem, quo in Danubio ad id bellum uteretur, ædificavit.*

IX. Ponte navali ſuper Danubium conſtructo Carolus Magnus dum copias ſuas anno 793. in Pannoniam mitteret, hæ a Saxonibus interceptæ delentur.

Anno 793. Eginhardus. *Quum Rex bellum a ſe inchoatum conficere cuperet, & Pannoniam iterum petere decreviſſet, nunciatum eſt copias, quas Thedericus Comes per Friſiam ducebat, in pago Rhiuſtri juxta Viſiram a Saxonibus eſſe interceptas atque deletas.* Poëta Saxonicus.

Quum Rex ad ceptum ſtatuiſſet conficiendum
Belli certamen, Hunos invadere rurſus,
Comperit extinctas, Theodricus Dux Legiones
Quas per Freſoniam pagum Hriuſti vocitatum
Ducebat. Nam Saxonum periere doloſis
Inſidiis, captæ Viſuræ prope litera pulchræ.
Diſſimulans igitur tanti infortunia damni,
Intermiſit iter, quo diſponebat adire
Pannonias, & cum Hunis committere pugnam,

Annales Francorum Tom. 2. pag. 10. *Glorioſus Rex Karolus iterum reſedit Bavvarios, miſſiſque exercitibus ſuis*

ſuis vaſtavit Hunia , victorque reſedit Bavvarios .

X.

Vvitzan Slavorum Vvilſorum & Abotritorum Rex dum ad Carolum M. tamquam foedere junctus accederet , a perfidis Saxonibus anno 795. cæditur . Carolus M. Saxoniam vaſtat , & acceptis obſidibus in Franciam revertitur . Tudo ſeu Theudo Hunnorum Abarum Rex Legatos ad Carolum mittit , ſeque cum ſuis fidem Chriſti ſuſcepturum ſpondet.

Anno 795. Theodo vel Thudo, aut Todanus, alias Thudun, Hunnorum Princeps, legatos ſuos ad Carolum miſit, ſeque cum ſuis fidem Chriſtianam ſuſcepturum ſpopondit. Ad eund. Carolum quum Vvitzan Sclavorum Obotritorum Rex tamquam foedere junctus accederet, a Saxonibus per inſidias interfectus eſt . Eginhardus . " Quamquam Saxones æſtate ,, præterita & obſides dediſſent , & ſecundum quod juſſi ,, erant , ſacramenta juraſſent ; Rex tamen illorum perfidiæ non immemor , conventum generalem trans Rhe- ,, num in villa Cuſſenſtein , quæ ſuper Mœnum contra Mo- ,, guntiacum urbem ſita eſt , more ſolito habuit , atque in- ,, de cum exercitu Saxoniam ingreſſus , pene totam popu- ,, lando peragravit . Quumque in pagum Bardengau per- ,, veniſſet , & juxta locum qui Bardenvvig vocatur , poſi- ,, tis caſtris , Sclavorum quos ad ſe venire juſſerat , expe- ,, ctaret adventum ; ſubito ei nunciatum eſt , Vvltzan Re- ,, gem Abotritorum, quum Albim trajiceret, in diſpoſitas a ,, Saxonibus inſidias in ipſo flumine incidiſſe , & ab eis eſ- ,, ſe interfectum . Quod factum animo Regis ad Saxones ,, citius debellandos velut quoſdam ſtimulos addidit , & in ,, odium perfidæ gentis amplius excitavit . Terra igitur ,, magna parte vaſtata , & obſidibus quos dare juſſerat ac- ,, ceptis , in Franciam reverſus eſt . In hac expeditione ,, dum caſtra ſuper Albim haberet , venerunt ad eum lega- ,, ti de Pannonia , unus ex primoribus Hunorum , qui apud ,, ſuos vocabatur Thudun . Is & ſuum adventum , & ſe ,, Chriſtianum fieri velle promiſit . ,, Ad Sclavos quod attinet , Annales Francor. tom. 2. pag. 10. *DCCXCV. eodem anno interfectus fuit a Saxones Vvitſilus Dux in Vvinedis.* Abotriti enim alias Vvinithi , & Vvinedæ appellantur . Vita Karoli M. incerto auctore , ibid. pag. 57. " Audiens ve- ,, ro quod Saxones more ſolito promiſſionem ſuam , quam ,, de Chriſtianitate ſervanda , & fide Regi tenenda fece- ,, rant , irritam feciſſent, cum exercitu Saxoniam ingreſ- ,, ſus eſt , & uſque ad fluvium Albim pervenit , ad locum ,, qui dicitur Liuhni : in quo tunc *Vvizin* Abodritorum

„ Rex a Saxonibus occiſus eſt . Poëta Saxonicus ad ann. 795. Ind. 2.

Rex Abodritorum fuit is , cognomine Vvitzan .
& paulo ſuperius .

. . . *quos juſſerat ad ſe*
Pergere Sclavorum Proceres ſibi fœdere junctos .

Annales Fuldenſes. *Anno 795. Carlus cum exercitu Saxoniam ingenti populatione vaſtando, pervenit uſque ad locum, quem vocant Liuni , ubi Vvitzan Dux Obodritorum ad Regem pergere volens, a Saxonibus occiſus eſt .* Ita & Annales Bertiniani , & Metenſes . At Regino : *& uſque ad fluvium Albiam pervenit ad locum qui dicitur Hiliuni , in quo iiſdem diebus Vvitzam Abrotitorum Rex a Saxonibus occiſus fuerat .* Annaliſta Anonymus , qui ab anno 794. uſque ad annum 803. res a Carolo Magno geſtas proſequutus eſt , extatque lib. 2. Biblioth. Cæſar. cap. 5. " Sed & tunc omnes ad eum venientes , excepto his , quos jam ſupra „ commomoravimus , & hi qui trans Albe erant ; ipſi ad „ eum (*Carolum*) pleniter adhuc non venerunt , eo quod „ vaſſum Domni Regis (*id eſt Vaſſallum ſeu clientem*) Vvizin Regem Abotridarum occiderunt ; ideo non credebant , quod in gratia ejus pervenire potuiſſent ". Hæc geſta ad ann. 795. ab omnibus referuntur , præter Annaliſtam Francicum Tom. 2. pag. 17. qui ad annum ſequentem differt , nulla tamen de Vvitzan Abotritorum Rege facta mentione : ſed tantum de Avaris , in hæc verba : " Ibi etiam „ venerunt miſſi Thudun , qui in gente , & Regno Avaro„ rum magnam poteſtatem habebat . Qui dixerunt , quod „ ibi Thudun cum terra & populo ſuo ſe Regi tradere „ vellet , & Chriſtianam fidem ſuſcipere ". Verum legationem Thuduni Avarorum Regis ad annum 795. Annaliſtæ omnes conferunt , Poëta Saxonicus :

Tunc ex Hunnorum quidam primoribus illuc ,
Tudun habens nomen , venit per longa viarum ,
Velle fatebatur Regi qui ſubdere ſeſe ,
Et Chriſto Domino devota credere mente .

Annales Fuldenſes . *In eo loco Tudun , qui in gente Hunnorum*

Digitized by Google

norum magnæ poteſtatis erat, per Legatos ſuos ſe & terram cum populo cui præerat, Regi daturum, & Chriſtianum futurum eſſe promiſit. Bertiniani: *Ibi etiam venerunt Miſſi Tudun, qui in gente & regno Avarorum magnam poteſtatem habebant* (lege, habebat:) *qui dixerunt: quod idem Tudun cum terra & populo ſuo ſe Regi dedere vellet, & ejus ordinatione Chriſtianam fidem ſuſcipere vellet*. Idipſum & Annales Metenſes. Regino quoque: *Ibi etiam venerunt Miſſi a Thudone, qui in gente & regno Avarorum magnam poteſtatem habebat, affirmantes quod idem Thudon cum terra & populo ſuo ſe Regi dare vellet, & ejuſdem ordinatione Chriſtianam fidem ſuſcipere*. Itaque non hoc anno 795. uti innuit Eginhardus, ſed ſequenti venit Theudo ad Carolum Magnum; quemadmodum mox patebit: legatio enim ejus præceſſit, uti ex Annaliſtis demonſtratum eſt. Pagius Hunnorum Avarum Baptiſmum ad hunc annum 795. narrat. Verum id anno 796. contigiſſe, ex his quæ mox recitabimus, manifeſtum fit.

XI. Theudo cum Hunnis Abaribus ſuis baptizatur. Alii Abarum Principes inteſtina clade pereunt. Henricus Dux Forojulienſis cum *Svonimiro* Sclavo in Pannoniam ingreſſus, Abares ſuperat, eorumque theſaurum, Ringum dictum, ſpoliat, & ad Carolum M. anno 796. mittit.

Anno 796. Theudo cum Abaribus ſuis Baptiſmum ſuſcepit. Alii Abarorum Principes inteſtina clade interfecti. Dux Forojulianus cum *Svonomiro* Sclavo in Pannoniam miſſis exercitibus, Abares ſuperavit, & theſaurum Regium ad Carolum miſit. Eginhardus ad ann. 796. " Romæ Adriano " defuncto, Leo Pontificatum ſuſcepit. Et mox per Lega- " tos ſuos Claves Confeſſionis S. Petri, ac vexillum Ro- " manæ Urbis cum aliis muneribus Regi miſit: rogavitque " ut aliquem de ſuis optimatibus Romam mitteret, qui po- " pulum Romanum ad ſuam fidem atque ſubjectionem per " ſacramenta firmaret. Miſſus eſt ad hoc Engilbertus Ab- " bas Monaſterii S. Richarii. Per quem etiam tunc ad " S. Petrum magnam partem Theſauri, quem Ericus Dux " Forojulienſis, ſpoliata Hunnorum Regia, quæ Ringus " vocabatur, eodem anno de Pannonia Rege detulerat, " miſit: reliquum vero inter optimates & aulicos, cæteroſ- " que in Palatio ſuo militantes, liberali manu diſtribuit. " Atque iis expletis, ipſe cum exercitu Francorum Saxoniam " petiit. Pipinum vero filium ſuum cum Italicis ac Bajoa- " ricis copiis in Pannoniam ire juſſit: & ipſe quidem Sa-

" xo-

„ xonia magna ex parte vaſtata, ad hiemandum Aquaſgra-
„ ni Palatium revertitur; Pipinus autem Hunis trans Ti-
„ zam fluvium fugatis, eorumque Regia, quæ, ut dictum
„ eſt, Ringus, a Langobardis autem Campus vocatur, ex
„ toto deſtructa, direptis pene omnibus Hunorum opibus,
„ ad patrem Aquiſgrani hyberna habentem venit: ac ſpolia
„ Regni quæ ſecum detulit, eidem præſentavit. Thudun
„ etiam, de quo ſuperius mentio facta eſt, fidem dictis
„ ſuis adhibens, ibidem ad Regem venit: ibique cum om-
„ nibus, qui ſecum venerant, baptizatus ac remuneratus
„ eſt. Poſt datum fidei ſervandæ ſacramentum, domum
„ rediit; ſed in promiſſa fide diu manere noluit: nec mul-
„ to poſt perfidiæ ſuæ pœnas dedit „. Poëta Saxonicus,
una cum Pipino ad Carolum patrem poſt devictos Hunnos
accedente, Teudonem iviſſe ſcribit.

Ad patrem victor memorata venit in Aula
Pippinus, Regni cui theſauros ſpoliati
Attulit, exuviaſque Ducum, vexillaque capta.
Cum quo jam dictus Tudun quoque venerat illuc,
Promiſſiſque fidem propriis adhibere ſategit,
Cum toto Comitum numero Baptiſma ſuorum,
Percipiens, etiam per ſacramenta ſpopondit,
Se fore ſubjectum Francis, fidumque per ævum.
Sed poſtquam rediit, mutans promiſſa fidemque,
Perfidiæ luerat parvo poſt tempore pœnas.

De ſpoliata veroHunnorum Regia, paulo ſuperius hæc idem
Poëta.

Nam ſpoliata fuit Hunnorum Regia, Hringum
Quam vocitant. Hanc Dux Erichus hoc ceperat anno.

nimirum 796. Indict. III. Verum hæc fuſius ab aliis Anna-
liſtis narrantur. Vita Karoli Magni Tom. 2. pag. 57. " Sed
„ & Heiricus Dux Forojulienſis, miſſis hominibus ſuis cum
„ Vvonomiro Sclavo in Pannonias, Hringum gentis Ava-
„ rorum longis retro temporibus quietum, civili bello
„ fatigatis inter ſe Principibus, ſpoliavit. Cagan, ſive Ju-
„ gurro inteſtina clade a ſuis occiſis, theſaurum priſcorum
„ Regum, longa ſeculorum prolixitate collectum, domno
„ Regi Karolo Aquiſgrani miſit. Quo accepto, peracta
„ Deo

„ Deo largitori omnium gratiarum actione, idem pruden-
„ tiſſimus Dei diſpenſator magnam inde partem Romam ad
„ Limina Apoſtolorum miſit per Angelbertum dilectum ſibi
„ Abbatem. Porro reliquam partem optimatibus, Clericis
„ ſuis vel Laicis cæteriſque fidelibus ſuis largitus eſt. Eo-
„ dem anno Tudun ſecundum pollicitationem ſuam cum
„ magna parte Avarorum ad Regem venit, ſeque cum
„ populo ſuo & patria Regi dedens, ipſe cum ſuis bapti-
„ zatus eſt: & honorifice muneribus donati redierunt.
„ Rex collectis exercitibus Saxoniam ingreſſus eſt, & fi-
„ lium ſuum Pippinum Regem Italiæ in Pannonias miſit
„ cum exercitu: cujus Legationes ad eum in Saxonia ve-
„ nerunt, quarum una nunciavit ei, occurriſſe Cagan cum
„ cæteris optimatibus, quem ſibi Avares poſt interfectio-
„ nem priorum conſtituerant. Altera dixit, Pippinum cum
„ exercitu ſuo in Rhingo ſedere. Et domnus Rex peragrata
„ Saxonia, cum integro exercitu in Gallias ſe recepit, &
„ Aquis Palatio Pippinum filium ſuum e Pannonia redeun-
„ tem & partem theſauri quæ remanſerat adducentem lætus
„ aſpexit: & ibidem natalem Dñi ac Paſcha celebravit „.
Eadem Annaliſtæ Metenſis, Bertinianus, Fuldenſis, & Regi-
no: ſed Regino & Annaliſta Metenſis, *Hringum* Avaro-
rum Regiam, perperam vocant, *Avarorum* Principem.
Regino: " Henricus Dux Forojulianorum miſſis hominibus
„ cum Vvonimiro Sclavo in Pannoniam, Iringum gentis
„ Avarorum Principem, longis retro temporibus, qui eum
„ (*lege quietum*,) civili bello fatigatis inter ſe Principi-
„ bus, improviſe exſpoliavit „. Metenſis. " Sed & Heri-
„ cus Dux Forojulianorum miſſis hominibus ſuis cum Vvo-
„ nomiro Sclavo in Pannoniam, Hirigum gentis Avarorum
„ Principem, longis retro temporibus quietum: „ &
cætera. Nec meliora Annaliſta Loiſelianus apud Pagium ad
ann. 796. num. 16. " Heiricus Dux Furjulienſis, miſſis ho-
„ minibus ſuis cum Vvonomiro Sclavo in Pannonias, Hri-
„ gum gentis Avarorum longis retro temporibus quietum,
„ Civili bello fatigatis inter ſe Principibus, ſpoliavit „:
ubi Hrigum pro Rege Avarum ſumit. Sed quid ſit *Hringe*,
exponit Lambecius vir doctus lib. 2. Biblioth. Cæſar. p 379.
ubi

Digitized by Google

ubi ait vocabulum eſſe Germanicum, & hoc loco ſignificare locum rotundum ſive orbiculatum, in meditullio caſtrorum vel munimenti, vel conſeſſus, alicui ſitum, quem honoris & ſecuritatis cauſa Rex cum ſuis optimatibus obtinet. Eodem fere modo vocem illam Germanicam explicat Cangius in Gloſſario ſuo. Anonymus a Lambecio editus.
„ In ipſa æſtate tranſmiſit Rex Carolus Pippinum filium
„ ſuum cum ſuis, quos in Italia ſecum habebat, & Bajoa-
„ rios cum aliqua parte Alamaniæ, in finibus Avarorum;
„ & coadunatus eſt Pipinus cum omnibus, quos Pater
„ ejus ei tranſmiſit in ſolatium: & tranſito Danovio,
„ cum exercitu ſuo pervenit ad locum, ubi Reges Ava-
„ rorum cum Principibus ſuis ſedere conſueti erant,
„ quem & in noſtra lingua Hringe nominant: & inde
„ tulit theſauros multiplices, & tranſmiſit patri ſuo. „

Porro diſtinguenda eſt expeditio Hunnica ab Henrico Duce Forojulienſi ſuſcepta, ab expeditione Pipini Italiæ Regis, quæ poſt priorem peracta eſt. Verum an hæc Henrici expeditio ad præſentem, vel ad ſuperiorem annum pertineat, Annaliſtis inter ſe diſſidentibus, ſciri non poteſt. Annales Francorum tom. 2. pag. 17. utramque ad ann. 797. conferunt. Cæteri ad annum antecedentem.

XII. Hunni in Pannonia alii Abares, alii Iguri; pluribus etiam Regulis ſubjecti. De Hunnorum ad Chriſti fidem converſione, Epiſtola Alcuini ad Paulinum Patriarcham Forojul. & carmen Theodulfi Aurelian. Epiſc. ad Carolum. Quiſnam Vonimirus Slavorum Princeps?

Jam vero ad Reges Hunnorum Abarum quod attinet, apud omnes Annaliſtas ſic legitur: *Chagano ſive Jugurro* (al. Vigurro) *inteſtina clade addictis & a ſuis occiſis, theſaurum priſcorum Regum a Duce Forojulienſi ſublatum & Carolo Regi miſſum*: Hunni enim non uni, ut olim, Regi, ſed pluribus Regulis ſeu Ducibus parebant, quorum unus *Chaganus* Hunnorum Abarorum, alter *Hunnorum Jugurorum*, tertius *Tudon* qui Baptiſmum ſuſcepit. Inde ortum civile bellum, quo pars virium conſumta eſt; inde quoque diverſa gentis unius conſilia, quæ multiplex etiam Religio ſic fovit, ut poſtmodum ſequuta ſit avulſio provinciarum.

Audita Abarorum ad Chriſti fidem converſione, Alcuinus Epiſtolam CXII. ad Paulinum Forojulienſem Patriarcham ſcripſit, in qua ait: " Mirabiliter de Avarorum
„ gente triumphatum eſt, quorum Miſſi ad Dominum Re-
„ gem

„ gem directi, ſubjectionem pacificam, & Chriſtianita-„ tis fidem promittentes; &, ſi hoc, divina eos præve-„ niente gratia, verum eſt, quis ſe ſervorum Dei tam „ pio & laudabili labori ſubtrahere debet, ut Diaboli di-„ ruatur ſævitia, & Chriſti Domini creſcat ſervitium „? In iiſdem literis Alcuinus eidem Paulino bis ſe paulo ante ſcripſiſſe teſtatur: *Binas veſtræ Paternitati paulo ante direxi cartulas, unam per Sanctum Epiſcopum Iſtrienſem, aliam per virum Venerabilem Æricum* (Henricum) *Ducem*: nimirum Forojulienſem, de quo ſupra. De eodem Henrico, deque Hunnia Epiſcopo Salisburgenſi ſive Juvavenſi ſubjecta, hæc Anonymus ab Henrico Caniſio tom. 6. editus: necnon a Ducheſnio Tom. 2. Franciçæ Hiſtoriæ Scriptorum pag. 220. ſub titulo: *De rebus Caroli Magni Regis cum Hunis & Slavis ſeu Bojariis, Fragmentum, ex Hiſtoria de Converſione Bojorum & Carentanorum ad fidem Chriſtianam*, quæ circa annum 871. ſcripta eſt." Carolus „ Imperator anno Nativitatis Domini 796. Æricum Comi-„ mitem (*Henricum Ducem*) deſtinavit, & cum eo immen-„ ſam multitudinem, Hunos exterminare. Qui minime „ reſiſtentes, reddiderunt ſe per præfatum Comitem Ca-„ rolo Imperatori. Eodem igitur anno miſit Carolus Pip-„ pinum filium ſuum in Hunos cum exercitu multo, qui „ perveniens uſque celebrem illorum locum, qui dicitur „ Rinch, ubi iterum omnes eorum Principes ſe dederunt „ Pippino. Qui inde revertens partem Pannoniæ, circa „ lacum Peliſſa inferioris ultra fluvium, qui dicitur „ Rapa (*Rab*) & ſic uſque ad Dravum fluvium, & eo „ uſque Dravus fluit in Danubium, prout poteſtatem ha-„ buit, prænominavit cum doctrina, & Eccleſiaſtico of-„ ficio procurare populum, qui remanſit de Hunis & Scla-„ vis de illis partibus, Arnoni Juvavenſi Epiſcopo, uſque „ ad præſentiam genitoris ſui Caroli Imperatoris. Poſt-„ modum ergo anno 803. Carolus Imperator Bojariam in-„ travit, & in menſe Octobri Salzpuſgenſem: & præfa-„ tam conceſſionem filii ſui cernens, poteſtative multis „ aſtantibus fidelibus ſuis confirmavit, & inconvulſam „ fieri juſſit. „ Hoc igitur anno 796. ut Francicis di-

Digitized by Google

ditionibus, ſic & Salisburgenſi diœceſi adjectus eſt terrarum tractus, qui protenditur uſque ad Dravi confluentes in Danubium, & eoſdem fluvios Dravum, & Danubium, atque Arabonem interjacet. De *Vvonimiro* ſeu *Svonimiro* Slavo, nulla apud Dalmaticæ hiſtoriæ ſcriptores ad hunc annum mentio. Videtur tamen is fuiſſe Slavorum Princeps, qui in Dalmatia ſedes fixerant: quique a Diocleate *Zuanimirus*, ab aliis *Satimirus* & *Svetmirus* appellatur, tametſi ad Heraclii tempora, immani prochroniſmo, rejicitur: quemadmodum poſtea dicam, ubi de *Ratimiro* Dalmatiæ & *Moymaro* Moraviæ Principe ſub Ludovico Germaniæ Rege, Ludovici Pii filii, & Caroli Magni Nepote, ſermo erit. Sublatis autem Hunnorum Principibus Chagano & Juguro, alium eodem anno 796. Chaganum ſibi Hunnos præfeciſſe, ex Francicis ſcriptoribus conſtat. Regino: *Eo tempore Rex cum exercitu Saxoniam intravit, & Pipinus Rex in Pannoniam cum exercitu introivit. Venit autem Legatio Pipini Regis ad patrem in Saxoniam, quæ dixit, Avaros poſt interfectionem priorum Ducum ſuper ſe conſtituiſſe Regem nomine Karam, & Pipinus contra eum certare diſponeret.* Annaliſta Metenſis eadem habet verba, ſed pro Karam, legit *Kajam*. Verum utrobique legendum eſſe *Cagan*, patet ex Annaliſta Bertiniano: *Rex vero . . . Pippinum filium ſuum, Italiæ Regem, in Pannonias cum exercitu miſit: cujus legationes ad Regem in eadem Saxonia venerunt: Una, quæ dixit occurriſſe ei Cagan cum cæteris optimatibus, quem ſibi Avares, poſt interfectionem priorum, conſtituerunt: altera quæ dixit, Pipinum cum exercitu in Hringo ſedere*: nimirum eodem Cagano jam devicto. Porro, ut ſæpe monuimus, *Cagan* nomen eſt dignitatis regiæ apud Hunnos & Turcos, non hominis proprium. Pagius ad ann. 796. num. 19. refert Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi ad Carolum Regem Carmen, in quo victoriam adverſus Hunos & eorumdem Hunorum converſionem ad Chriſtianam fidem gratulatur, converſoque etiam ad Saracenos, qui Cordubenſi Regno ſuberant, ſermone, ut Hunnorum exemplo Chriſtiani fierent, ſeſeque Carolo manciparent, hortatur.

Pane

Digitized by Google

Pone venit textis ad Chriſtum crinibus Hunnus,
Eſque humilis fidei, qui fuit ante ferox.
Huic ſocietur Arabs: populus crinitus uterque eſt,
Hic textus crines, ille ſolutus eat.
Cordoba prolixo collectas tempore gazas
Mitte celer Regi, quem decet omne decens.
Ut veniunt Avares, Arabes Nomadeſque venite,
Regis & ante pedes flectite colla, genu.

XIII. Hunnorum Abarum legati cum muneribus ad Carolum anno 797. miſſi.

Anno 797. Saxoniam petiit Carolus, caſtriſque ſuper Vviſiram fluvium poſitis conſedit, & locum caſtrorum Heriſtelli vocari juſſit. Eginhardus: *Ibi Legatos Hunnorum cum magnis muneribus ad ſe miſſos audivit & abſolvit.* Annales Bertiniani: *Illuc Legati Avarorum cum muneribus magnis venerunt.* Ita & Metenſes, & Poëta Saxonicus, & Annales Francorum tom. 2. pag. 39. & Regino ad ann. 797.

XIV. Thraſico Slavorum Obotritorum Dux commiſſo cum Northalbingis, ſive Tranſalbianis, qui Legatos Caroli Regis occiderant, prælio, victor extitit. Slavi illi adhuc erant gentiles, Carolo tamen ſubjecti.

Anno 798 Nortliudi trans Albiam habitantes Saxones commiſſo cum Sclavis Obotritis prælio victi ſunt. Eginhardus: " Tranſalbiani, qui Nordmanni vocantur, ſuperbia elati, eo quod Legatos Regis impune occidere potuerunt, arreptis armis contra Abotritos proficiſcuntur, quorum Dux Thraſico, cognito Tranſalbianorum motu, eis cum omnibus copiis ſuis in loco, qui Suentana vocatur, occurrit: commiſſoque prælio, ingenti eos cæde proſtravit. Nam in prima congreſſione quatuor millia eorum cecidiſſe narravit Legatus Regis Ebervvinus nomine, qui in eodem prælio fuit, & in Abotritorum acie dextrum cornu tenuit. Fuſi igitur fugatique, & multis ſuorum amiſſis, cum magna calamitate ad loca ſua reverſi ſunt. " Poëta Saxonicus, *Abodritorum Ducem Thaſconem* vocat: Northliudos vero *Hortalbingòs*. Annales Fuldenſes: " Tranſalbianos per Eburiſum Legatum ſuum, & Traſugonem Ducem Obodritorum in prælio vicit, cæſis in loco certaminis IV. millibus, cæteris pacem poſtulantibus. " Annales Francor. Tom. 2. p. 18. " Nortliudi contra Suchonem Ducem Abodritorum, & Eburiſum Legatum noſtrum, commiſſo prælio acie victi ſunt. Cæſa ſunt ex eis in loco prælii IV.mil-

„ IV. millia. „ Alii Annales eod. Tom. pag. 40. *contra Traſuconem Ducem Abodritorum*. Vita Karoli M. per Anonymum ibid. pag. 58. *contra Thraſiconem Ducem Abor-ditorum & Eburiſum Legatum Regis*. Moiſſiacenſis Annaliſta Tom. 3. pag. 143. " Et interim congregati ſunt Sclavi noſtri, qui dicuntur Abotridi cum Miſſis domni Regis ad illos: Saxones congregaverunt ſe in unum & commiſerunt prælia: & habuerunt victoriam, & cecidere Saxones in ipſa pugna duo millia octingenti & unus: & in Toringas ibi pervenerunt aliqui ad Regem, & honoravit eos Rex ut digni erant, mirifice. „ Bertinianus pag. 163. " Nortliudi autem contra Sigeonem Ducem Abodritorum, & Eboriſum Legatum noſtrum, commiſſo prælio acie victi ſunt. Cæſa ſunt ex eis in loco prælii 4. millia, cæterique fugerunt. „ Metenſis p. 288. " Nortliudi trans Albiam ſedentes, ſeditione commota, Legatos Regios, qui tunc ad juſtitias faciendas apud eos converſabantur, comprehenderunt, quoſdam ex eis trucidantes, cæteros ad redimendum reſervaverunt. *Et mox*. Nortliudi contra Tranſachonem Ducem Abrothidorum & Ebroinum Legatum Regis, commiſſo prælio victi ſunt &c. „ Regino ad 798. " Nortliudi contra Tranaſchonem Ducem Abotritorum & Hebbruinum legatum Regis, commiſſo prælio, victi ſunt. Cæſa ſunt ex eis in eo prælio 4. millia, cæterique fugerunt, de pacis conditione tractare cæperunt. Rex acceptis obſidibus a Saxonibus, in Franciam reverſus eſt. „ Annaliſta Lambecianus: " Et interim congregati ſunt Sclavi noſtri, qui dicuntur Abotridi, cum Miſſis domni Regis ad illos Saxones, qui in Aquilonis parte abierant, & vaſtaverunt terram illam & incenderunt; & illi Saxones congregaverunt ſe in unum, & commiſſum eſt forte prælium inter eos: & quamvis illi Abotridi fanatici erant (*ideſt*, *gentiles*) tamen fides Chriſtianorum, & domni Regis adjuvit eos, & habuerunt victoriam ſuper Saxones, & ceciderunt de ipſis Saxonibus ante eos in ipſa pugna 2901. & in North. Thuringos ibi pervenerunt ipſi Sclavi ad domnum Re-

„ gem,

„ gem, & honoravit eos domnus Rex ut digni erant mi-
„ rifice. „

XV. Sclavi & Bajoarii deſertam Hunnorum in Pannonia terram inhabitare incipiunt anno 798. In Juvavia ſive Salisburgo Archiepiſcopalem dignitatem Arno, qui jam Epiſcopus fuerat, obtinens, ordinatum a ſe Theodoricum Epiſcopum, & a Geroldo Comite perductum, mittit in Sclaviniam, ut regionem Carinthianorum Evangelica luce imbueret.

Ad eundem annum 798. Carolus Rex Hunnos, a filio Pipino, Italiæ Rege, anno 796. ſubactos, per præcones Evangelicos ad Chriſti fidem adducendos curavit. Anonymus Diſcipulus B. Eberardi Archiepiſcopi, in Vita Sancti Virgilii Epiſcopi Salisburgenſis apud Caniſium Tom. VI. Antiq. Lect. " Poſtquam Carolus Imperator Hunnis ejectis, & Epiſcopatus dignitatem Juvavenſis Eccleſiæ Rectori commendavit, Arnoni ſcilicet Archiepiſcopo & ſuis Succeſſoribus, tenendi perpetualiter atque regendi perdonavit; cæperunt populi, ſive Sclavi ſive Bajoarii inhabitare terram, unde illi expulſi ſunt Hunni, & multiplicari. „ Et in vita Sancti Ruperti Salisburgenſis Epiſcopi primi apud eundem Caniſium." Interim contigit anno videlicet Nativitatis Domini 798. Arnonem
„ jam Archiepiſcopum a Leone Papa accepto Pallio, re-
„ meando de Roma, veniſſe ultra Padum, eique obviaſſe
„ Miſſum Caroli cum Epiſtola ſua, mandans illi ipſo iti-
„ nere in partes Sclavorum ire, & exquirere voluntatem
„ populi illius, & prædicare illi verbum Dei. Sed quia
„ hoc facere nequivit, antequam reſponſum redderet
„ ſuæ Legationis, feſtine perrexit ad Imperatorem, &
„ retulit ei quidquid per eum dominus Leo Papa manda-
„ vit. Poſt expletam legationem, ipſe Imperator præcepit
„ Arnoni Archiepiſcopo pergere in partes Sclavorum, &
„ providere omnem illam regionem, & Eccleſiaſticum
„ officium more Epiſcopali colere, populoſque in fide &
„ Chriſtianitate prædicando confortare. Sicut ille præce-
„ pit, fecit: illuc veniendo conſecravit Eccleſias, or-
„ dinavit Presbyteros, populumque prædicando docuit;
„ & inde rediens nunciavit Imperatori, quod magna ibi
„ potuiſſent effici, ſiquis inde habuiſſet certamen. Tunc
„ interrogavit illum Imperator, ſi aliquem haberet Ec-
„ cleſiaſticum Virum, qui ibi lucrum potuiſſet agere
„ Deo. Et ille dixit ſe habere talem, ut Deo placuiſſet,
„ & illi populo Paſtor fieri potuiſſet. Tunc juſſu Impera-
„ toris ordinatus eſt Theodoricus Epiſcopus ab Arnone

„ Ar-

„ Archiepiſcopo Juvavenſium , quem ipſe Arno , & Geroldus Comes perducentes in Sclaviniam , dederunt in „ manus Principum ; commendanteſque illi Epiſcopo „ regionem Karinthianorum , & confines eorum Occidentali parte Dravi fluminis , uſque dum Dravus fluit in „ amnem Danubii , ut poteſtative populum regeret ſua „ prædicatione , & Evangelica doctrina doceret ſervire „ Deo , & ut Eccleſias conſtructas dedicaret , Presbyteros ordinando conſtitueret , totumque Eccleſiaſticum „ officium in illis partibus , prout Canonicus ordo expoſcit , perficeret ; dominationem & ſubjectionem habens Juvavenſium Rectorum , ſicut ille fecit , quandiu vixit . „

XVI.

Quinque confinii Comites in Pannonia , Hunnis partim expulſis , partim ſubjugatis , a Carolo Magno conſtituti.

Fragmentum ſupra laudatum , *de rebus Caroli Magni Regis cum Hunis , & Slavis ſeu Bojariis* , a Ducheſnio editum Tom. 2. pag. 220. poſt verba illa , quæ ex Vita S. Ruperti modo recitata ſunt , hæc ſubjungit . " Poſtquam ergo Carolus Imperator Hunnis ejectis Epiſcopatus dignitatem Juvavenſis Eccleſiæ Rectori commendavit , Arnoni videlicet Archiepiſcopo & ſuis ſucceſſoribus tenendi perpetualiter atque regendi perdonavit , „ cœperunt populi ſive Slavi , ſeu Bojarii inhabitare terram , unde illi expulſi ſunt Hunni , & multiplicari . „ Hunc primus ab Imperatore conſtitutus eſt confinii Comes , Gonteramnus . II. Vverenharius . III. Albricus . „ IV. Gotefridus . V. Geroldus . Interim vero dum prædicti Comites Orientalem procurabant plagam , aliqui „ Duces habitavere in illis partibus ad jam dictam Sedem „ pertinentibus : qui Comitibus præfatis ſubditi fuere „ ad ſervitium Imperatoris : quorum nomina ſunt: Prinnih „ lavuga : Ceincias : Hroymar : Etgar . Poſt illos vero „ Duces , Bojarii cæperunt prædictam terram , dato Regum, habere in Comitatum , Hebriwinus , (*a*) Albgarius , (*b*) & Palio (*c*) . His ita peractis, Ratbodus ſuſcepit defenſionem Termini . In cujus ſpatio temporis quidam Prinnina exulatus a Moymaro Duce Moravorum „ ſupra

a Al. *Eboriſus* , *E*[illegible]*reinus* , & *Helbruinus* . Vide ſupra ad ann. 798.
b *Albegarius Unrochi nepos* ad ann. 817.   *c* Al. *Pabo* .

„ ſupra Danubium , venit ad Ratbodum . Qui ſtatim præ-
„ ſentavit illum Domino Regi noſtro Ludovico , & ſuo
„ juſſu fide inſtructus , baptizatus eſt in Eccleſia S. Mar-
„ tini , loco Treiſma vocato , ante videlicet pertinenti
„ ad Sedem Juvavenſium . Qui poſtea Ratbodo commiſſus,
„ aliquod cum illo fuit tempus . Interim exorta eſt inter
„ illos antiqua diſſenſio : quam Prinnina timens , fu-
„ gam iniit in regionem Vulgariam cum ſuis , & Cho-
„ zil filius ejus cum eo . Et non multo poſt de Vul-
„ garis , Ratimari Ducis adiit regionem . Illoque
„ tempore Ludovicus Rex Bajoariorum miſit Rat-
„ bodum cum exercitu multo ad exterminandum Ra-
„ timarum Ducem . Qui diffiſus ſe defendi poſſe , in
„ fugam converſus eſt cum ſuis , qui cædem evaſerunt ,
„ & prædictus Prinninas ſubſtitit cum ſuis , pertranſivit
„ fluvium Savum , ibique ſuſceptus a Salachone Comite ,
„ pacificatus eſt cum Ratbodo . Aliqua vero occaſione
„ iterum percepta , rogantibus prædicti Regis fidelibus ,
„ præſtitit Rex Prinninæ aliquam inferioris Pannoniæ in
„ beneficium partem circa fluvium qui dicitur Sana . „
Sed hæc poſtrema ad annum Chr. circiter 842. pertinent ;
uti mox ſermo erit . Hinc tamen patet , ejectis Hunnis a
Carolo Magno conſtitutos fuiſſe quinque Confinii(*a*)Comi-
tes , & quatuor ſub illis Carinthiæ Duces , qui eidem Regi
parebant .

XVII. Boji & Carantani ad Chriſti fidem converſi , opera Antiſtitum Juvavenſium , & Comitum Confinii, quos Carolus conſtituerat . Bollandi ſententia.

Bollandus ad v. Febr. §. VI. pag. 700. exiſtimat , ex
quatuor iſtis Ducibus primum , cui nomen *Prinniblavuga*
ipſum eſſe *Ingonem* ſive *Inguonem* , & ſecundum , qui
Ceincius dicitur , eſſe *Domitianum* Carinthiæ Ducem ; cu-
jus vitam deſcribit . De Inguone iſta narrat Æneas Sylvius
Piccolomineus apud eundem Bollandum num. 49. " Fama
„ eſt , Anno 790. poſt Chriſti Salvatoris ortum , imperan-
„ te Carolo Magno , Ducem gentis , Inguonem nomine ,
„ ingens convivium provincialibus præparaſſe : & agreſti-
„ bus quidem ad conſpectum ſuum intromiſſis , in vaſis
„ aureis atque argenteis ; nobilibus vero & magnatibus ,
„ pro-

a Non omnes quinque ſimul , ſed unus poſt alium Marcham Pannonici limitis cuſtodiebant .

„ procul ab oculis collocatis, fictilibus miniſtrari juſſiſſe: „ interrogatum, cur ita faceret, reſpondiſſe, non tam „ mundos qui urbes & alta palatia; quam qui agros & hu- „ miles caſas colerent. Ruſticis, qui Chriſti Evangelium „ accepiſſent, Baptiſmatis unda purificatis, candidas & „ nitidas eſſe animas; nobilibus ac potentibus, qui ſpur- „ citias idolorum ſequerentur, ſordidas ac nigerrimas: ſe „ vero pro animarum qualitatibus inſtruxiſſe convivium. „ Caſtigatos ea re nobiles, catervatim Sacri Baptiſmatis „ undam quærentes, brevi tempore, Virgilio & Arnone „ Juvavenſibus Epiſcopis, univerſos Chriſti fidem acce- „ piſſe. „ Sed hoc Ingonis factum ad ann. 803. ab auctore Vitæ Sancti Arnonis ponitur, uti mox videbimus. Ad ipſum vero Ingonem quod ſpectat „ Hunc ego Ingonem „ (*Inquit Bollandus*) ſive ut ſcribit Lazius, Inguonem, eſ- „ ſe Prinnihlavugam Ducem ſuſpicor, ſupra num. 40. memo- „ ratum: ſolent enim barbara illa nomina varie a Scriptori- „ bus, diverſæ præſertim nationis, exarari, ac ſæpe dimi- „ diari. Et dictus eſt fortaſſis Inguon, & Bruningvuon: un- „ de Prinnihlavuga detortum. Ita qui in Hiſtoria de con- „ verſione Bojorum & Carentanorum *Prinnina a Moymaro* „ *Duce Moravorum exulatus*, is apud Megiſerum & alios „ *Bryno* appellatur, atque ab eo *Bryna* ſeu *Bruna* urbs „ Moraviæ dicta creditur. Ea ſi probetur conjectura, „ augurari & illud licebit, qui ei videtur ſucceſſiſſe, *Cein-* „ *ciam* eſſe *Domitianum* noſtrum, qui & *Tuitianus* dici- „ tur, & fortaſſis duriore aliquo vocabulo a gentilibus ſuis „ nuncupatus fuit, quod deinde propinquior ille ſcriptor „ *Ceincias* dixerit, poſteri *Tuitianus*, ac dein *Domitianus*. „ Quid? Si non *Ceincias*, ſed *Tuicias* ſcriptum, unde „ *Tuicianus*, vel *Tuitianus*? Facilis ea literarum muta- „ tio, ut *T* in *C* tranſeat, *ti* in *tu*. Omnino ad hoc tem- „ pus referendus videtur Divus hic noſter, non (ut Lazius „ lib. 6. de migrationibus gentium, & Megiſerus voluere) „ poſt Baldricum circiter annum 828. tempore Ludovici „ Pii. Et veriſimile eſt, a S. Modeſto Epiſcopo Baptiſma „ ſuſcepiſſe, interque illos fuiſſe Principes, de quibus in „ Vita S. Virgilii: O quanta Principum cujuſcumque reli-

„ gio-

„ gionis, obviam illi cum pompa procedentium, exultatio!
„ Atque inter eos, in quorum manus Arno & Geroldus,
„ ſupra num. 39. dediſſe Theodoricum Epiſcopum narran-
„ tur. „ Pergit Bollandus num. 51. Lazium ipſum confu-
tans, qui lib. 12. Commentarior. Reip. Romanæ Sect. 6.
cap. 5. ſcribit: " Vvaldcunonem Ducem, in Chriſtianiſmo
„ Domitianum nominatum eſſe, & non ſolum ad fidem do-
„ ctrinamque ſalubrem ſuſcipiendam inductum eſſe a Mo-
„ deſto Epiſcopo, verum etiam ut duo maxima in Carno-
„ rum agro templa poneret; in ruinis municipiorum quon-
„ dam Romanorum, Solvenſi videlicet colonia, & Mille
„ Statuis. „ Nam ex vita S. Virgilii conſtat, imperante
etiamnum Carantanis Chetimaro, obiiſſe Modeſtum Epiſco-
pum: Waldcunonem autem, mortuo Chetimaro, in Du-
catu Carantanorum ſucceſſiſſe. Poſtremo in vita & transla-
tione S. Domitiani Ducis, auctore Milſtatenſi Monacho
circa annum 1300. exarata, dicitur in Epitaphio tumbæ
ejus inventus lapis cum hac inſcriptione: " In nomine Pa-
„ tris & Filii & Spiritus Sancti. Hic requieſcit B. Domi-
„ tianus Dux, primus Fundator hujus Eccleſiæ, qui con-
„ vertit iſtum populum ad Chriſtianitatem ab infidelitate. „
Fit inſuper mentio *Palatini de Bavaria Arbonis nomine, & Herdwici Comitis, præfati Arbonis nepotis*, quorum
primus dicitur *Prædii quod circa Milſtad ſitum eſt dominus, & fundator Monachorum Ordinis S. Benedicti, quoſdam de parentela ſua jam defunctos in ædem a S. Domitiano olim conditam tumulare præſumpſiſſe*: Secundus
vero, *quum cæſus fuiſſet, in tumulum B. Domitiani quod jam vacuum erat, corpus ejus fuiſſe poſitum: quod nocte proxima ejectum & longe extra tumulum repertum eſt*.
Erbonem vocat Hartuvigi Palatini Comitis filium Abbas Urſpergenſis ad annum 1102. his verbis: " Erbo jam grandæ-
„ vus, nobilis de Carinthia Princeps, & quondam Pala-
„ tinus in Bajoaria Comes, migravit in Domino. „ Idem
ad annum 1104. Botonis Comitis morte narrata: " Hi duo
„ fratres, (*inquit*) Erbo ſcilicet & Boto, paterno de
„ ſanguine, Noricæ gentis antiquiſſimam nobilitatem trahe-
„ bant, illius nimirum famoſi Erbonis poſteri, quem in

„ venatu a biſonte beſtia confoſſum vulgares adhuc canti„ lenæ reſonant, Hartuvigi Palatini Comitis filii; ma„ ternum vero illis erat Stemma, de Saxonia Immidingo„ rum tribus egregia, quæ & Ottonum inclytæ ſtirpi tradi„ tur vicina: „ Sed ad Caroli Magni tempora redeo.

XVIII. Geroldus Bajoariæ, & Henricus Forojulianorum Comites ab Hunis Abaribus a fide, quam promiſerant, deficientibus, interficiuntur anno 799. Carolus Magnus bello Hunnico anno 791. inchoato, finem imponit anno 799.

Anno 799. duo Caroli Proceres in Hunia occiſi, & Hunnico bello finis impoſitus. Eginhardus in Annalibus, poſtquam narravit diſceſſum e Galliis Leonis Papæ III. " Quo dimiſſo, Rex paucos dies ibidem (*ideſt Paderbornæ*) „ moratus, Legatum Michaëlis Patricii de Sicilia, nomine „ Danielem, ad ſe miſſum abſolvit. Accepit etiam triſte „ nuncium de Geroldi, & Erici interitu, quorum alter, „ Geroldus videlicet Bajoariæ Præfectus, commiſſo cum „ Hunis prælio, cecidit; alter vero, ideſt, Ericus poſt „ multa prælia & inſignes victorias apud Tarſaticam Li„ burniæ civitatem, inſidiis oppidanorum interceptus at„ que interfectus eſt. „ Regino in Chronico ad hunc annum." Eodem anno gens Avarorum a fide, quam promiſe„ rat, defecit, & Henricus Dux Forojulianorum poſt tot „ victorias proſpere geſtas apud Tharſiticam Liburniæ civi„ tatem inſidiis civium oppreſſus eſt. Per id tempus Ge„ roldus quum eſſet Bajoariæ præfectus, commiſſo cum „ Avaribus prælio, interficitur, & in Augia ſepelitur: de „ quo in viſione Vvetini legitur, quod inter Martyres ſit „ adnumeratus. „ Epitaphium Geroldi ex Caniſio Tom. VI. Antiq. Lect. recitat Pagius ad ann. 799. num. 18. ubi dies ejus emortualis exprimitur his verſibus.

Pannoniis vera Eccleſiæ pro pace peremptus
Oppetiit ſævo Septembribus enſe Kalendis.

Hinc factum puto, ut in Annalibus Francorum apud Ducheſnium Tom. 2. pag. 18. ad ann. 800. tam Geroldi, quam Henrici mors ponitur, ſic: " Eodem anno gens Avarorum „ a fide quam promiſerat defecit: & Ericus Dux ab „ inſidiis oppreſſus eſt, & Geroldus Comes occiſus „ eſt. „ Annales Bertiniani præmittunt, Carolum filium a Carolo Magno " Cum medietate exercitus ad colloquium Sclavorum & ad recipiendos qui de Nortliudis „ venerant Saxones in Bardegavi directum fuiſſe. „ Hoc ipſum

ipſum habent Annales Metenſes iiſdem verbis. Eginhardus in vita Caroli Magni de hoc bello Hunnico: " Maximum
,, omnium, quæ a Carolo geſta ſunt bellorum, præter Sa-
,, xonicum, bello contra Vvilſos ſucceſſit illud, quod con-
,, tra Avares ſive Hunos ſuſceptum eſt, quod ille & ani-
,, moſius quam cætera, & longe majori apparatu admini-
,, ſtravit. Unam tamen per ſe in Pannoniam (nam hanc
,, Provinciam ea gens tum incolebat) expeditionem fecit;
,, cæteras filio ſuo Pippino ac Præfectis Provinciarum, Co-
,, mitibus etiam atque Legatis perficiendas commiſit. Quod
,, quum ab his ſtrenuiſſime fuiſſet adminiſtratum, octavo
,, tandem anno completum eſt. Quot prælia in eo geſta,
,, quantum ſanguinis effuſum ſit, teſtatur vacua omni habi-
,, tatore Pannonia, & locus, in quo Regia Cagani erat,
,, ita deſertus, ut ne veſtigium quidem in eo humanæ ha-
,, bitationis appareat. Tota in hoc bello Hunorum nobili-
,, tas periit, tota gloria decidit, omnis pecunia & conge-
,, ſti ex longo tempore theſauri direpti ſunt. Neque ullum
,, bellum contra Francos exortum humana poteſt memoria
,, recordari, quo illi magis ditati & opibus aucti ſint. Quip-
,, pe quum uſque in id temporis pene pauperes viderentur,
,, tantum auri & argenti in Regia repertum, tot ſpolia
,, pretioſa in præliis ſublata, ut merito credi poſſet, hoc
,, Francos Hunis juſte eripuiſſe, quod Huni prius aliis gen-
,, tibus injuſte eripuerunt. Duo tantum ex proceribus Fran-
,, corum eo bello perierunt; Ericus Dux Forojulii in Li-
,, burnia juxta Tarſaticam maritimami cvitatem inſidiis op-
,, pidanorum interceptus; & Gerholdus Bajoariæ Præfe-
,, ctus, dum in Pannonia contra Hunos præliaturus aciem
,, ſtrueret, incertum a quo, cum duobus tantum, qui
,, eum obequitantem ac ſingulos hortantem comitabantur,
,, interfectus eſt. Cæterum incruentum pene Francis hoc
,, bellum fuit, & proſperrimum exitum habuit, tametſi
,, diutius ſui magnitudine traheretur. ,, Ubi Eginhardus res a Carolo pluribus annis geſtas conjungit: nam Regia Cagani anno 796. ut ſupra diximus direpta fuit: Geroldus autem & Henricus anno 799. interfecti: eodemque anno finis quidem bello Hunico impoſitus; non tamen tota Hu-

nia habitatoribus vacua reddita eſt: nam alii Hunnorum Principes in Pannonia imperabant, quamquam Caroli clientes, ut mox videbimus.

CAPUT III.

Hunni Slavi, Sorabi, Abotriti, Saxones, a Carolo Magno devicti. Slavi in Pannonia, Slavinia, & Bohemia. Chrobati e Dalmatia in Pannoniam & Illyricum Carolo ſubjectum ſecedunt. Slavi & Hunni ab Arnone Archiepiſcopo ad Chriſti fidem converſi. Lechus & Zechus, Polonorum & Bohemorum conditores.

1 Zodan Princeps Pannoniæ, multique Sclavi & Hunni Carolo ſe ſe dedunt. Carolus Pannoniæ vacuæ per immiſſas Colonias vicinarum gentium, maxime Bojorum, conſulit.

ANno 803. Annaliſta Metenſis. " Imperator autem ,, Carolus Bajoariam profectus, venationem bubalorum ceterarumque ferarum per ſaltum Hircanum (a) ,, exercuit. Inde vero ad Regenesburg veniens, diſpoſitis ,, his quæ utilia videbantur eſſe, adventum exercitus de ,, Pannonia redeuntis præſtolabatur. Quibus reverſis obviam illis ad Regenesburch venit. Ibi etiam cum illis ,, Zodan Princeps Pannoniæ veniens, Imperatori ſe tradidit. Multi quoque Sclavi & Huni in eodem conventu fuerunt, & ſe cum omnibus, quæ poſſidebant, Imperatoris dominio ſubdiderunt. ,, Hæc breviſſime alii Annaliſtæ. Chronicon Hildensheimenſe ad ann. Caroli 35. " Ibi venit Legatio Avarorum omnem terram Imperii ſui ,, ſub ditione Imperatoris Caroli ſubdunt. ,, Annales Francorum Tom. 2. Ducheſnii p. 42. ad ann. 803. " Imperator ,, autem in Bajoariam profectus, diſpoſitis Pannoniarum ,, cauſis, Decembrio menſe Aquaſgrani reverſus eſt. ,, Ita & Annales Bertiniani, & Regino, & Anonymus in Vita Caroli. Brunnerus in Hiſtoria Bojorum lib. 6. num. 4. " In ,, Boicam rediit *Carolus Imp.*, ut quando nuperis bellis ,, Hunnorum res attritæ, magnaque Pannoniæ pars culto- ,, re nudata fuerat, pulcherrimæ fertiliſſimæque Provinciæ ,, caveretur, ne in ſolitudinem abiret; quo tempore in ,, agrum

(a) Hercynius ſaltus, Hercynia ſilva, & Orcynium nemus. Vide Baudrand. in V. Hercynia.

,, agrum vacuum Colonias ductas vicinarum gentium, Bo-
,, jorum maxime, credere non abnuerim. ,,

II. Chrobatorum pars, qui in Dalmatiam, ejectis Abaribus, ſub Heraclio Imp. venerant, permiſſu Caroli Magni, in vacuas Pannoniæ ſedes, poſt devictos Hunnos, ſeceſſit circa annum 803.

Ad hæc igitur tempora ſpectare videtur illa Chrobatorum quorundam in Illyricum & Pannoniam ſeceſſio, quæ a Conſtantino Porphyrogenito de Adm. Imp. cap. 40. facta dicitur a Chrobatis iis, qui in Dalmatia ſedes fixerant, his verbis: " Atque ex illo tempore (*nimirum ſub Heraclio*
,, *Imp. ejectis e Dalmatia Abaribus*) a Chrobatis poſſeſ-
,, ſa hæc regio fuit, ſuntque etiamnum in Chrobatia Aba-
,, rum reliquiæ, & Abares eſſe cognoſcuntur. Cæteri ve-
,, ro Chrobati verſus Franciam commorabantur, & appel-
,, lantur hodie Belochrobati, ſive Chrobati albi, qui pro-
,, prio Principi ſubjecti ſunt. Parent autem Othoni Ma-
,, gno Regi Franciæ, quæ & Saxonia, Baptiſmique expertes,
,, affinitatem cum Turcis & amicitiam contrahunt. At a
,, Chrobatis, qui in Dalmatiam venerunt, pars quædam
,, ſeceſſit, & Illyricum atque Pannoniam occupavit; ha-
,, bebantque etiam ipſi Principem ſupremum, qui ad Chro-
,, batiæ tantum Principem amicitiæ ergo legationem mit-
,, tebat. ,, Nimirum, in vacuas (*a*) Pannoniæ (poſt devictos ac fere deletos Abares) ſedes, permiſſu Caroli Magni, pars quædam eorum Chrobatorum, qui Dalmatiam incolebant, ſeceſſit, eidem Carolo ſubjecta, ut & cæteræ gentes, quæ in Pannonia remanſerant, aut illuc Colonias duxerant. Porro eidem Carolo Magno ſubditi quoque erant reliqui Chrobati albi, quos Porphyrogenitus, Othoni Magno Franciæ & Saxoniæ Regi ſuis temporibus paruiſſe ſcribit. Nam Carolus Magnus Sclavos omnis generis, tam qui ultra Albim erant, quam qui Abaribus miſti Pannoniam inhabitabant, ſuo ſubjecit imperio, quemadmodum ſupra dictum eſt.

III. Carolus M. Imperator inſtructionem Slavorum & Hunnorum in Sclavinia, ideſt in partibus Carinthianis atque inferioris Pannoniæ, tam Arnoni Archiepiſcopo Salisburgenſi, quam Ducibus atque Comitibus, & præſertim Ingoni, committit. Ab hoc Ingone plurimi magnates ad fidem adducuntur, anno 803.

Eodem anno Menſe Octobri Carolus adiit Salisburgum,

a Cl. Farlatus Tom. 1. Illyrici ſacri pag. 117. col. 1. recitatis Porphyrogeniti verbis, hæc adjicit. *E Chrobatis igitur, qui Dalmatiam occupaverant, duplex Chrobatarum ſeceſſio facta eſt, altera ad Orientem, altera ad Septentrionem: hi quidem migrarunt in Pannoniam Saviam, quæ ab novis incolis genere Slavis, Slavonia nomen accepit; illi vero profecti ſunt in Illyricum, ideſt, in Mœſiam ſuperiorem, & ab Serblis ejuſdem Nationis & linguæ populis in agrorum ſocietatem admiſſi, ſedes ac domicilia collocarunt in Mœſia, quæ tum dicta eſt, hodieque dicitur Serblia.* Ubi Porphyrogenitus *Dalmatiam* ab *Illyrico*, & *Pannonia* diſtinguit.

Digitized by Google

gum, & Arnoni Epiſcopo conceſſionem a Pippino filio quondam factam confirmavit, ideſt, erudiendorum Hunnorum curam, quam anno 796. Pippinus poſt debellatam illam gentem eidem Arnoni commiſerat, *uſque ad præſentiam genitoris ſui Caroli*, ut videre eſt apud Anonymum editum a Caniſio Tom. VI. Antiq. Lect. ubi Caroli confirmationem, vitæ Sancti Rutperti ſubjicit, his verbis. " Anno Domini octingenteſimo tertio Carolus Imperator ,, Bojoariam intravit, & in menſe Octobri in Saltzburg ,, venit, & præfatam conceſſionem filii ſui iterans, pote- ,, ſtative multis adſtantibus fidelibus ſuis affirmavit, & in ,, ævum inconvulſam fieri conceſſit. ,, Deinde Arnonis Epiſcopi zelum in promovenda per Karinthiam & Pannoniam religione ſic laudat. " Simili modo etiam Arno Epi- ,, ſcopus, ſucceſſor Virgilii, Sedis Juvavenſis deinceps cu- ,, ram geſſit Paſtoralem, undique ordinans Presbyteros, ,, & mittens in Sclaviniam, in partes videlicet Karinthia- ,, nas, atque Inferioris Pannoniæ illis Ducibus atque Co- ,, mitibus, ſicut pridem Virgilius fecit, quorum unus In-

IV. Thraſico ſive Thraſuc, Rex Slavorum Abotritorum, ſub Caroli M. clientela. Finis belli Saxonici a Carolo M. ſuſcepti, quod per annos 31. duraverat. Decem hominum millia ex iis, qui utraque ripas Albis fluminis incolebant, inde translati, per Galliam & Germaniam diviſi. Ea conditio a Carolo Saxonibus propoſita, & ab illis ſuſcepta, ut abjecto idolorum cultu, Chriſtianam fidem amplecterentur, & Francis adunati, unus cum eis populus efficerentur.

,, go vocabatur, multum charus populis & amabilis pro- ,, pter ſuam prudentiam. Cui tam obediens fuit omnis po- ,, pulus, ut ſi cuique vel charta ſine literis ab illo directa ,, fuit, nullus auſus eſt ſuum negligere præceptum. Quod ,, etiam mirabiliter fecit. Vere ſervos credentes ſecum ,, vocavit ad menſam, & eos qui eis non inabantur infide- ,, les, foris quaſi canes ſedere fecit, ponendo ante illos ,, panem & carnem, & fuſca vaſa cum vino, ut ſic ſumerent ,, victus. Servis autem ſtaupis de auratis propinare juſſit. ,, Tunc interrogantes primi deforis dixerunt; cur facis no- ,, bis ſic? At ille: non eſtis digni, non ablutis corporibus, ,, cum ſacro fonte renatis communicare, ſed foris domum ,, ut canes ſumere victus. Hoc facto, fide ſancta inſtructi, ,, certatim concurrerunt baptizari, & ſic deinceps Religio ,, Chriſtiana ſuccreſcit. ,, Ex his colligitur, id Ingonis DucisCarantanorum factum ab Ænea Sylvio Piccolomineo ioco non ſuo fuiſſe narratum, dum illud ad annum Chr. 790. collocat, uti ſupra vidimus.

Anno 804. Annaliſta Metenſis. " Incipiente æſtatis ,, tem-

Digitized by Google

„ tempore Carolus Imp. ad Aquis Palatium revertens, „ exercitum in Saxoniam miſit. Tranſitoque Rheno', ge- „ neralem Conventum Francorum habuit juxta Lippiæ fon- „ tem. Sumptoque inde itinere, per Saxoniam profectus, „ caſtra metatus eſt in loco qui dicitur Boldonſtat. In qui- „ bus caſtris etiam Sclavorum Principes adfuerunt. Quo- „ rum cauſis diſcuſſis, & ſecundum arbitrium diſpoſitis, „ Regem illis Traſiconem conſtituit. Miſſiſque inde exer- „ citibus ſuis per diverſas partes Saxoniæ, tam perfidos „ illos, qui ultra Albiam tranſierant, quam illos qui in Wig- „ moti manebant, & frequentibus maleficiis populum Sa- „ xonum a via veritatis averterant, cum mulieribus & in- „ fantibus, Deo auxiliante, ſapientiſſima diſpoſitione de „ Saxonia per diverſas vias dirigens, funditus exterminavit, „ & per Gallias cæteraſque regiones Regni ſui, ſine ulla „ læſione exercitus ſui, diſperſit. „ Bertinianus: " æſtate „ autem in Saxonia ducto exercitu, omnes qui trans Al- „ biam, & Wimhuodi habitabant Saxones, cum mulieri- „ bus & infantibus tranſtulit in Franciam, & pagos Trans- „ Albianos Abodritis dedit. „ Eadem in Annalibus Francorum Tom. 2. pag. 29. & 43. & in Fuldenſibus, & apud Reginonem, & Eghinhardum. " Chronicon vero Moiſſiacenſe hæc habet ad ann. 804. " Æſtatis tempore Karolus „ Imperator movit exercitum magnum Francorum, & „ perrexit in Saxoniam, & abiit ultra Alaram ad locum qui „ vocatur Oldonaſtach. Et venit ad eum ibi Rex Abotri- „ torum nomine Fherſoſuc, & detulit ei munera multa. „ Et deinde miſit Imperator Scaras ſuas in Wimodia, & „ in Hoſtingabi, & in Roſogavi: ut illam gentem foras „ patriam transduceret: necnon & illos Saxones, qui ul- „ tra Albiam erant, transduxit foras, & diviſit eos in Re- „ gnum ſuum ubi voluit. „ Quem *Tranſiconem* vocat Annaliſta Metenſis, is in Moiſſiacenſi Chronico *Fherſoſuc* dicitur: fortaſſe amanuenſis vitio pro *Therſuc*, ſive *Thraſuc*. Nam in eodem Chronico infra ad ann. 810. idem appellatur *Droſocus* Rex Abotritorum. Hoc itaque pacto finitum bellum Saxonicum quod per annos 33. duraverat. Vide Pagium ad ann. 804. num. 6.

Anno

V.
Theodorus Hunnorum Abarum Rex Chriſtianus, a Sclavis Bohemis infeſtatus, ſedes obtinet a Carolo M. inter Sabariam & Carnuntum. Ei mortuo ſuccedit alter Hunnorum Rex, cui idem Carolus ſummam Regni in omnes Hunnos concedit: & miſſo adverſus Bohemos Slavos exercitu, eorum regionem vaſtat, Ducemque Lechonem interficit, anno 805.

Anno 805. Eghinhardus. " Non multo poſt Cacanus ,, Princeps Hunnorum propter calamitatem populi ſui Imperatorem adiit, poſtulans ſibi locum dari ad habitandum inter Sabariam & Carnuntum, quia propter infeſtationem Sclavorum, qui Behemanni vocantur, in priſtinis ſedibus eſſe non poterant. Illi enim omnem terram Hunorum depopulantes, Lechonem tunc Ducem habuerunt. Hunc Imperator benigne (erat enim Caganus Chriſtianus, nomine Theodorus) ſuſcepit, & precibus ejus annuens, muneribus donatum redire permiſit. Qui rediens ad populum ſuum, pauco tempore tranſacto, diem ſuum obiit. Et miſit Caganus unum de optimatibus ſuis, petens ſibi honorum antiquum, quem Caganus apud Hunos habere ſolebat. Cujus precibus Imperator aſſenſum præbuit, & ſummam totius Regni juxta priſcum eorum ritum habere præcepit. Eodem anno miſit exercitum ſuum cum filio ſuo Karolo in terram Sclavorum, qui Behemanni vocantur, qui omnem illorum patriam depopulantes, Ducem eorum nomine Lechonem occidit. ,, Regino. " Anno Dom. Incarn. 805. Cacanus Princeps Avarorum, Imperatorem adiit, poſtulans ſibi locum dari ad habitandum inter Sabariam & Carantanum, qui propter infeſtationem Sclavorum, in priſtinis ſedibus manere non poterat: quem Imperator benigne ſuſcepit, ejuſque precibus favit. Eodem tempore miſit exercitum cum filio ſuo Carolo ſuper Sclavos, qui vocantur Boëmi, qui omnem terram eorum depopulantes, Ducem eorum qui appellabatur Letzo, occiderunt. ,, Annaliſta Metenſis hæc fuſius narrat apud Pagium ad ann. 805. num. 3. " Capcanus (*a*) Princeps Hunnorum propter neceſſitatem populi ſui Imperatorem adiit poſtulans ſibi locum dari ad habitandum inter Sabariam (*b*), & Carnuntum (*c*), quia propter infeſtationem Sclavorum, in priſtinis ſedibus eſſe non poterat. Quem Imperator benigne ſuſcepit, ejuſque precibus favit. Erat enim Capcanus Chriſtianus, ,, no-

a Lege *Cacanus*.
b Poſitam ad cognominem fluvium, qui in Arabonem influit.
c Sita erat hæc Urbs in ripa Danubii, Viennam inter & Poſonium.

„ nomine Theodorus : & precibus ejus annuens , muneri-
„ bus donatum redire permiſit . Qui rediens ad populum
„ ſuum, pauco tempore tranſacto diem obiit . Et miſit alter
„ Caganus unum de optimatibus ſuis petens ſibi honorem
„ antiquum dari , quem Caganus apud Hunos habere ſole-
„ bat . Cujus precibus Imperator aſſenſum præbuit , &
„ ſummam totius Regni , juxta priſcum eorum ritum , Ca-
„ ganum habere præcepit . Eodem anno quum eſſet Impe-
„ rator in Palatio , quod ſitum eſt Aquis , miſit exercitum
„ ſuum cum filio ſuo Carolo in terram Sclavorum , qui vo-
„ cantur Behemi (*a*) & per tres vias in eandem regionem
„ exercitum penetrare præcepit . Partem autem exercitus
„ cum Carolo Rege filio ſuo per Orientalem partem Fran-
„ ciæ ſeu Germaniæ ire præcepit , ut Hircano ſaltu transje-
„ cto , jam dictos Sclavos invaderet . Aliam vero partem
„ per Saxoniam dirigens , ut ex altera parte cum Saxoni-
„ bus & innumerabilibus Sclavis tranſito ab Aquilone jam-
„ dicto ſaltu , in Sclavos prorumperet . Tertia quoque ex
„ parte expeditionem totius Bajoariæ in eandem regionem
„ intrare juſſit . Venientes autem undique in planitiem
„ Behemi , univerſi Principes diverſarum gentium, in con-
„ ſpectu Regis Caroli (*b*) pervenerunt . Caſtra metati ſunt
„ autem haud procul a ſe illi innumerabiles exercitus di-
„ ſtantes . Caroli autem Regis & Principum , qui cum eo
„ erant , imperio uſus totus ille exercitus , ipſam regio-
„ nem invaſit . Sed Sclavi in vias & ſaltus penetrantes ,
„ ſe minime ad pugnam præparaverunt . Vaſtata autem &
„ incenſa per 40. dies eadem regione , Ducem eorum no-
„ mine Lechonem occidit . Et dum nec jam pabula equis,
„ aut cibaria exercitui ſupereſſent , vaſtata & ad nihilum
„ redacta jam dicta Regione , ad propria reverſus eſt . „
Idem habent Annaliſtæ Bertinianus , Loiſelianus , aliique .
Itaque poſt ſubactam a Carolo Magno *Hunniam* ſive Pan-
noniam , adhuc Hunni Abares ſuum habebant *Caganum* ſive
Regem , ſed Chriſtianum , eundemque Carolo ſubditum .

a Qui hodie Bohemi vocantur , quique tunc adhuc idololatræ erant , & Hunnis Chriſtianis injuriam inferebant . Pagius ann. 80[illegible] . num. 1.

b Erat Carolus junior Rex Neuſtriæ . Pagius ex Chron. San-Dionyſiano .

Bohemi autem *Sclavi*, qui ab Annaliſtis *Behemi*, *Behemanni*, & aliter vocantur, quum tunc idololatræ eſſent, eiſdem Hunnis Chriſtianis injurias inferebant. Iſtorum contumaciam Carolus hoc anno & ſequenti fregit, vaſtata eorum regione: quumque eruptionem anno 848. molirentur, a Ludovico Germaniæ Rege devicti, obſideſque dare ſunt compulſi: anno vero ſequenti iterum contra Francos rebellantes, iterum ſubjugati ab eodem Rege, pacem poſtularunt: Anno demum 890. Arnulfus Germaniæ Rex conceſſit Sventibaldo Slavorum Moravorum Regi Ducatum Bohemorum, qui hactenus Principem ſuæ cognationis ac gentis ſuper ſe habuerant, Francorumque Regibus fidelitatem promiſſam inviolato fœdere conſervaverant.

VI.

Martini Cromeri ſententia circa Lechonem Bohemorum Ducem, a Carolo Caroli Magni filio interfectum anno 805. quem putat eſſe Leſconem ſecundum, tertii patrem, qui Primiſlao ſive Lesconi primo, Polonorum ſimul & Bohemorum Regi ſucceſſerit.

Martinus Cromerus (*a*) de origine & rebus geſtis Polonorum lib. 2. p. 424. & ſeq. agens de commiſſo Francos inter & Sclavos Bohemos bello, in quo Franci victores Lechonem Bohemorum Ducem interfecerunt, quærit, quis iſte Lecho fuerit? Et an Bohemorum, vel potius Polonorum Rex? Leſcus ne ſecundus, an Leſcus tertius ejus filius? Et de Leſco quidem ſecundo, Præmisli ſive Leſchi primi ſucceſſore, hæc habet. " His moribus & hac moderatione animi „ quandiu, quibuſque rerum ſucceſſibus regnaverit, & „ quomodo vita defunctus ſit, itidem atque alia illius „ temporis incertum eſt: niſi forte ad hunc Leſcum pertinere exiſtimandum eſt id, quod Dlugoſſus Martinum „ Gallum memoriæ prodidiſſe refert, Lechum ſeu Lechonem, ut ſcribit ille, principem, prælio cum Carolo, Caroli Magni Imparatoris Romanorum filio notho, „ quem pater contra Polonos & Bohemos, Saxoniam bello „ vexantes (*imo*, *Pannoniam*, *ubi Theodorus Hunnorum* „ *Abarorum Rex Chriſtianus degebat*:) cum exercitu miſerat, occubuiſſe: idque actum eſſe anno quarto vel quinto poſt octingenteſimum a Chriſto ſervatore noſtro nato, „ translato jam ad Francos & Germanos Occidentis Imperio. Quamquam Blondus Foroliivienſis, & Sabellicus, „ Leonem Bohemorum Ducem ab hoc Carolo interfectum „ eſſe

a. Polonicæ hiſtoriæ corporis Tom. 2. Baſileiæ anno 1582.

„ eſſe ſcribunt. Sed nullum per ea tempora Leonem apud
„ Bohemos regnaſſe comperio: ne Lechonem quidem.
„ Apud Polonos Leſcus regnavit: quem Gallus, & H. Mu-
„ tius Lechonem, cæteri Leonem vocant. Facilis eſt au-
„ tem Lechonis in Leonem commutatio. Tametſi nihil
„ vetat credere, Polonis pariter & Bohemis eum præfuiſ-
„ ſe. Tam Dlugoſſus autem cum ſuo Gallico, quam Blon-
„ dus & Sabellicus, Carolum eo bello Poloniæ fines de-
„ populatum, repreſſis modo hoſtibus, cito ad patrem
„ revertiſſe, memorant. Eginhartus, qui Caroli Magni
„ vitam conſcripſit, eumque Dominum ac nutritorem
„ ſuum appellat, Polonorum quidem nuſquam meminit:
„ ſed omnes barbaras ac feras nationes, quæ intra Rhe-
„ num ac Viſtulam fluvios, Oceanumque & Danubium po-
„ ſitæ, lingua quidem pene ſimiles, moribus vero atque
„ habitu valde diſſimiles, Germaniam incolunt, ita per-
„ domuiſſe Carolum ſcribit, ut eas tributarias effecerit.
„ Sabellicus vero Slavorum, Polonorum, & Bohemorum
„ legatos Aquiſgranum cum ampliſſimis muneribus ad hunc
„ ipſum Carolum veniſſe refert, ut pax ſibi cum Gallis
„ (quos equidem Francos fuiſſe crediderim) incolumis
„ maneret. „ Subjungit de Leſco tertio, ſecundi filio
pag. 425." Multa hic cum finitimis, qui novitate & humi-
„ litate generis ejus deſpecta, novos ciebant motus, bel-
„ la geſſit: eoſque vel perdomuit, vel ad officium revo-
„ cavit. Slavis conſanguineis Polonorum, Pannoniam tunc
„ imperio tenentibus, ut vult Dlugoſſus, & cum Orientis
„ atque Occidentis Imperatoribus bellum gerentibus, ro-
„ gatus, auxilio affuit aliquoties, collatiſque ſignis cum
„ utroque hoſte proſpere dimicavit. Nec tamen is memo-
„ rat, quinam hi fuerint Imperatores. *Et poſt pauca.*
„ Magis conſentaneum eſt rationi temporum, Leſcum ſu-
„ periorem quidem, Ungaris (*a*) & Slavis promiſcue
„ Pannonias tunc incolentibus, contra Carolum Magnum,
„ paulo ante quam Imperatoris Romani titulum, Pontifi-
„ cis Maximi beneficio, adeptus eſt, octo annis in Panno-

a Leg. *Hunnis*: nam Hungari, tametſi & ipſi Hunnicæ ſunt gentis, non tamen in Pannoniam ante annum Chr. 889. invaſerunt.

„ nia bellum gerentem, præſto fuiſſe, & nonnunquam bene rem geſſiſſe: ad extremum vero debellatis Ungaris, propter latam illis opem, vel infeſtatam, ut vult Blondus, Saxoniam (*imo, propter infeſtatos Hunnos Abares quibus Rex Theodorus præerat*) a Carolo, Caroli ejuſdem filio, bello petitum: commiſſoque prælio interfectum eſſe: Albique, & Salæ fluviis, quod idem Blondus memorat, impoſita præſidia. Tum demum autem illud accidiſſe, quod e Sabellico ſuperius memoravimus, ut filius interfecti, de quo nunc agimus, Legationem Aquiſgranum ad Carolum patrem de pace mitteret, & quidem cum muneribus: eaque munera, tributi nomine, ab Eginharto Carolum ſuum ornante, appellata eſſe. Poſterius certe hoc bellum contra Bohemos ſive Polonos, quam illud contra Pannonios & Ungaros, a Carolo Magno geſtum eſſe, ab iis qui res geſtas ejus quoquo modo attigerunt, memoratur. Ante Carolum vero trecentis plus minus annis vacavit Occidentis Imperium. Orientis quidem Imperatores nullum per hæc tempora bellum in Pannonia geſſiſſe reperio. Cum Bulgaris geſſerunt Imperatores Orientis & Occidentis, & ante, & poſt etiam, ſed in Thracia: ac non inferentes, ſed illatum depellentes. Quamqnam Nicephorum Imperatorem in Moeſia contra Bulgaros bellum gerentem, victum, & interfectum eſſe, hujus Caroli tempore, reperio. Sed Bulgaria quoque & Moeſia longiſſime tunc aberat a finibus Poloniæ, partim Ungaris, partim Ruſſis & Valachis ſive Moldavis magna terrarum intercapedine interjectis, ita ut difficulter eo auxiliares copiæ a Polonis tranſmitti potuerint. Verum penes Lectorem eſto horum judicium. Hactenus Cromerus.

VII. Slavi omnes in Scythia & Sarmatia indigenæ; advenæ vero in Germania, Pannonia, Bohemia & Polonia. Lechus & Zechus, Polonorum & Bohemorum conditores, non e Croatia, neque e Dalmatia, aut Illyrico; ſed e Septentrionali plaga inter Viſtulam & Boryſthenem, in Bohemiam & Poloniam advenerunt. Cromeri ſententia refertur, ac probatur.

Lectorem hic meminiſſe velim eorum, quæ Tom. I. Par. 2. cap. 5. a pag. 292. de *Slavis* a nobis demonſtrata ſunt, illos nempe eſſe in *Scythia* quidem & *Sarmatia Indigenas*; *Advenas* vero in *Germania*, *Pannonia*, *Bohemia*, & *Polonia*: fabuloſum autem eſſe quidquid de *Polonis* & *Bohemis*, e *Lecho* & *Zecho*, filiis aut nepotibus Javani, aut certe ex propinqua ejus & Noëmi poſteritate progenitis, non

non multo poſt Diluvium e Croatia ſive Pannonia in Bohemiam & Poloniam commigrantibus traditur : neque enim ante Juſtiniani tempora *Slavicam* gentem , Croatiam aut Dalmatiam aut Slavoniam tenuiſſe ; ac ne Pannoniam quidem ; multo minus eam Germaniæ partem , qua nunc Polonia fere , Sileſia , Moravia , Bohemia , Luſatia , & Pomerania continetur ; nec fuiſſe origine Germanos populos, qui in Bohemiam & Poloniam ante Mauricii Imperatoris tempora anno circiter Chriſti 550. non quidem e Croatia aut Illyrico , ſed e ſeptentrionali inter Viſtulam & Boryſthenem plaga advenerunt , *Lecho* & *Zecho* Ducibus , uti fert communis Bohemorum & Polonorum traditio ; quamquam hæc traditio a Scriptoribus Rerum Polonicarum & Bohemicarum multis ſit infecta commentis . Quamobrem de *Lecho* & *Zecho* , Polonorum Bohemorumque auctoribus, (Dubravio , Crantio aliiſque relictis ,) juverit probabiliorem Cromeri ſententiam exſcribere . Sic autem Cromerus , relatis refutatiſque aliorum opinionibus , lib. 1. cap. 16. ſcribit . " Quid igitur certius , aut probabilius dumtaxat nos aſſerimus ? Illud nimirum , quod, quum oſtenſum ſit ſuperius , e Ruſſia & Sarmatia Slavos in Mœſiam, Daciamque ac Pannoniam , ſecundum citeriorem Danubii ripam , penetraſſe : inde vero non ante Juſtiniani tempora , in Thraciam , Macedoniam , Dalmatiam , & Illyricum inundaſſe ; & aliquanto poſt demum , nempe circa Mauricii & Phocæ tempora , in iis oris certum domicilium fixiſſe , ante quod tempus jam eadem gens ad Sarmaticos montes & fontes Viſtulæ , ubi nunc eſt Polonia , habitabat : aliquanto prius autem Vandalos ex iis locis in Pannoniam , atque inde mox in Gallias , Hiſpanias & Africam commigraſſe : conſentaneum ac prope neceſſarium eſt , tunc , vel certe paulo poſterius circa Attilæ tempora , eos populos , qui nunc Poloni & Bohemi dicuntur , progreſſos e Ruſſia & Sarmatia , itidem atque illos Slavos , vacuas aut certe infrequentes Vandalorum ſedes occupaſſe ; indeque porro in interiorem Germaniam , & Bohemiam arma protuliſſe . Et ſane minore longe negotio citiuſque hac ſecundum dextrum

" latus

„ latus Carpathi montis ad interiorem Germaniam vacuam
„ aut certe ſemivacuam tunc, ſicuti modo diximus, ii
„ penetrare potuerunt, e patria ſua profecti, quam in
„ Slavoniam ac Dalmatiam, longius a ſe diſtantes, & Ro-
„ manorum Imperatorum armis defenſatas. In hac ſen-
„ tentia fuit ante nos Bernardus Vapovius, tametſi neque
„ tam firmis argumentis, neque tam multis aut tam cer-
„ tis teſtimoniis uſus. Idem Blondus quoque ſenſiſſe vi-
„ detur. Antonius vero Sabellicus diſerte ſcribit, Slavos
„ a Cimmerio Boſphoro bipartito digreſſos, partem unam
„ ad dexteram deflexiſſe, Septentrionem verſus, ſciſſam-
„ que in duos populos, Bohemos & Polonos; alteram
„ tranſmiſſo Iſtro, ſecundum Savum amnem ad Dalma-
„ tiam uſque ſedes tenuiſſe, nihil mutato nomine. Hæc
„ nos (*inquit Cromerus*) de Polonorum & Bohemorum
„ origine & adventu ad has terras, gravibus argumentis
„ & auctoribus, ratione temporum & locorum conſentien-
„ te, comprobamus. Sive autem ii Lecho & Zecho Ducibus
„ initio e Sarmatia profecti, hæc geſſerunt; ſive quum initio
„ nullo, aut uno dumtaxat imperio regerentur, ſucceſſu
„ temporis longe lateque propagato imperio, hi duo prin-
„ cipes regnum inter ſe partiti ſunt; alterum (*Lechum ſcili-
„ cet*) Polonis: alterum (*Zechum nempe*) Bohemis nomen
„ dediſſe, dubitandum non eſt. Neque enim fabuloſum om-
„ nino habendum eſt id, quod diuturno non tantum horum
„ ipſorum populorum, ſed cunctæ Slavicæ nationis conſenſu
„ celebratur, Lechum & Zechum principes hiſce Slavorum
„ populis præfuiſſe, & nomina indidiſſe. Vapovius qui-
„ dem etiam certum tempus edidit, quo hæc acta ſint:
„ nempe circa annum Chriſti quingenteſimum quinquage-
„ ſimum. Cujus rei penes auctorem fides eſto. Illud ve-
„ ro quod de adventu Slavorum e Croatia vulgo & ipſum
„ circumfertur, credibile eſt a ſciolo quopiam, rationem
„ temporum & hiſtoriæ veteris non ſatis tenente, aſſutum
„ eſſe: quum is advenas eſſe in his oris Polonos & Bohe-
„ mos perſuaſum haberet, nec unde huc veniſſent, inve-
„ niret; neſciviſſe tamen id videri nollet. Eum vero
„ locum ab eo potiſſimum electum eſſe, unde quum hi
„ po-

„ populi commune Slavorum nomen acceperint, origi-
„ nem quoque duxiſſe probabiliter videri poſſent. Niſi
„ forte exiſtimandum eſt, has gentes non ab uno aliquo
„ homine regi, ſed ab antiquo plebeja communique li-
„ bertate vivere ſolitas, teſte Procopio, quum longe
„ ante (*a*) in his ſedibus conſediſſent, quodam tempore
„ vel utilitate vel neceſſitate adductas, peregrinos Re-
„ ges, ſed ejuſdem tamen ſecum linguæ, e Croatia acci-
„ viſſe, oblatosſve ultro accepiſſe. Quod credere, vel
„ non credere, per nos liberum cuique eſto „. Pergit
lib. 2. (de Rebus Polonicis agens) a *Lecho* ſumere initium, *quando* (inquit) *de vetuſtioribus gentis temporibus nihil exploratum habemus*. Quum autem ſtirps Lechi defeciſſet, duodecim (*b*), ait, Proceres Duces, ſive Palatinos (*Voyvodas*, hoc eſt, *Magiſtros militum* vocant) Polonis præfuiſſe: deinde *Cracum*, ejuſque filium *Lechum* ſecundum & filiam *Vendam*: tum alios XII. Palatinos iterum: ac demum *poſt ſeptingenteſimum*, *&* *quinquageſimum*, *vel ſexageſimum annum* a Chriſto nato, *Præmislum* ſive *Leſcum* primum, *Leſcum* ſecundum, *&* *Leſcum* tertium: & de Leſco quidem ſecundo ac tertio verba Cromeri ſupra ſunt recitata: qui p. 425. hæc addit de Leſco tertio: " Leſco huic (*ſecundo*) e re-
„ bus humanis ſublato, unicus filius, ejuſdem nominis,
„ ſucceſſit. *&* *poſt pauca*. Slavis conſanguineis Polono-
„ rum, Pannoniam tunc imperio tenentibus, ut vult
„ Dlugoſſus, & cum Orientis atque Occidentis Imperato-
„ ribus bellum gerentibus, rogatus, auxilio affuit ali-
„ quoties, collatiſque ſignis cum utroque hoſte, proſpe-
„ re dimicavit. Nec tamen is memorat, quinam hi fue-
„ rint Imperatores. Fabuloſius etiam id eſt, quod ſcri-
„ bit Vincentius, C. Julium Cæſarem tribus præliis ab
„ hoc Leſco ſuperatum, ſororem ſuam Juliam in matri-
„ mo-

a Hoc a Cromero dictum puta ex eorum mente, qui ante Lechi & Zechi in Bohemiam & Poloniam adventum, id eſt, ante ann. Chr. 550. volunt, a Slavicis aliis gentibus eas regiones jam fuiſſe habitatas, quæ poſtea, profectis illuc Lecho & Zecho, nomen Lechitarum & Zechiorum acceperunt.

b Joachimus Cureus in Annal. Sileſiæ pag. 27. *Poſt interitum ſtirpis Lechi in Polonia fuit Ariſtocratia, Provinciis diviſis inter ſeptem Principes, quos ipſi ſua lingua Veivodas, ſcriptores Latini Palatinos nominarunt*. Ceteri Scriptores ad unum pro *ſeptem* habent *duodecim*.

„ monium ei collocaſſe : Craſſum item Romanum cum „ exercitu ab eo deletum eſſe , „ Adeo commentitia ſunt eorum pleraque , quæ de origine rebuſque geſtis Slavorum , Polonorum , Bohemorum , aliorumque , ab auctoribus , ceteroquin non indiligentibus , ante quintum vel ſextum Chriſti ſæculum narrantur .

VIII. Guagnini, & Matthiæ de Michovia ſententia de Lecho & Zecho.

Alexander Guagninus Veronenſis in compendio (a) Chronicorum Poloniæ , necnon Matthias de Michovia (b) in Chronicis Regni Poloniæ , ex Illyrico & Dalmatia Lechum & Zechum in Poloniam & Bohemiam migraſſe ſcribunt : " Ex hac gente bellicoſa Slavonica [*Inquit Guagninus*] ſive Sarmatica , cujus deductionem (c) copioſe deſcripſimus , duo illuſtres magnanimique Principes „ ortum duxeruut , quorum unus Cechus (*Zechus*) alter „ Lechus appellatur , fratres germani . Hi exantlatis ſuperatiſque multis & difficillimis laboribus , miſeriſque „ bellicis temporibus illis turbulentis , in Illyrico & Dalmatia , domeſticæ ſeditionis [quæ ex pace compoſitis „ bellis oriebatur) pertæſi , vegetiora nobilioraque nacti „ ingenia , vivendi aliam rationem elegerunt , cum „ exercitibuſque ſuis a caſtris ſuæ tribus Slavonicæ , civili bello diſſidente , ex Croatia Illyrici regione ſe ſe „ ſubduxerunt , Occidentem verſus in Germaniæ ditiones „ contendentes , Regiones ſitas inter fluvios celeberrimos Albim , & Veſeram occupaverunt , Civitatemque „ cum arce munitam in ripa Veſeræ condiderunt , cui nomen Bremiæ indiderunt , ut ſignificarent ſe in ea onus „ miſeriæ depoſuiſſe : Bremie enim Slavis , onus ſonat ; „ & hucuſque hæc Civitas Bremen a Germanis appellatur : „ illique multa & præclara bella cum Germanis de ſedibus decertantes, geſſerunt , multæque Civitates & arces „ terrore eorum perculſæ libenter ſe illis dediderunt . „ Atque ita Cechus ad Danubium & Albim fluvios in „ Bohemia (d) antiqua Germanorum Colonia , quæ nunc „ Bohe-

a Polonicæ hiſtoriæ corpus , Baſileæ anno 1582. Tom. 2. pag. 341.
b Ibid. pag. 7.
c Ibid. Tom. 1. a pag. 22.
d Bojohemia.

Digitized by Google

,, Bohemia dicitur, primum domicilium habuit, incolis ,, regionis prioribus partim expulſis, partim inter ſuos ,, connumeratis: deinde Auſtriam, Luſatiam, Moraviam, ,, Miſnam ditioni ſuæ ſubegit. Lechus vero frater ſuus, ,, magnanimus heros, ulterius cum ſuo exercitu, anno ,, quo divina poteſtas humana in ſpecie ad ſalutem noſtram ,, cœlitus ſeſe demiſit, quingenteſimo quinquageſimo, ,, proceſſit, inveſtigandi eligendique pro ſui arbitrio cau- ,, ſa ſedes cultiores; primoque ab Occidente in Septen- ,, trionem plagam ſe conferens, hos in campos, ubi nunc ,, Polonia, pervenit, ad Viſtulamque fluvium, unde Van- ,, dali Sarmatica gens ſurrexerat, conſedit, ibique cum ,, ſuis requievit: deinde a Viſtula ad Oderam uſque flu- ,, vium, Orientem & Septentrionem verſus, omnes has ,, Provincias, ubi nunc eſt Sileſia, Marchionatus Bran- ,, deburgenſis, Pruſſia, Mekelburga, Pomerania, Hol- ,, ſatia, Saxoniaque, armis imperio ſuo ſubegit, quibuſ- ,, dam incolis earum partim cæſis, partim expulſis, cæte- ,, ris vero in gratiam ſuſceptis. ,, Hoc ipſum fere Matthias de Michovia, & Joannes Piſtorius Nidanus in Familiis Principum Poloniæ. Alii aliter fabulam narrant; nimirum quia non modo de tempore, & regione, unde Lechus & Zechus in Bohemiam & Poloniam advenerint, ſed etiam de cauſa diſceſſus eorum, deque rebus ab iis geſtis, magna eſt inter ſcriptores controverſia: & quidquid de illis narratur, [ſi hoc dumtaxat excipias, quod Slavi fuerint, quodque alter in Bohemia, alter in Polonia Slavis præfuerit, iiſque nomen dederit,] ob veterum ſcilicet auctorum defectum, pro ſuo quemque arbitrio confinxiſſe, compertum eſt.

IX.
Quid Farlatus, aliique recentiores ex Diocleana hiſtoria ſenſerint de Lecho & Zecho? Quid iidem de primis Dalmatiæ Regibus?

Daniel Farlatus in Illyrico ſacro Tom. 2. a pag. 178. ad 182. *Dalmaticam hiſtoriam a Presbytero Diocleate conſcriptam & a Marco Marulo in Latinum converſam*, cum Procopio conciliare fatagens; quod Procopius ait, anno primo Belli Gothici, Chriſti 535., Juſtiniano imperante, a Romanis Salonam captam, amiſſam, receptam; obſervat, in Dalmatica illa hiſtoria narrari, *Oſtroyllum* primo iſto Belli Gothici anno in acie cæſum, Regnum Prævalita-

num reliquiſſe filio *Senulato*, *qui pacem cum Romanis fecit*. *Idem* (inquit) *confirmat Jacobus Lucarius lib.* 1. *Annalium Raguſii*; *ſed quod Syllimiro ipſe attribuit*, *veriſimilius puto referendum eſſe ad Senulatum parentem Syllimiri*. Pace cum Juſtiniano facta, nihil aliud impetravit Syllimirus, niſi ut *Comes*, ſeu *Dominus Zentæ* vocaretur; *hoc enim nomine* (inquit Lucarius.) *ejus ſucceſſores ac poſteros in diplomatibus Imperatoriis donatos invenio*. At vero illi nihilominus (ſubjungit Farlatus) apud ſuos, & in ejus gentis antiquis tabulis, ac recentioribus nomen Regium, quod initio uſurpare cœperant, retinuerunt. *Zenta* (uti idem Farlatus exponit) *regio eſt* (*a*) *Provinciæ Prævalitanæ*, *quam palus Labeatum interſecat*, *& quæ pars ſupra paludem in ſeptentrionem ſpectat*, *ſuperior*; *quæ autem infra vergit ad meridiem*, *inferior Zenta cognominatur*: *Nec vero propterea Principatum fiduciarium Senulati exiguis Zentæ finibus circumſcriptum eſſe exiſtimes*; *nam & Prævalim totam complexum*, *& ultra montes in Dalmatiam tranſalpinam*, *& uſque ad oram maritimam prolatum fuiſſe*, *ex Diocleate accepimus*. *Quinimo*, *ſi credere libet Diocleati*, *Senulatus Regni ſui fines longiſſime in Septentrionem protulerat*: Fuerunt autem Regni ejus fines de Valderino (*b*) uſque ad Poloniam, tam maritimas, quam tranſmontanas regiones. *Joannes Lucius in notis ad Hiſtoriam Diocleatis num.* 2. *hunc locum ſic explicat*: Senulati 11. Regnum ab Adriatico Poloniam uſque protenſum aſſerit. *In eo Codice*, *quem Marulus Latinum fecit*, *nominatim percenſentur regiones*, *quas Senulatus obtinebat*: Ipſe autem (*c*) Sevioladus Boſnæ, Valachiæ, uſque ad Poloniæ fines, & Dalmatiæ Croatiæque imperavit.
Val-

a. Idem Farlatus Tom. 2, pag. 161. col. 1. de regione inter Naronem Drilonemque ſita, quæ continet Zachlumiam, Terbuniam & Diocleam. Plures Pagos habet Dalmatia; quatuor ſunt maxime illuſtres duo fere ad radices Montis Scardi, *Clementum* & *Pulatium*: infra utrumque eſt *Zenta*, eaque duplex: quæ pars in aquilonem obverſa eſt, Zenta ſuperior; quæ in auſtrum reſpicit, Zenta inferior nominatur. Huic a meridie adjacet palus Labeatium, quæ alias Lacus *Zenta*, alias Lacus *Scodræ* vel *Scutari*, ab Urbe ad fauces ejuſdem lacus ſita denominatur.

b. Illyric. Sacr. Tom. 1. pag. 338. col. 2. *Valderinum* dicitur oppidum ſeu locus prope ab Iſtria, unde initium ducebat Dalmatia inferior.

c. Idem ipſe *Senulatus*, ab aliis appellatur *Sevioladus*.

Valderinnm idem eſt, ac Vinodolum, Carolo Ducangio interprete. Vinodolum autem erat oppidum Japydiæ ad Sinum Flanaticum, ut licet intelligi ex Diplomate Ladislai Regis Hungariæ anno 1290., *& aliis inferiorum ætatum monumentis. Porro Diocleates in hac hiſtoria vocabulis fere utitur poſteriorum temporum. Nam & Boſinam, & Croatiam nominat; quæ quidem vocabula nondum inventa fuerant, uſuque Geographorum recepta, quum Senulatus rerum in Dalmatia potiebatur. At nullo prorſus modo credibile eſt, tam immenſa terrarum ſpatia Senulati ejuſque ſucceſſorum ditione atque imperio comprehenſa fuiſſe. Vereor itaque, ne Diocleates Regnum Senulati e pluribus Regnis, quæ ad alios ſpectabant, conſtaverit; nam & Regnum Sphendoplochi, quem Conſtantinus Porphyrogenitus Principem Moraviæ vocat, in Dalmatiam tranſtulit, & quæ ad hunc pertinent, Sfetopelech undecimo Prævalitano Regi, quem Marulus Budimirum vocat, inſcite admodum atque imprudenter affinxit, & multa alia tum ibidem, tum alibi peccat, Regna disjunctiſſima conjungens, & temporum ordines perturbans: id quod (a) Par. 2. Proleg. cap. 4. §. 2. demonſtratum eſt, & accuratius ſuis deinceps locis ac temporibus declarandum erit. Ceterum is locus hiſtoriæ Diocletanæ, in quo Regnum Senulati latiſſime protenditur, interpretatione aliqua adhibita, ſic accipi poteſt, ut a veritate non abhorreat. Nimirum Diocleates, aut ille auctor, a quo hæc ſumpſit, ad Regnum Senulati adjunxit varios Principes & populos generis Gothici & Slavonici, quibus erat cum Senulato vel ſanguinis communio, vel affinitas, vel juris reique communis ſocietas aliqua, vel denique fœdus ſive amicitia, lege ac religione ſancita: ex his autem aliquo hujuſmodi nexu conjunctis ac fœderatis gentibus Regnum unum latiſſime patens confecit, quod attribuit Senulato, ad quem regiones illæ ac populi jure fœderis & ſocietatis aliquo modo pertinebant* Nimirum Æthiopem lavare nititur Farlatus; qui alibi ſexcenties oſtendit, *Diocletanæ Hiſtoriæ* in rebus Gothicis Slaviciſque antiquis, in quibus a Procopio, Jor-

(a) Tom. 1. Illyrici Sacri a pag. 125.

nande, Conſtantino Porphyrogenito, aliiſque Græcis & Latinis Scriptoribus diſſidet, nullam eſſe adhibendam fidem. Verba ipſius Farlati recito: qui Tom. 2. Illyrici Sacri, quum de Auctore & Interprete ejus hiſtoriæ fuſe diſſeruiſſet, ſic ait pag. 144. *In hiſtoria Diocletana, multa paſſim reperies, quæ quum neque temporibus, neque locis, neque veterum monumentis conſentanea ſint, illius auctoritatem in magnum diſcrimen conjiciunt. Anachroniſmis ſcatet fere ubique; & Imperatores, Pontifices, Reges ſimul jungit, quos intervalla ætatum ac temporum longe inter ſe disjungunt. Loca commemorat, quæ vetus recenſque Geographia penitus ignoravit. Reges nominat vel antiquis ſeculis ignotos, vel e longinquis terris gentibuſque adſcitos, atque in Dalmatiam invectos. Quæ quum animadverteret Joannes Lucius, fabuloſum & commmentitium magna ex parte habendum eſſe cenſuit hujuſmodi Regnum deſcriptum a Diocleate, qui, ut ipſe ait lib. 2. cap. 14. de Reg. Dalm. & Croat.* in Regno ſtatuendo, Regumque recenſione, regiones, ſtirpes, tempora adeo confundit, ut potius fabulam quam hiſtoriam ſcripſiſſe deprehendatur: *idemque aliis locis nihilo mitiorem huic hiſtorico & hiſtoriæ cenſuram inflixit.* Recole quæ a nobis quoque Tom. I. a pag. 320. ad 372. in Animadverſionibus ad hujuſmodi rerum Dalmaticarum Scriptores obſervata ſunt: ubi oſtenſum eſt etiam, Cangium, virum doctiſſimum, operam perdidiſſe, dum medicam manum tot aſyſtatis, quæ in Diocletana hiſtoria paſſim occurrunt, adhibere conatus eſt. Hoc ipſum de clariſſimo Farlato dicendum exiſtimo, qui poſtquam ingenue, quam modo recitavi cenſuram de illa Hiſtoria tuliſſet, ſeque judicio graviſſimi & ſapientiſſimi viri Joannis Lucii propemodum impulſum faſſus eſſet, ut eam penitus abjudicaret atque rejiceret; non omnino tamen contemnendam ſibi viſam eſſe ſubjungit, eo quod Marcus Marulus eam dignam cenſuerit, in qua Latine vertenda operæ haud parum ſtudiique conſumeret; quum eandem ſcriptores fere omnes Dalmatici, veluti Jacobus Lucarius in Annalibus Raguſinis, Maurus Orbinus in opere, quod inſcribitur, *Regnum Slavorum*, & alii plures, tanti fecerint, ut pleraque, aut fere

fere omnia indidem accepta in ſuos libros derivarent; facturumque ſe operæ pretium concludit, ſi eandem hiſtoriam, ſublatis mendis Chronologicis, & hiſtoricis, quibus referta eſt, quantum animo conniti poteſt, ſtudioque contendere, cum hiſtoria conciliet eorum temporum, in quibus illa verſatur; præſertim quum res illas Dalmaticas ſexti ſæculi nemo literis conſignaverit: quæ proinde de illis Regibus ac temporibus Diocleates ſcripſit, idem ipſe Diocleates vel e vetuſtis monumentis, quæ nunc non exſtant, vel a majorum traditione, quam longinquitas temporum intercidit, accipere potuit; quamvis multa hiſtoriæ univerſalis ignoratione & perturbatione temporum peccaverit. Profecto Cangius in opere illo *de Familiis Dalmaticis*, *Sclavonicis*, *Turcicis*, idem quod Farlatus, de hiſtoria illa judicium fecerat: *Verum*, inquiens, *quum nullus alius rerum Dalmaticarum Scriptor habeatur*, *qui primos iſtos Servianos Principes recenſuerit*, *horumque ſeriem & geſta*, *donec apud Byzantinos Scriptores horum mentio primum occurrat*, *exaraverit*; *haud abs re erit*, *ſi quæ ille quacumque ratione commemorat*, *adhibita interdum legitima cenſura*, *mutuemur*. Jam vero id & Farlato & Cangio agendum erat, in eoque laborandum, ut quæ in hiſtoria Diocletana ſunt perſpicue falſa, corrigerent; cætera vero cum ſcriptoribus antiquis componerent, & ad normam veritatis hiſtoricæ & chronologicæ exigentes, nomina nominibus, factis facta, temporibus tempora conciliarent. Quod an uterque præſtiterit, in iis potiſſimum enarrandis, quæ ab Anaſtaſii Auguſti temporibus uſque ad Heraclium in Dalmatia, Illyrico, Pannonia, Thuringia, aliiſque Septentrionalibus regionibus per Gothos, Hunnos, & Slavos contigere, judicium penes æquum lectorem eſto. Mihi certum eſt, ea quæ a Bohemis & Polonis de *Zecho* & *Lecho*, gentis ſuæ primis Ducibus, dicuntur, adhibita, ut ſupra ex Cromero narratum eſt, legitima cenſura, facilius cum veritate hiſtorica conciliari poſſe, quam quæ (*a*) Diocletanus hiſtoricus & *Auctor Catalogi Romani* referunt de Dalma-

a Vide Illyric. ſacr. Tom. 1. a pag. 332. ad 342. & Tom. 2. a pag. 180.

matiæ Orientalis, ſeu Daciæ Veteris, inter Poloniam & Bohemiam ſitæ, hoc eſt Prævalitanæ, ut Farlatus vocat, Provinciæ, ſive Dalmatiæ ſuperioris, Regibus, *Oſtroillo*, *Senulato*, *Silimiro*, *Bladino*, *Ratomero*, *quatuor tyrannis*, & *Zuanimiro*, qui (*a*) ab anno circiter 502. ad annum 640. regnaſſe perhibentur.

X. Vera Polonorum & Bohemorum a Lecho & Zecho origo.

Quidquid tamen ſit de horum Regum numero, ſucceſſione & Regno, quum ii quidem (juxta Dalmaticos ſcriptores) *Gothi* fuerint, Zechus vero & Lechus *Slavi*, *Slavorumque Duces*; commentitia prorſus cenſenda eſt, quam Farlatus ex Lucario tradit eorundem Lechi ac Zechi originatio, dum illos affirmat a Senulato Gotho Rege ex Matre Slava procreatos. Sic enim ſcribit Tom. 2. pag. 181. *Quum Juſtinianus Imperio Romano reſtituiſſet fere omnia citra Danubium, erepta barbaris, quos partim expulerat, partim ſibi obnoxios & vectigales fecerat; regiones ultra Danubium in ſua poteſtate retinebant cum aliæ gentes, tum præſertim Gothi, & Slavi: his autem cum Senulato & Gothis* (*b*) *Slaviſque Prævalitanis conſanguinitas, fœdus, & amicitia intercedebat: Idque in dubium revocari nequit, ac ferme pro certo haberi debet, præſertim ſi verum eſt, quod de Lecho & Czecho tradit Jacobus Lucarius lib. 1. Annal. Raguſ. Hos enim docet fuiſſe filios Senulati, & fratres quidem Selimiri, qui patri ſucceſſit in Regnum Prævalitanum, ſed ex alia matre procreatos. Quum Regnum paternum anguſtius eſſet, quam ut tres fratres regnandi avidos capere poſſet, Czechus & Lechus, Regno eo relicto, quod fratri natu maximo, jure hæreditario, debebatur, alias ſedes, condendoque ſibi Regno alias terras quærere conſtituunt. Itaque quod ex illis populis abundabat,*

a Tom. 2. Illyric. ſacr. a pag. 329. ad 336. ex hiſtoria Diocletana. At Auctor catalogi Romani, Tom. 1. pag. 332. & ſeqq. Dalmatiæ Orientalis Reges hoſce nominat, *Oſtroilum*, *Sevioladum*, *Selimirum*, *Uladanum*, *quatuor tyrannos*: primos autem in Dalmatia ſive Servia, *Selimirum*, & *Budimirum*; in *Dalmatia* vero Occidentali ſive Croatia Duces. *Corbatum*, & *Porinum*.

b Abares, ſive Hunni, Dalmatiam inſederant, antequam Slavi, Chrobati & Serbli, iis expulſis, permiſſu Heraclii, eam regionem incolerent. Vide Porphyrog. Admin. Imp. c. 31. Ante Hunnos Gothi ea regione aliquandiu fuerant potiti. Recole quæ ſunt a nobis obſervata de Slavis, Hunnis, & Gothis Dalmatiam obtinentibus Tom. 1. a p. 315. ad 320.

bat, præſertim Slavonici generis, in eam expeditionem adſciſcunt; profectique cum his copiis peditum equitumque, quibus alii atque alii, vel ejuſdem, vel mixti generis populi, e regionibus, per quas iter habebant, comites ac ſocios ſe addiderunt, Danubium trajiciunt; & alter in Bohemia, alter in Polonia regnum ſibi ſuiſque filiis ac nepotibus fundarunt. Utramque regionem Slavi incolebant, qui poſtquam audiſſent pleroſque advenarum origine Slavos, & ſuos eſſe conſanguineos, agros illis ac domicilia haud benignius, quam promptius tribuerunt. Quamvis autem Czechus & Lechus Gotho patre orti eſſent, quum tamen maternum genus, ut eſt veriſimile, a Slavis ducerent; utriuſque nobilitatem, indolem, virtutem, atque animum rebus magnis ſuſcipiendis ac gerendis aptum indigenæ admirati, haud grave ſibi duxerunt illorum imperio ſubeſſe. Atqui Czechum & Lechum ex Illyrico in eas, quas dixi regiones, veniſſe, fere inter omnes convenit, quamvis alii ex Dalmatia, alii ex Chrobatia profectos eſſe exiſtimant. De tempore adventus controverſia eſt inter ſcriptores, quorum tamen plerique ad ſextum æræ Chriſtianæ ſæculum, in quo nunc verſamur, referri oportere arbitrantur. Atqui quum idem ipſe Farlatus Tom. 2. pag 331. & 332. dicat, *Senulato, Lechi & Czechi* [ut putat] *patre, Rege Gothorum & Slavorum in Dalmatia ſuperiori anno 547. extincto, Silimirum filium rerum potitum fuiſſe, eique anno 568. mortuo filium Bladinum ſucceſſiſſe; ſub Silimiro autem Lechum & Zechum, e Dalmatia illa, alterum in Bohemiam, alterum in Poloniam, utramque Regionem a Slavis inhabitatam, profectum, regnum ſibi ſuiſque ſucceſſoribus ibi fundaſſe*: quum hæc, inquam, Farlatus dicat, ſupponit, ante annum 547. jam *Bohemos* & *Polonos*, ideſt, ante Lechi & Zechi adventum, *Slavonici generis* fuiſſe: id quod ſcriptoribus rerum Bohemicarum & Polonicarum omnibus repugnat, qui circa eum annum (aut etiam longe antea) unacum Lecho & Czecho Slavos in Bohemiam & Poloniam vacuas aut ſemivacuas regiones, primum fuiſſe invectos affirmant, ab iiſque nomen ſortitos. Joannes [a] Dubravius hiſtor. Bohem. lib. I.

a Hanoviæ typis Vrechelianis Anno 1602.

lib. 1. p. 5. *Quippe in hunc uſque diem Bojemi ſe a Czechio, Czechios; Poloni autem a Lecho Lechitas, utrique conditores ſuos agnoſcentes, appellant.* Martinus Cromerus lib. 1. cap. 16. p. 419. *Neque fabuloſum omnino habendum eſt id, quod diuturno non tantum horum ipſorum populorum* (Poloniæ ſcil. & Bohemiæ) *ſed cunctæ Slavicæ nationis conſenſu celebratur, Lechum & Zechum principes hiſce Slavorum populis præfuiſſe, & nomina indidiſſe.* Idem lib. 1. cap. 13. p. 417. *Igitur Slavorum ii populi, qui ad Sarmaticos montes, ſive Carpathum, & in extrema ora Sarmatiæ, qua Germaniæ Viſtula flumine interlabente conjungitur, & inde porro verſus occidentem ſolem ad Odram fluvium . . . atque adeo ad Bohemiam uſque & Albim, qua is relicta Bohemia, in mare decurrit, ut volunt noſtrates fere, & ad extremam Sarmatici maris oram conſederunt, Polaci ſive Polani, a vicinis ejuſdem linguæ populis, atque inde Poloni a Latine loquentibus, dicti ſunt: regio vero Polonia. Duplex autem nominis hujus ratio aſſignatur. Vel enim a Pole, quod & Planitiem & Venationem Slavis ſignificat, Polanos & Polacos appellari volunt: propterea quod & planam fere apertamque regionem ii tenent, & apprime tenentur venandi ſtudio: vel a conditore ac primo Duce gentis Lecho, ſive Lacho, quaſi Polacos, hoc eſt, poſteritatem Lachi, dici autumant. Cui rationi ac denominationi adſtipulatur illud, quod Ruſſi & Moſchi, nec ſcio an alii quoque Slavi, præter Bohemos, non Polanos, neque Polacos, verum Lachos eos in hunc uſque diem vocant. Nec multum ab hac diverſa eſſe videtur ratio nominis Ungarici, qui Polonos Lengel, quaſi Lechel, ut mihi quidem videtur, hoc eſt, a Lecho conditos appellant. Convenit certe inter omnes, Zechum & Lechum ſive Lachum, germanos fratres, hunc quidem apud Polonos, illum vero apud Bohemos primum regnaſſe.* Alexander Guagninus lib. 1. pag. 341. *Itaque a Lecho* (a) *primo Duce auctoreque Polonorum Polo-*

ni

a In Annalibus Bertinianis ad ann. Chr. 832. memoratur *Lech* fluvius juxta Vindelicorum urbem Auguſtam: *Ludovicus Pius Imp. cum omni exercitu in Alemaniam perrexit., pervenitque ad Auguſtburg ſuper Lech.* Idem fluvius ab aliis ſcriptoribus vocatur *Lech feld*, ſeu *Lech vels*; Chronicon Reginonis ad ann. 787. *Rex Carolus partibus*

Digitized by Google

ni a Ruthenis cæteriſque Slavis Lechitæ ; Bohemi vero a Czecho Czechi appellantur : hoc vero nomen , quo Poloni vocantur , a regionis planitie campiſque quos incolunt apertis retinent : campus enim , ut diximus , Pole ſignificat . Matthias de Michovia , poſtquam lib. 1. cap. 1. Czechum fratrem juniorem , & Lechum majorem natu , alterum in Bohemiam, alterum in Poloniam , incultas tunc temporis terras , perrexiſſe , ibique Slavorum Regnum condidiſſe ſcripſiſſet , ſubjungit cap. 2. *Ruſs autem nepos , vel, ut nonnulli ajunt , germanus Lech , terras Ruſſiæ latiſſimas populavit , & de ſuo nomine appellationem toti Ruſſiæ reliquit: quemadmodum a Lech, toti Poloniæ titulatio obvenit , & dicebatur Regnum Lechitarum ; quod uſque in hanc diem Orientales ſervant : Græci enim, Tartari, Beſſerabes , & Rutheni Polonos vocant Lechitas . Hungari quoque a Lech , Polonos vocant Lengel* . Denium , ne longius ſermonem protraham , Joachimus Cureus Freiſtadienſis in Annalibus (*a*) Sileſiæ ; " Omnes ſcriptores Polonici (*inquit*) „ narrant , gentem Slavonicam duos habuiſſe ductores , „ eoſque fratres, Lechum & Zechum . Lechi agmen com„ plevit ſedes veterum Lygiorum & Quadorum . . . Ze„ chus occupavit amoenam illam vallem inter montes Su„ detes , cedentibus ipſi Marcomannis & Hermunduris ; „ eamque ſervato veteri nomine , appellavit Bohemiam . „ *Et poſt pauca* . De appellatione Poloniæ, quæ genti Sla„ vicæ , propagatæ in has noſtras regiones , attributa eſt , „ etiam ipſi autores patrii non conſentiunt : derivant ali„ qui vocem a planicie , alii a ductore gentis . Mihi ve„ riſimilia protuliſſe videtur vir omnibus vitæ ornamentis „ clariſſimus D. Sigiſmundus ab Herberſtein , qui in hiſto„ ria ſua Moſcovitica (*b*) ex Annalibus Moſchorum tradi„ dit ,

Bavariæ exercitum (adverſus Taſſilonem Ducem) *movit, & venit in locum , qui dicitur Lechfeld ſuper Civitatem Auguſtam* Ibi Otho Imp. anno 950 pugnavit cum Ungaris , qui Teutoniam invaſerant , & magna cæde proſtravit eos in campo qui dicitur *Lechfeld* , prope Auguſtam Vindelicorum . Vide Paulum Langium ad ann. 955. & Siffridum Presbyterum ad ann. 956. Nullus dubito , quin a Lecho id nomen fluvio , & campo inditum ſit . Idem fluvius , *Licus* aliis ſcriptoribus appellatur .

a Vitebergæ anno 1571. pag. 26.

b Sigiſmundus Herberſteinius Rerum Moſcoviticar, commentar. Baſileæ ann. 1571.

„ dit, olim ad nobilem urbem Kioviam, ubi eſt confluens
„ Neparis & Boryſthenis, non longe a ripa paludis Mæo-
„ tidis, habitaſſe populos Ruthenicos, qui dicebantur Po-
„ leni, ideſt, Campeſtres. Inde igitur proculdubio com-
„ mota eſt maxima multitudo Sarmatica, quæ in noſtra
„ loca migravit. *Et poſt paulo*. Exiſtimo vero Polonos
„ dictos eſſe reſpectu aliorum, qui dicebantur Riphæi,
„ hoc eſt, montani, quod propius mundi cardinem, aut
„ ad montes habitarent, quum ipſi Poloni incolerent
„ agros vicinos Euxino & Auſtro. Ex Riphæis vero veteri-
„ bus multi ſecuti ſunt Zechum in Bohemiam, qui, ut
„ opinabile eſt, ſuam appellationem iſtis montibus impreſ-
„ ſerunt: nam altiſſima juga Sidetum, quæ Sileſiam attin-
„ gunt, adhuc hodie nominantur montes Riphæi vel Gi-
„ gantæi. „ Atque hæc de Lecho & Zecho, Polonorum
& Bohemorum auctoribus, dicta ſufficiant.

XI. Quis Lecho ille a Carolo Rege Caroli Magni filio in prælio interfectus? Quidve ſentiendum de primis Bohemiæ ac Poloniæ Ducibus, quorum ſeries apud rerum Bohemicarum ſcriptores legitur?

Ceterum quum ex laudatis Francorum Annalibus perſpicuum ſit, *Ducem Bohemorum Lechonem anno Chr. 805. a Carolo Rege, Caroli Magni Imperatoris filio, cæſum fuiſſe*; proculdubio colligitur, hunc Lechonem a Lecho illo primo Poloniæ Rege diverſum eſſe: is enim circa an-

pag. 2. *Gentem hanc* (Ruſſiæ) *Slavonicam eſſe ex Natione Japhet, atque olim conſediſſe ad Danubium, ubi nunc Hungaria eſt & Bulgaria, & tum Norci appellatam: tandem diſpalatam & per. terras diſperſam, nomina a locis accepiſſe, utpote Moravi a fluvio, alii Czechi, hoc eſt Bohemi: item Chorvvati, Bieli, Serbli, ideſt Servi, Chorontani dicti, qui ad Danubium conſederant, a Valachis expulſi, venientes ad Iſtulam, nomen Lechorum a quodam Lecho Polonorum Principe, a quo Poloni etiamnum Lechi vocantur, acceperunt, alii Lithuani, Maſovienſes, Pomerani: alii ſedentes per Boryſthenem, ubi nunc Chiovia eſt, Poleni dicebantur: alii Drevuliani, in nemoribus habitantes: alii inter Duvinam & Peti, dicti Dregovvici: alii Poleutzani ad fluvium Polsa, qui influit Duinam &c.* Hæc Herberſteinius, quæ tamen ut conſtare poſſint, dicendum eſt, ab illo ordinem temporum non eſſe ſervatum. Nam quos Lechus in eam regionem invexit, quæ Polonia dicta eſt, ii non Chorvaros & Serblos (uti Herberſteinius ſcribit) ſubſecuti ſunt, ſed illos annis circiter centum anteceſſere. Sicut enim ſæpedictum eſt, Lechi & Z.chi in Bohemiam & Poloniam adventus in annum fere 550. communiter conſertur: Chorvati vero & Serbli (ſive Chrobati & Servii) circa annum Chr. 640. ſub Heraclio Imperatore, Abaribus expulſis, Dalmatiam mediterraneam occuparunt. Vide cl. Farlatum Tom. 2. Illyrici ſacri a pag. 317. ubi ex Conſtantino Porphyrogenito de Chrobatis & Serbliis fuſe agit, & Chrobatos quidem affirmat, eam Sarmatiæ, nunc Poloniæ, partem intra Carpathios montes incoluiſſe, quæ ad Auſtrum vergit, cuique ab occaſu Francia, nunc Germania, a Meridie Turcia, nunc Hungaria Superior, finitima eſt: nec longe abfuiſſe Serblorum regionem, utpote Chrobatis conterminam: inde vero advenientes, permiſſu ſualuque Heraclii, Abaribus & Slavis e Dalmatia ac Moeſia Superiore ejectis, utramque Provinciam obtinuiſſe.

annum 550. Slavos in eam regionem advexit, quæ Polonia dicta eſt, Zecho fratre in Bohemia cum ſuis manente: proinde conſequitur, illos decipi, qui ante annum 805. id Lechonis & Caroli factum conferunt. Joachimus Cureus in Annalibus Sileſiæ pag. 28. (præmiſſa poſt Lechum gentis Polonicæ conditorem, Palatinorum, Craci, Leſchi, Vandæ, & Premislai ſerie) ſubjungit: *Poſtea recenſentur duo Lechi* (Leſcos ſecundum & tertium alii vocant) *pater & filius, quibus interceſſit bellum cum Carolo Magno, quod incidit in annum Chr. 786. aut circiter; & excitatum eſt hac occaſione, quod Poloni, aut aviditate prædæ, aut metu potentiæ Hungaricæ, conjunxerunt ſe cum Hungaris adverſus Germanos: eos repreſſit Carolus, & ex Pannonia ſuperiori ejecit, erecta contra eos Marchia Orientali, quæ deinde nominata eſt Auſtria. Polonos etiam Carolus terruit, & ad petitionem pacis adegit, qui Aquiſgrani per legatos reconciliati ſunt Carolo, ea conditione, ut perſpicue teſtantur ſcriptores illius ſeculi Eginhartus & alii, ut Imperatori ſolverent tributum. Idem Carolus ad arcendos Polonos a Germania, munivit Brandeburgum anno 789. collocatis eo colonis ex Alſatia, quos tamen Poloni non multo poſt mortuo Carolo ejecerunt. Nam filii hujus Leſci, quos habuit plures, veteres ſedes Longobardorum, Senonum, & vicinorum, inter ſe partiti ſunt, & excitatis multis munitionibus, ſeſe adverſus Germanos defenderunt. Cum illis tamen populis Henetis, Polonis & Bohemis, aſſidua bella geſſiſſe ſcribitur Ludovicus Caroli filius circa annum Domini* 830. Nihil horum, quæ Cureus de Polonis narrat, leguntur apud Eginhartum, aut alios rerum Francicarum Scriptores, ſed iſti ad ſingulos annos, ut ſupra dixi, commemorant prælia a Carolo Magno cum Hunnis Abaribus in Pannonia, cum Saxonibus in Saxonia, & cum Slavis Venedis ultra Albim commiſſa. De Bohemis, prima occurrit mentio ad annum 805. Confundit ergo Cureus Hunnos Abares, Saxones, & Slavos Venedos Tranſalbianos, cum Polonis & Bohemis, & ipſis Slavis, ſed ſub alio Principe conſtitutis. Alexander Guagninus Seriem & ipſe Poloniæ Princi-

pum a *Lecho* ad annum 550. deducens, ejus poſteros hoc ordine recenſet; *Wiſimirus* (inquit) *ex Nepotibus Lechii, uſque ad Daniam imperium Polonorum extendit, Syvardo Daniæ rege ſemel iterumque devicto. Poſt hunc Palatini* XII. *Deinde Cracus Nepos Cechii Bohemorum Principis, in Polonia regnavit, Craco Lechoque filiis, filiaque Vanda relictis. Cracum ſecundum Lechus frater occidit: Vanda Craci primi filia anno Chr.* 730. *in ordine Ducum Poloniæ quarta: poſt Vandæ obitum, Palatini* XII. *iterum: tum vero Premislaus, ſive Leſcho primus ex his* XII. *Palatinis unus anno* 750. *quo abſque poſteris decedente, Leſco ſecundus anno* 780. *Regnum obtinet, Leſcio quodam alio dejecto. Leſconi ſecundo filius ejus Leſco tertius ſufficitur. Hic* (inquit Guagninus) *a moribus paternis minime degeneravit, omnes finitimos hoſtes ſedavit: Imperiique ſui fines in pace, & ſecuritate cicuravit. Poſtea otii impatiens, Hungaris Saxonibuſque adverſus Carolum M. Imper. auxilia ſuppeditabat. Tandem anno Domini* 801. *cum Bohemis, Pruteniſque a Carolo in Sileſia cruento prælio ad Oderam fluvium proſtratus eſt.* Hæc Guagninus, in anno certe 801., quo illud bellum cum Carolo geſtum, in eoque Leſconem tertium cæſum ſcribit, egregie deceptus; ut cætera prætermittam. Cromerus a Guagnino aliiſque diſſidet: non enim Leſconem tertium, ſed ſecundum tertii patrem in eo prælio, quod geſtum eſſe anno 805. dixi, tradit, ſic ſcribens in Leſcone tertio: *Magis conſentaneum eſt rationi temporum, Leſcum ſuperiorem,* (ſecundum ſcilicet, tertii patrem) *quidem, Ungaris & Sclavis promiſcue Pannonias tunc incolentibus, contra Carolum Magnum ...... octo annis in Pannonia bellum gerentem præſto fuiſſe, & nonnunquam bene rem geſſiſſe: ad extremum vero debellatis Ungaris* (Hunnis Abaribus) *propter latam illis opem, vel infeſtatam, ut vult Blondus, Saxoniam* (imo, ut ſcribit Eginhardus, propter infeſtatam Hunniam Carolo jam ſubjectam:) *a Carolo, Caroli ejuſdem filio, bello petitum, commiſſoque prælio interfectum eſſe: Albique & Salæ fluviis, quod idem Blondus memorat, impoſita præſidia. Tum de-*

mum.

mum autem illud accidiſſe, quod e Sabellico ſuperius memoravimus, ut filius interfecti (Leſco tertius ſcilicet) *de quo nunc agimus, legationem Aquiſgranum ad Carolum de pace mitteret: & quidem cum muneribus: eaque munera tributi nomine, ab Eginharto, Carolum ſuum ornante, appellata eſſe. Poſterius quidem certe hoc bellum contra Bohemos ſive Polonos, quam illud contra Pannonios & Ungaros a Carolo Magno geſtum eſſe, ab iis qui res geſtas ejus quoquo modo attigerunt, memoratur.* Non tamen hæc conveniunt cum iis, quæ ſcriptores Rerum Bohemicarum de ejus gentis Ducibus narrant: alios enim a Lechi ſucceſſoribus recenſent Zechi in Bohemia poſteros, quos *Martinus Cuthenus* Bohemus, & *Gaſpar Cropacius* Pelſinenſis, item Bohemus, verſibus comprehenſos, *Chronicæ Bohemorum* (a) a Coſma Pragenſi conſcriptæ, præmittunt: ſic. 1. *Cechus* Dux Bohemiæ primus: 2. *Croccus: Lybuſſa*. 3. *Primislaus*. *Wlaſta* puella. 4. *Nezamislaus*. 5. *Mnata*. 6. *Vogenius*. 7. *Vinslaus*, ejuſque frater *Wratislaus*. 8. *Grezomil*, qui & *Neclan*. 9. *Hoſtuitus*. 10. *Borzivous*, qui primus Chriſtianam religionem amplexus dicitur, unacum *Ludmilla* uxore a *S. Methodio* baptizatus, quo tempore *Svatoplucus* Moravis imperabat: id quod a Bohemicis ſcriptoribus ad Arnolphi Imperatoris tempora confertur, ideſt inter annum 887. & 899. qua tamen de re ſermo redibit. Nunc ad Bohemiæ Duces. Dubravius igitur lib. 2. pag. 16. *Vinslaum* & *Wratislaum* fratres, Caroli Magni temporibus, vixiſſe tradit in hæc verba: *Poſthac Vogenus* (ſextus Dux) *pacatiorem Bohemiam habuit. Hic duos poſt obitum ſuum filios ſuperſtites reliquit, Uneslaum natu majorem, & minorem Vura-*

a Hanoviæ Typis Vvechelianis anno 1607. Coſmas Pragenſis, Zecho omiſſo, ſex Bohemicos Duces, a pag. 4. enumerat. 1. *Crob*; tres filiæ, *Kazi*, *Terbka*, *Luboſſa*. 2. *Primizl*. 3. *Nezamizl*. 4. *Mnata*. 5. *Voyn*. 6. *Unizlau*. 7. *Crezomizl*. 8. *Neclan*. 9. *Goſtivit*: 10. *Borivoy, qui primus Dux baptizatus eſt a Ven. Methodio Epiſcopo in Moravia ſub temporibus Arnolphi Imp. & Zuatoplich ejuſdem Moraviæ Regis*. Et pag. 21. *Anno Dom. Incarn.* 894. *Borivoy baptizatus eſt primus Dux ſanctæ fidei Catholicus*. Vide Pagium ad ann. 894. num. 17. & 18. ubi Zvventibaldo ſive Svatopluco Moraviæ Rege mortuo, *Vvorſivvoy* ſive Borſivvoyum, & Bohemiæ Ducatum, & baptiſmum eo anno accepiſſe refert: quem Ducatum Arnolphus Germaniæ Rex anno 890. jamdicto Suatopluco conceſſerat.

Wratislaum. Et mox. *Ac nequando fratrum concordiam individuus principatus dirimeret, ita inter illos hæreditatem dividi placuit, ut Septentrionalis plaga, ad quam Lucenſis ſive Zatecenſis regio poſita eſt, Uratislao attribueretur; totam autem reliquam Bojemiam Uneslaus, tamquam Bojemiæ Princeps, ut obtineret. Sorte ſua uterque contentus, fraternam inter ſe benevolentiam colebant, mutuaque ſibi invicem auxilia præſtabant adverſus Carolum Cæſarem, Saxones etiamtum & Vandilos, ipſoſque præterea Bojemos oppugnantem*. Itaque nullus in hiſtoria Bohemica occurrit *Lecho Dux Bohemorum* a Carolo in prælio anno 805. occiſus; ſicuti neque ullus *Leſcus ſecundus aut tertius*, qui ſimul Poloniæ & Bohemiæ Regnum obtinuerit. Quam ob rem idipſum ego de primis Poloniæ Regibus ſentiendum puto, quod Coſmas Pragenſis de Bohemiæ Ducibus a Primislao uſque ad Borivojum, primum Chriſtianum Ducem, pronunciavit p.8. in hæc verba: *Horum igitur Principum de vita & morte ſiletur, tum quia ventri & ſomno dediti, inculti & indocti, aſſimilati ſunt pecori, quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima fuit oneri; tum quia non erat illo in tempore, qui ſtylo, eorum acta commendaret memoriæ*. Mirum tamen eſt, in tanta rerum priſcarum tum Bohemicarum, tum Polonicarum caligine, nullis antiquis exſtantibus documentis, tam multa ab iis ſcriptoribus referri, perinde acſi rebus geſtis interfuiſſent; ea tamen, quæ ex puro Græcorum Latinorumque Veterum fonte haurire poterant, fuiſſe ab illis aut ſilentio obruta, aut fabellis inſperſa: quale eſt iſtud *Lechonis*, non Poloniæ, ſed Bohemiæ Ducis, qui anno 805. a Carolo cæſus eſt, quemadmodum Eginhardus aliique Annaliſtæ tradunt. Sed ad geſta Caroli Magni, unde in gratiam Bohemorum & Polonorum Ducum digreſſi ſumus, redeamus.

XII. Pax inter Francos, Venetos, & Græcos poſt varias diſceptationes ab anno 806. ad 810. circa Dalmatiæ fines.

Anno 806. Eginhardus. *Statim poſt Natalem Domini venerunt Wilbarius, & Beatus Duces Venetiæ, nec non & Paulus Dux Jaderæ, atque Donatus ejuſdem civitatis Epiſcopus, Legati Dalmatarum, ad præſentiam Imperatoris, cum magnis donis, & facta eſt ibi ordinatio ab Imp.*

Imp. de Ducibus & populis tam Venetiæ, quam Dalmatiæ. Idem habent cæteri Annaliſtæ ad hunc annum. Addit Eginhardus: *Claſſis a Nicephoro Imp. cui Nicetas Patricius præerat, ad recuperandam Dalmatiam mittitur.* Annaliſta Metenſis ad ann. 803. *Miſſi Imperatoris a Conſtantinopoli regreſſi ſunt, & venerunt cum eis Legati Nicephori Imperatoris, qui tunc rem publicam regebat, quorum hæc ſunt nomina, Michael Epiſcopus, Petrus Abbas, & Calliſtus Candidatus: qui venerunt ad Imperatorem in Germania ſuper fluvium Sala in loco qui dicitur Salzs, & pactum faciendæ pacis in Chriſto ſuſceperunt.* Inde dimiſſi cum Epiſtola Imperatoris, Romam venerunt; *Unde Conſtantinopolim regreſſi ſunt. Venit quoque Fortunatus Patriarcha de Græcis, afferens ſecum inter cætera dona, duas portas eburneas, mirifico opere ſculptas.* Erat *Fortunatus* Patriarcha Gradenſis, qui idcirco dicitur *de Græcis* veniſſe, ideſt de *Venetiis*, juxta modum loquendi Leonis PP. III. in Epiſt. XI. ad Carolum M. in qua ait: *Reperimus in eis, quatenus a Gradenſi inſula, ubi Fortunatus Archiepiſcopus ſuam propriam ſedem habere videbatur, propter perſecutionem Græcorum ſeu Veneticorum, exul eſſe dignoſcitur.* Veneti enim tunc Græcorum fœderati erant. Ab aliquot autem annis domeſtico laborabant bello. Quare illo anno 803. *Fortunatus* Patriarcha Gradenſis, & *Willerus*, quem Sigonius *Obelerium* vocat, Metamaucenſis Tribunus, ſolum vertere coacti, Tarviſium ſe contulerunt, quod ditionis Francorum oppidum erat. Fortunatus, ut conſtituerat, ad Carolum Auguſtum properavit. Willerus vero, Dux a Venetis exulibus eſt declaratus. Hoc vero anno 806. Tarviſio cum valida armatorum manu egreſſus, Metamaucum repente repetiit, ac *Joanne Mauricioque* Ducibus exactis, Ducalem ipſe dignitatem aſſumpſit, & conſenſu populi, *Beatum*, ac *Valentinum* fratres, honoris ſibi conſortes adſcivit. Deinde comparato cum Tribunis exercitu, Heracliam, unde Joannes & Mauricius originem trahebant, in eorum contemptum invaſit, ac funditus evertit. Heracliani, alii Metamaucum, alii Torcellum, ſed plerique Ri-

Rivoaltum petierunt. Fortunatus etiam Patriarcha reverſus è Francia ſub idem tempus Gradum rediit. Porro Joannes & Mauricius Metamauco pulſi, Nicephorom Imp. CP. de tota rerum geſtarum ſerie, deque exilio quod patiebantur, certiorem fecerunt, nec omiſerunt affirmare, id ſibi dedecoris atque injuriarum illatum, quod propenſiore erga eum animo ac ſtudio eſſent. Rumor paulo poſt increbuit, Nicephorum claſſem ad eos reducendos miſſurum. Eo nuncio territi Vvillerus & Beatus, Valentino fratre domi relicto, unacum Paulo Duce, & Donato Epiſcopo Jadertinis, Carolum Auguſtum adierunt, ut ſupra diximus ex Eginhardo. Sigonius: *Vvillerus & Beatus* Venetiæ Duces cum Dalmatarum Legatis, *Carolum in Theodonis Villa magnificis donis cultum rogarunt, ut Venetos Dalmatas in amicitiam reciperet, ac Duces populoſque ſuos confirmaret. Quibus auditis, Carolus haud gravate aſſenſit, ac fœdere conceſſo dimiſit*. Fœdus illud initum fuit contra Joannem, Mauricium, alioſque quoſcumque Venetos, qui vel profugerant ad Græcos, vel erga Nicephorum propenſiore quam par erat animo ferebantur. Quoad claſſem a Nicephoro miſſam, de qua Eginhardus loquitur, hæc idem Sigonius: *Nicetas Patricius cum claſſe in Adriaticum ſinum venit, a Nicephoro ad comprimendas inteſtinas Dalmatarum Venetorumque diſcordias*. Utrumque tentavit Nicephorus, ſed irrito pene conatu. Nam Nicetas, ut mox ſermo erit, in Dalmatia parum profecit; in Venetia, ut veteres Annales tradunt, hiemem egit. Joannes Lucius in hiſtoria de Regno Dalmatiæ lib. 1. cap. 15. ſcribit, Nicephori jugum excuſſiſſe Dalmatas, qui Græcorum viribus maritimis in Adriatico in dies decreſcentibus, ſplendore potentiæ Caroli invitati, Croatorumque freti vicinitate, ac Venetorum amicitia, ad Francorum protectionem confugerant; ſed adveniente claſſe Nicephori, ſub Græcorum dominium iterum redire coactos fuiſſe. Fallitur: non enim eo anno, quo Nicetas cum claſſe venit, ſed anno 810. quo pax inter Carolum M. & Nicephorum Imp. firmata eſt, Dalmatæ ſub Græcorum dominium redierunt. Carolus, teſte Eginhardo in ejus vita,

vita, ſub ſua poteſtate tenuit *Iſtriam*, *& Liburniam*, *atque Dalmatiam*, *exceptis maritimis civitatibus*, *quas*, *ob amicitiam & junctum cum eo fœdus*, *Conſtantinopolitanum Imperatorum habere permiſit*. Ab anno ſiquidem 789., præter Iſtriam, Francis parebat *Liburnia*, quæ pars veteris erat Dalmatiæ. Reliquam Dalmatiam Carolus in amicitiam hoc anno 806. recepit rexitque, donec aliter cum Græcis anno 810. convenit. Ut autem uno tenore hic omnia ſubjiciam, quæ hanc ad rem faciunt, *Anno* 807. (inquit Eginhardus) *Nicetas Patricius*, *qui cum claſſe Conſtantinopolitana ſedebat in Venetia*, *pace facta cum Pippino Rege & induciis uſque ad menſem Auguſti conſtitutis*, *ſtatione ſoluta*, *Conſtantinopolim regreſſus eſt*. *Anno* 809. *claſſis Conſtantinopoli miſſa*, *primo ad Dalmatiam*, *deinde Venetiam appulſa eſt*. *Quumque ibi hiemaret*, *pars ejus Comaclum inſulam acceſſit*: *commiſſoque prælio contra præſidium*, *quod in ea diſpoſitum erat*, *victa atque fugata in Venetiam receſſit*. *Dux autem qui claſſi præerat*, *nomine Paulus*, *quum de pace inter Francos & Græcos conſtituenda*, *quaſi ſibi hoc eſſet injunctum*, *apud Pippinum Italiæ Regem agere moliretur*, *Vvillarenus & Beatus* (Vvillaro & Beato) *Venetiæ Ducibus omnes conatus ejus impedientibus*, *atque ipſi etiam inſidias parantibus*, *cognita illorum fraude diſceſſit*. Quæ verba (inquit Pagius) exſcripſere Regino in Chronico, & Annaliſtæ Bertinianus ac Metenſis. Loiſelianus tamen eadem verba ad annum ſuperiorem recitat: & Scriptores Veneti decus victoriæ ad Paulum trahere conantur, reclamantibus licet veteribus Auctoribus. *Anno* 810. (pergit idem Eginhardus) *Pippinus Rex*, *perfidia Ducum* (a) *Veneticorum incitatus*, *Venetiam bello terra marique juſſit appeti*.

 Sub-

a Cangius de Familiis Dalmaticis cap. 5. pag. 298. edit. Pariſ. fallitur, quum perfidiam Ducum Veneticorum, qua incitatus Pipinus Venetiam bello juſſit appeti, ad Villarum & Beatum refert, his verbis. *At quum Villerium & Beatum Venetorum Duces Græcis favere*, *proditionemque moliri animadvertiſſet Pipinus*, *ſtatim receſſit*, *annoque proxime ſequenti Venetias obſidione vallavit*, *accepit*, *unaque ambos Duces*. Fallitur, inquam: nam non de his Ducibus, qui ad Pipinum & Carolum Imp. confugerant, ſermo eſt; ſed de ipſorum adverſariis Joanne & Mauricio, qui Græcis favebant, partesque defendebant.

Subjectaque Venetia, ac Ducibus ejus in deditionem acceptis, eandem claſſem ad Delmatiæ litora vaſtanda miſit. Sed quum Paulus Cephaleniæ Præfectus cum Orientali claſſe ad auxilium Delmatis ferendum adventaret, Regia claſſis ad propria regreditur. Paulo poſt de Carolo Imp. loquens, ſubdit: *Pacem cum Nicephoro Imp. fecit. Num Nicephoro Venetiam reddidit.* Eginhardo reliqui Annaliſtæ, & Regino in Chronico conſentiunt. Conſtantinus Porphyrogenitus de Adm. Imperio cap. 28. " Poſtquam
,, vero Attila receſſiſſet, multis poſt annis venit rurſum
,, Rex Pippinus, qui Papiam tunc & cætera Regna te-
,, nebat. Habebat enim tres fratres Pippinus, qui Fran-
,, ciæ omni & Sclavoniæ imperabant. Quum autem
,, contra Venetos proficiſceretur Rex Pipinus, ingentem
,, militum multitudinem ſecum ducens, caſtrametatus eſt
,, in continenti ex altera parte trajectus inſularum Vene-
,, tarum, in loco cui nomen Aibolas (Dandulo *Albiola*)
,, Videntes autem Veneti Regem Pipinum contra ſe cum
,, exercitu adventantem, & cum equis appulſurum eſſe
,, ad inſulam Madamauci (*Metamauci*) quæ continenti
,, propinqua eſt, antennis jactis omnem trajectum muni-
,, verunt. Quum igitur videret Pipini exercitus nihil ſe
,, efficere poſſe, quandoquidem trajectus alibi nullus eſſet,
,, obſederunt eos in continenti per ſemeſtre, quotidie
,, manum conferentes. Et Veneti quidem naves ſuas in-
,, greſſi, poſt antennas quas jecerant, ſe tuebantur: Rex
,, vero Pipinus cum ſuo exercitu ſtabat in litore, quem
,, Veneti cum ſagittis & miſſilibus oppugnabant, ne in in-
,, ſulam trajiceret. Deſperans igitur Rex Pipinus, ita Ve-
,, netos compellavit: Subditi mei eſtis, ſiquidem a mea
,, terra & ditione huc veniſtis. At illi reſponderunt: Ro-
,, manorum Imperatori ſubeſſe volumus, non tibi. Tan-
,, dem vero crebris moleſtiis fatigati Veneti, pacem cum
,, Pipino rege vel inviti fecerunt, & tributa plurima pro-
,, miſerunt. Et illo vero tempore ſingulis annis minutum
,, fuit tributum, quod etiam hodie obtinet: ſolvunt enim
,, Veneti quotannis Italiæ ſive Papiæ Regnum obtinenti
,, divaria argenti non ſignati libras triginta ſex. Atque
,, hoc

„ hoc modo bellum inter Francos & Venetos ceſſavit. „ Verum de belli hujus Pipini cum Venetis exitu, varii varia prodiderunt. Vide Pagium ad ann. 810. num. 4. & ſeq. & Muratorium tom. 1. Antiquitatum Italicar. medii ævi diſſert. 2. pag. 61. & ſeq. ubi utramque ſententiam conciliat his verbis: " Fieri quidem potuit, ut victricia
„ Pippini arma in aliquot ex iis inſulis aditum ſibi aperuerint, quæ Provinciam maritimam conſtituebant, tunc
„ Venetiam ſeu Venetias appellatam; non vero in civitatem
„ illam, quæ celeberrima à multis ſeculis, Venetiæ ſeu
„ Venetiarum una nomen retinuit, quæque iis temporibus
„ fortaſſis unica Rivoalti fuit. At minime hoc obſtat, quin
„ Franci in maritimas illas inſulas victores penetrarint. „
Non igitur in Venetiam ipſam, ſed in aliquot inſulas Venetiarum Urbi finitimas Franci dominationem ſuam tunc extenderunt, quamquam & illas poſtea ob amicitiam & junctum cum Nicephoro CP. Imperatore fœdus, priſtinis dominis reſtituerunt: nam, ut etiam Dandulus lib. 8. cap. 1. ſcribit, pacem à Carolo Magno cum Imp. CP. conſtitutam referens. *Per hoc decretum Carolus approbans, quod cum Nicephoro actum fuerat, novam Venetiam à ſe abdicavit.* Et in diplomate, quod a Federico I. Imp. Leonardus Torcellenſis Epiſcopus anno 1177. impetravit, hæc habentur de finibus olim inter Carolum Langobardorum Regem Auguſtum, & Venetiarum Duces in Fori Julii partibus conſtitutis: *Cum Foſſato, quo ſtatutus eſt terminus tempore Caroli inter Veneticos & Langobardos, unum caput exiens in fluvio Siclæ, & aliud in fluvio Tarſo, diſcurrente Jario uſque Altinum*. Sed nos ad res Slavicas properamus.

XIII. Sclavi Sorabi, & Behemanni à Carolo Magno devicti.

Eodem anno 806. Eginhardus. „ Imperator Carolus,
„ dimiſſo utroque filio in Regnum ſibi deputatum, Pippino ſcilicet & Ludovico, de Villa Theodonis per Moſellam & Rhenum ſecunda aqua Noviomagum navigavit:
„ ibique Quadrageſimale jejunium, & ſacratiſſimam Paſchæ ſolemnitatem celebravit. Et inde poſt non multos
„ dies Aquaſgrani veniens, Karolum filium ſuum in terram Sclavorum, qui dicuntur Sorabi, & ſedent ſuper
„ Albim fluvium, cum exercitu miſit. In qua expeditio-

„ ne Miliduoch Sclavorum Dux interfectus eſt, duoque „ Caſtella ab exercitu ædificata, unum ſuper ripam fluminis Salæ, alterum juxta fluvium Albim. Sclaviſque „ pacatis, Karolus cum exercitu regreſſus, in loco qui „ dicitur Sili ſuper ripam Moſæ fluminis ad Imperatorem „ venit. Miſſa eſt & manus de Bajoaria & Alemania at- „ que Burgundia, ſicut anno ſuperiore, in terram Behe- „ mannorum; vaſtataque terræ non minima portione, „ abſque ullo gravi incommodo regreſſa eſt.

XIV. Danorum Rex una cum Slavis Vvilſis, Linonibus, & Smeldingis, in Slavos Abotritos invadit quorum Duces Thraſico, & Godolaibus.

[12] Anno 808. quia nunciabatur, Godefridum Regem „ Danorum in Abotritos cum exercitu trajeciſſe, Karo- „ lum filium ſuum ad Albim cum valida Francorum & Sa- „ xonum manu miſit, jubens ut veſano Regi reſiſterent, „ ſi Saxoniæ terminos aggredi tentaret. Sed ille ſtativis „ per aliquot dies in litore habitis, expugnatis etiam & „ captis aliquot Sclavorum caſtellis, cum magno copia- „ rum ſuarum detrimento reverſus eſt. Nam licet Thra- „ ſiconem Ducem Abotritorum populariuni fidei diffiden- „ tem loco pepuliſſet, Godolaibum alium Ducem dolo „ captum patibulo ſuſpendiſſet, Abotritorum duas par- „ tes vectigales ſibi feciſſet; optimos tamen militum ſuo- „ rum & manu promptiſſimos amiſit, & cum eis filium „ fratris ſui nomine Reginholdum, qui in oppugnatione „ cujuſdam oppidi cum plurimis Danorum primoribus in- „ terfectus eſt. Filius autem Imperatoris Karolus Albim „ ponte junxit, & exercitum cui præerat, in Hilinones (a) „ & Smeldingos, qui & ipſi ad Godefridum defecerant, „ celerrime tranſpoſuit: populatiſque circumquaque eo- „ rum agris, tranſitoque iterum flumine, cum incolumi „ exercitu in Saxoniam ſe recepit. Erant cum Godefrido „ in expeditione prædicta Sclavi qui dicuntur Vvilſi, qui „ propter antiquas inimicitias quas cum Abotritis habere „ ſolebant, ſponte ſe copiis ejus conjunxerunt: ipſoque „ do-

a *Hilinones*. Al. *Linones*. Helmoldus in Chron. Slavor. lib. 1. cap. 38. *Porro Slavi illi dicti ſunt Lini, ſive Linoges*. Chronicon Moiſſiacenſe ad ann. 809. *Ibi unam Civitatem cum noſtris Guinlldinis, qui appellantur Semeldini* Connobuerg*. Et ad ann. 811. *Ultra Albiam ad illos Sclavos qui nominantur Lanai, & Betbeklereri*. Ubi alii Annaliſtæ *Linos* ſolum nominant.

,, domum revertente , cum præda quam in Abotritis ca-
,, pere potuerunt , & ipſi domum regreſſi ſunt . Godefri-
,, dus vero prius quam domum reverteretur , deſtructo
,, Emporio, quod in Oceani litore conſtitutum, lingua Da-
,, norum Rerich dicebatur , & magnam Regno illius com-
,, moditatem vectigalium perſolutione præſtabat , transla-
,, tiſque inde negotiatoribus , ſoluta claſſe ad portum, qui
,, Slieſtorff dicitur , cum univerſo exercitu venit . Ibique
,, per aliquot dies moratus , limitem Regni ſui, qui Saxo-
,, niam reſpicit , vallo munire conſtituit eo modo , ut ab
,, Orientali maris ſinu , quem illi Oſterſalt dicunt , uſque
,, ad Occidentalem Oceanum , totam Egidoræ fluminis
,, aquilonarem ripam munimentum valli prætexeret ; una
,, tantum porta dimiſſa, per quam carpenta & equites emit-
,, ti & recipi potuiſſent . Diviſo itaque opere inter Duces
,, copiarum , domum reverſus eſt . Imperator vero ædifi-
,, catis per legatos ſuos ſuper Albim fluvium duobus Ca-
,, ſtellis , præſidioque in eis contra Sclavorum incurſiones
,, diſpoſito , Aquiſgrani hiemavit .

XV. Thraſico Slavorum Abotritorum Dux, ſumta de Slavis Vvilſis, & Smeldingis vindicta, dolo interficitur ab hominibus Godefridi Danorum Regis. Trans Albim à Carolo M. præſidium adverſus Danos ponitur.

Anno 809. *Godefridus Rex Danorum per negotiatores quoſdam ſignificavit , ſe audiſſe Imperatorem ſibi infenſum ob id , quod in Abotritos duxiſſet exercitum , & ſuas ultus eſſet injurias : addens , velle ſe purgare ab eo , quod ei objiciebatur , fœderis irruptionem ab illis prius fuiſſe inchoatam . Petebat etiam , ut conventus Comitum Imperatoris atque ſuorum juxta terminos Regni ſui trans Albim fieret . Non abnuit Imperator , colloquiumque trans Albim habitum cum primoribus Danorum in loco qui dicitur Badenfliet , multiſque hinc & inde prolatis ac enumeratis rebus , negotio penitus infecto , diſceſſum eſt . Thraſico vero Dux Abotritorum poſtquam filium ſuum poſtulanti Godefrido obſidem dederat , collecta popularium manu , & auxilio a Saxonibus accepto , vicinos ſuos Wilſos aggreſſus , agros eorum ferro & igne vaſtavit . Regreſſuſque domum cum ingenti præda, accepto iterum a Saxonibus validiori auxilio, Smeldingorum maximam civitatem expugnat : atque iis proſperis ſucceſſibus omnes qui ab eo defecerant , ad ſuam ſocietatem redire coëgit .* Et poſt pauca . *Imperator autem ,,*

quum

quum ei multa de jactantia & ſuperbia Regis Danorum nunciarentur, ſtatuit trans Albim civitatem ædificare, Francorumque in ea ponere præſidium. Quumque ad hoc per Galliam atque Germaniam homines congregaſſet, armiſque ac cæteris ad uſum neceſſariis rebus inſtructos per Friſiam ad locum deſtinatum ducere juſſiſſet, Thraſico Dux Abotritorum in Emporio Rerich ab hominibus Godefridi per dolum interfectus eſt. Sed Imperator poſtquam locus civitati conſtruendæ fuerat exploratus, Egbertum Comitem huic negotio exequendo præficiens, Albim trajicere, & locum juſſit occupare. Eſt autem locus ſuper ripam Sturiæ fluminis, nomine Eſſesfelt, & occupatus eſt ab Egberto Comite & Saxonibus circa id. Mart. & muniri cœptus.

XVI. Slavi Vvilſi caſtellum Albi flumini contiguum deſtruunt. Godefrido extincto ſuccedit Hemningus filius in Regno Daniæ.

Anno 810. Imperator Aquiſgrani adhuc agens, & contra Godefridum Regem expeditionem meditans, nuncium accepit claſſem ducentarum navium de Nordmannia Friſiam appuliſſe, cunctaſque Friſiaco litori adjacentes inſulas eſſe vaſtatas; jamque exercitum illum in continente eſſe, terrenaque prælia cum Friſonibus commiſiſſe, Danoſque victores, tributum victis impoſuiſſe, ac vectigalis nomine centum libras argenti a Friſonibus jam eſſe ſolutas: Regem vero domi eſſe: quod & revera ita erat. Qui nuncius adeo Imperatorem concitavit, ut miſſis in omnes circumquaque regiones ad congregandum exercitum nunciis, ipſe ſine mora Palatio exiens, primo claſſi occurrere; deinde tranſmiſſo Rheno in loco, qui Lippenheim vocatur, copias quæ nondum convenerant, ſtatuit operiri. Congregatis tandem copiis, celerrime ad Alaram fluvium contendit, caſtriſque juxta confluentem ejus quo Wiſræ flumini conjungitur poſitis, minarum Godefridi Regis præſtolatur eventum. Nam Rex ille vaniſſima ſpe victoriæ inflatus, acie ſe cum Imperatore confligere velle jactabat. Sed dum Imperator in memorato loco ſtativa haberet, diverſarum rerum nuncii ad eum perferuntur. Nam & claſſem quæ Friſiam vaſtabat, domum regreſſam, & Godefridum Regem a quodam ſuo ſatellite interfectum: Caſtellum nomine Hobbuochi, Albi flumini contiguum, in quo Odo Legatus Imperatoris, & Orientalium Saxonum erat præſidium, a Vvil-

Vvilſis captum : & Pipinum Regem Italiæ VIII. *Id. Jul. de corpore migraſſe* . . . . Quibus ille acceptis , diſpoſita pro temporis conditione Saxonia , domum revertitur . At Godefrido Danorum Rege mortuo , Hemmingus filius fratris ejus in Regnum ſucceſſit , ac pacem cum Imperatore fecit .

XVII.
Carolus Magnus, pace cum Nicephoro Orientis Augusto, & cum Hemmingo Daniæ Rege facta, tres exercitus mittit: primum Trans Albim contra Slavos Vvilſos: alterum in Pannoniam ad terminandas Hunnorum & Slavorum controversias: tertium in Brittones. Canzaucus Abarum Princeps, Tudun, & alii Duces Slavorum circa Danubium habitantium, de Pannonia ad Caroli M. præſentiam accedunt.

Anno 811. Imperator Legatos ſuos mittit Conſtantinopolim ad Nicephorum Imperatorem , inter quos erat Ajo Langobardus de Foro-Julii , & Leo Spatharius natione Siculus , & Wilharius Dux Venetorum : quorum alter ante annos decem Romam ad Imperatorem, quum ibi eſſet, de Sicilia profugerat , & redire volens ad Patriam remittitur ; alter propter perfidiam honore ſpoliatus , Conſtantinopolim ad dominum ſuum duci jubetur . " Imperator „ vero cum Hemmingo pace firmata , & Placito generali „ ſecundum conſuetudinem Aquis habito , in tres partes „ Regni totidem exercitus miſit : unum trans Albim in „ Hilinones (*Linones*) qui & ipſos vaſtavit , & caſtellum „ Hohbuochi ſuperiore anno a Willis deſtructum , in ripa „ Albis fluminis reſtauravit : Alterum in Pannonias , ad „ controverſias Hunnorum & Sclavorum finiendas : Tertium in Brittones ad eorum perfidiam puniendam . Qui „ omnes rebus proſpere geſtis incolumes regreſſi ſunt . „ Fuere etiam Aquis , adventum ejus expectantes , qui „ de Pannonia venerunt , Cani , Zauci , Principes Ava- „ rum , & Thudum , & alii primores Sclavorum circa „ Danubium habitantium , qui a Ducibus copiarum quæ „ in Pannoniam miſſæ fuerunt , ad præſentiam Principis „ venire juſſi erant „ . *Annaliſtæ Bertinianus & Metenſis*: „ Fuerunt etiam Aquis adventum ejus expectantes qui de „ Pannonia venerunt Canzaucus Princeps Avarorum , & „ Tudun , & alii primores ac Duces Sclavorum circa „ Danubium habitantium , qui a Ducibus copiarum , quæ „ in Pannoniam miſſæ fuerant , ad præſentiam Principis „ miſſi venerunt „ . Regino quoque : *Canizauci Princeps Avarorum , & Thudun* .

XVIII.
Reges Daniæ poſt Hemmingi mortē, pacem a Carolo M. petunt. Fœdus ab eodem Carolo cum Michaele Nicephori Auguſti ſucceſſore confirmatum, & expeditio contra Slavos Vvilſos ſuſcepta.

Anno 812. Eginhardus . " Nec multo poſt Hemmingus „ Danorum Rex defunctus nunciatur . Cui quum Sigifri- „ dus

„ dus nepos Godefridi Regis, & Amilo nepos Herioldi
„ quondam Regis ſuccedere voluiſſent, neque uterque
„ regnare potuiſſet, comparatis copiis, & commiſſo præ-
„ lio, ambo moriuntur. Pars tamen Amilonis adepta vi-
„ ctoria, fratres ejus Herioltum & Reginfridum Reges
„ ſibi conſtituerunt: qui miſſa ad Imperatorem legatione
„ pacem petunt, & fratrem ſuum Hemmingum ſibi remit-
„ ti rogant. Eodem anno Nicephorus Imperator poſt mul-
„ tas & inſignes victorias, in Mœſia provincia commiſſo
„ cum Bulgaris prælio moritur: & Michaël gener ejus Im-
„ perator factus, Legatos Imperatoris Karoli, qui ad
„ Nicephorum miſſi fuerunt, Conſtantinopoli ſuſcepit &
„ abſolvit: cum quibus & Legatos ſuos direxit, Michaë-
„ lem ſcilicet Epiſcopum, & Arſaphium, atque Theo-
„ gnoſtum Protoſpatharios, & per eos pacem a Nicepho-
„ ro inceptam confirmavit „. Non dubitandum (inquit Pagius ad ann. 812. num. 8.) quin in hac pace Venetia & Dalmatia comprehenſæ fuerint: & quoad Venetiam quidem, id conſtat ex eo, quod anno ſuperiore idem Carolus Conſtantinopolim miſit Vuilharium Ducem Venetorum, qui tamquam Venetorum rebellis ad ipſum Carolum confugerat. Quoad Dalmatiam, magna ejus pars cum Iſtria & Liburnia manſit ſub poteſtate Caroli, qui teſte Eginhardo, *Iſtriam quoque & Liburniam atque Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam & junctum cum eo fœdus, Conſtantinopolitano Imperatori habere permiſit*. Poëta Saxonicus lib. 5. de obitu Caroli Magni.

Pannonias etiam victor ſubjecit utraſque,
Is cum vicinis urbibus innumeris,
Arva Liburnorum, vel quæ vocitantur ab Iſtro,
Nec non Dalmatiam ſubdidit & Daciam.

Hinc Jo. Lucius lib. 1. de Regno Dalmatiæ cap. 15. de Dalmatia inquit, ſicut eam partem, quam Croati cum Liburnia occupaverant, ſimul cum reliqua Croatia Carolum ſubegiſſe cenſendum eſt: ita illa exceptio civitatum maritimarum, de civitatibus continentis Dalmatiæ, ſcilicet Jadera, Tragurio & Spalato, Croatis conterminis, quæ cum inſulis Dalmatiæ nomen retinebant, intelligenda eſt.

Eas

Eas enim civitates etiam Conſtantinus Porphyrogenitus ſub clientela Conſtantinopolitani Imperatoris fuiſſe ſcribit. Pergit Eginhardus ad eundem annum 812. *Expeditio facta ad Wiltzos, & ab eis obſides accepti.*

XIX. Pax cum Daniæ Regibus facta, eiſque frater redditur. Michaëli ſuccedit Leo Bardæ filius Orientis Imperat. Carolus Magnus anno 814. moritur.

Anno 813. Carolus Imp. Amalharium Trevirenſem Epiſcopum & Petrum Abbatem Monaſterii Nonantulæ propter pacem cum Michaële Imp. confirmandam, Conſtantino polim mittit. Aquiſgrani, Ludovicum filium, Corona ei impoſita, Imperialis nominis ſibi conſortem facit: & Bernardum, nepotem ſuum ex Pipino filio, Italiæ Regem declarat. Miſſi ſunt de hoc conventu (Aquiſgrani habito) quidam Francorum & Saxonum primores trans Albim fluvium ad confinia Nordmannorum, qui pacem cum eis, ſecundum petitionem Regum illorum facerent, & fratrem eis redderent. At Michaël Imperator Bulgaros appetens bello, haud proſperis ſucceſſibus utitur; ac proinde domum reverſus, depoſito diademate, Monachus efficitur: in cujus locum Leo (a) Papdæ Patricii filius Imperator conſtituitur. Crumas Rex Bulgarorum, qui Nicephorum Imperatorem ante duos annos interfecerat, & Michaëlem de Mœſia fugaverat, ſecundis rebus elatus, cum exercitu uſque ad ipſam Conſtantinopolim acceſſit. Quem mœnibus urbis obequitantem Leo Imperator eruptione facta incautum excepit, ac graviter vulneratum fugiendo ſibi conſulere, ac in patriam turpiter redire coëgit. Hæc Eginhardus: qui anno ſequenti 814. Caroli Magni obitum conſignat ad v. Kal. Februarii, his verbis; " DCCCXIV. Dominus Karolus Imperator dum Aquiſgrani hiemaret, anno ætatis circiter LXXI. Regni autem XLVII. ſubactæque Italiæ XLIII. ex quo vero Imperator & Auguſtus appellatus eſt, XIV., v. Kal. Febr. rebus humanis exceſſit ". De Bulgaris mox ſermo erit.

(a) Leo, Bardæ filius Armenius.

CAPUT IV.

Hunni Abares , Slavi , Sorabi , Abotriti , Dalmatæ , Guduſcani , Timotiani , Chrobati , Vvilſi , Behemani , Moravi , Nordhmanni , Rhoſſi : ſub Ludovico Pio Imperatore . Ebbo Rhemenſis , Anſcharius Hamburgenſis , & Urolphus Laureacenſis , Archiepiſcopi , Danos , Svecos , Sclavos , Moravos , Hunnos , ad Chriſti fidem adducunt .

I. Ludovicus Pius, Caroli Magni filius, Saxones & Abotritos ad auxilium Herioldo ferendum adverſus Godefridi filios, Danorum Reges, mittit. Omnes Orientalium Slavorum primates & legatos ad ſe venientes anno 815. excipit.

CArolum Magnum Ludovicus Pius Imperator , ipſius filius , excepit . Hic eodem quo pater deceſſit anno, quum Heriholtus & Reginfridus Reges Danorum, qui anno ſuperiore a filiis Godefridi victi & Regno pulſi fuerant, reparatis viribus iterum eis bellum intuliſſent , quumque in eo conflictu & Reginfridus & unus de filiis Godefridi qui major natu erat , interfectus eſſet , Heriholtum rebus ſuis diffidentem , & ſe in manus Imperatoris commendantem , excepit , & in Saxoniam ire , & opportunum tempus expectare juſſit , quo ei , quemadmodum petierat, auxilium ferre poſſet . Anno autem ſequenti , hoc eſt , 815. juſſit idem Imp. Ludovicus , ut Saxones & Abotriti ad hanc expeditionem præpararentur . Tentatumque eſt in illa hieme duabus vicibus , ſi Albim tranſire poſſent . Sed mutatione ſubita aëris emolliti , ac glacie fluminis reſoluta , negotium remanſit infectum : donec tandem hieme tranſacta circa medium Majum menſem , opportunum proficiſcendi tempus arriſit . Tunc omnes Saxonici Comites , omneſque Abotritorum copiæ , cum Legato Imperatoris Balderico , ſicut juſſum erat , ad auxilium Heriholto ferendum trans Egidoram fluvium in terram Nordmannorum in loco nomine Sinlendi perveniunt . Et inde profecti , ſeptimo tandem die in litore Oceani caſtra ponunt : ibique ſtativis triduo habitis , quum filii Godefridi contra eos magnis copiis, & ducentarum navium claſſe comparata , in inſula quadam tribus millibus a continenti ſeparata reſiderent , ipſique cum eis congredi non auderent , vaſtatis circumquaque

vicinis pagis, & acceptis popularium obſidibus XLI., ad Imperatorem in Saxoniam reverſi ſunt. Ipſe enim tunc temporis in loco qui dicitur Padrabrunna generalem populi ſui conventum habebat. Ibi ad eum omnes Orientalium Sclavorum primores & Legati venerunt. Ipſe vero ordinatis tunc Sclavorum & Heriholti rebus, ipſum in Saxoniam dimiſit.

II. Sorabi Slavi rebelles a Ludovico Pio domantur. Abotritorum legati audiuntur.

Anno 816. hieme tranſacta, Saxones & Orientales Franci expeditionem in Sorabos Sclavos, qui dicto audientes non erant, facere juſſi, imperata ſtrenue compleverunt & contumacium audaciam non magno labore compreſſerunt. Nam una civitate expugnata, quicquid in ea gente rebelle videbatur, ſubjectione promiſſa quievit. Imperator a Stephano IV. Papa Remis unctus & coronatus, Compendium Palatium petiit. Ibi quum moraretur, Legatos Abotritorum ſuſcepit.

III. Controverſia de finibus inter Dalmatas Romanos ſive Græcos, qui Imperatori Orientis parebant, & inter Slavos qui ad Francorum Regnum pertinebant, ſub Ludovico Pio & Leone Auguſto terminatur. Sclaomitus, poſt Thraſiconem, Abotritorum Slavorum Rex, cum Ceadrago Traſiconis filio Regnum partiri renuit: & conjunctis cum filiis Godefridi Daniæ Regibus contra Herioltum, & contra Francos armis, Saxoniam invadit.

Anno 817. Quum Ludovicus Imp. Aquiſgranum perveniſſet, Legatum Leonis Imperatoris de Conſtantinopoli, pro Dalmatarum cauſa miſſum, Nicephorum nomine, ſuſcepit. Quem etiam, quia Cadolach, ad quem illorum confinium cura pertinebat, non aderat, & tamen brevi venturus putabatur, adventum illius juſſit operiri. Quo veniente, ratio inter eum & Legatum Imperatoris de quæſtionibus, quas idem detulit, habita eſt. Et quia res ad plurimos & Romanos & Sclavos pertinebat, neque ſine illorum præſentia finiri poſſe videbatur, illo decernenda differtur. Miſſuſque ad hoc cum Cadolach, & prædicto Legato, in Dalmatiam Albigarius Unrochi nepos. Filii quoque Godefridi Regis Danorum propter aſſiduam Heriholti infeſtationem, miſſa ad Imperatorem legatione, pacem petunt, eamque a ſe ſervandam pollicentur. Sed quum hæc ſimulata magis, quam veracia viderentur, velut inania neglecta ſunt, & auxilium contra eos Heriholto datum. Eodem anno quum Aquiſgrani filium ſuum primogenitum Lotharium coronaſſet, & nominis atque Imperii ſui Socium ſibi conſtituiſſet, cæteris Regibus appellatis, uno Aquitaniæ, altero Bajoariæ; obvios habuit Legatos Leonis Imperatoris: quos quum in Ingelheim Palatio juxta

Moguntiacum civitatem audiſſet, ac Legationem eorum non aliam eſſe, niſi quam Nicephorus ejuſdem Imperatoris Legatus proxime attulerat, comperiſſet, celeriter abſolutos dimiſit, & quo tendebat proficiſcitur. Nunciataque defectione Abotritorum & Sclaomiri; comitibus tantum, qui juxta Albim in præſidio reſidere ſolebant, ut terminos ſibi commiſſos tuerentur, per Legatum mandavit. Cauſa defectionis erat, quod regiam poteſtatem, quam Sclaomir eatenus poſt mortem Thraſiconis ſolus ſuper Abotritos tenebat, cum Ceadrago filio Thraſiconis partiri videbatur. Quæ res illum tam graviter exacerbavit, ut affirmaret ſe nunquam poſt hæc Albim fluvium tranſiturum, neque ad Palatium venturum. Statim miſſa trans mare Legatione, junxit amicitiam cum filiis Godefridi, & ut exercitus trans Albim mitteretur, imperavit. Nam & claſſis eorum per Albim uſque ad Eſſesfeld caſtellum venit, quæ totam Sturiæ fluminis ripam devaſtavit: & Gluomi Nordmannici limitis cuſtos pedeſtres copias ducens, ſimul cum Abotritis terreno itinere ad ipſum Caſtellum acceſſit. Quibus quum noſtri fortiter reſtitiſſent, omiſſa Caſtelli oppugnatione diſceſſerunt. Ad legatos Græcorum quod ſpectat, Joannes Lucius lib. 1. Hiſt: Dalmatiæ cap. 15. Slavos ſeu Sclavos, in Orientales & Septentrionales ſeparat; hoſque ad Mare Balticum, illos in Orientalibus Francorum ditionibus ſitos fuiſſe docet. Deinde Dalmatiam duas in partes dividit, quarum una Francis, altera Græcis parebat: ideoque duplex tunc habebatur Dalmatia. Dalmatæ alii vocantur Sclavi ſeu Franci, quia Sclavis ſub Francorum poteſtate conſtitutis annumerantur: alii cognominantur Romani ſeu Græci, quia ſubſunt Imperatori Græcorum, qui ſe Romanorum Imperatorem dicit. Controverſia igitur erat de finibus Dalmatarum Romanorum & Sclavorum, ut ait Eginhardus & Auctor vitæ Ludovici Pii, ideſt, de finibus inter Dalmatas Romanos, qui Leoni Armeno parebant, & Dalmatas Sclavos, qui ad Regnum Francorum pertinebant, & attributi erant Ducatui ſeu Præfecturæ Forojulienſi, cui præerat Cadolachus. Tota itaque quæſtio, quæ tum vertebatur, ex mutuo partium conſenſu paci-

fice
Digitized by Google

ſice compoſita eſt, teminis inter utroſque Dalmatas conſtitutis.

IV. Pax inter Beneventanos Duces & Francorum Reges, quo pacto firmata? Legati Abotritorum, ac Bornæ Ducis Guduſcanorum & Timotianorum, necnon Liudevviti Ducis inferioris Pannoniæ, ad Ludovicum Pium. Liudevitus cum Timotianis rebellat, & in regionem Carantanorum invadit: cui occurrunt Borna Dux Dalmatiæ & Baldricus Dux Forojulienſis. Sclaomiro dejecto, Regnum Abotritorum traditur Ceadrago.

Anno 818. Imperator Ludovicus, quum Hariſtallum veniſſet, obvios habuit Legatos Siconis Ducis Beneventanorum dona (*a*) ferentes, eumque de nece Grimoaldi Ducis anteceſſoris ſui accuſantes. Erant ibi & aliarum nationum Legati, Abotritorum videlicet, ac Bornæ Ducis Guduſcanorum & Timotianorum, qui nuper a Bulgarorum ſocietate deſciverant, & ad fines noſtros ſe contulerant: ſimul & Liudewiti Ducis Pannoniæ inferioris, qui res novas moliens, Cadolaum Comitem & Marcæ Forojulienſis Præfectum crudelitatis & inſolentiæ accuſare conabatur. Quibus ibi auditis atque dimiſſis, Imperator Aquaſgrani ad hiemandum profectus eſt. Anno 819. conventus menſe Julio apud Ingelheim Palatium habitus, & exercitus de Italia Pannoniam propter Liudewiti rebellionem miſſus: qui rebus parum proſpere geſtis, infecto pene negotio regreſſus eſt. Liudewitus vero ſuperbia elatus, Legatos quaſi pacem petendo ad Imperatorem miſit, conditiones quaſdam proponens, ad quarum conceſſionem ea quæ juberentur ſe facturum pollicebatur. Quas quum Imperator non reciperet, aliaſque ei per ſuos Legatos proponeret, permanendum ſibi in inchoata perfidia velut optimum judicans, miſſis circumquaque Legatis, uicinas gentes ad bellum ſollicitare curavit. Timotianorum quoque populum, qui dimiſſa Bulgarorum ſocietate ad Imperatorem venire ac ditioni ejus ſe permittere geſtiebat, ne hoc fieret ita intercepit, ac falſis perſuaſionibus illexit, ut omiſſo quod facere cogitabat, perfidiæ illius ſocius & adjutor exiſteret. Exercitu vero de Pannonia reverſo, Cadolach Dux Forojulienſis febre correptus, in ipſa Marchia deceſſit. Cui quum Baldricus eſſet ſubrogatus, & in Carantanorum re-

---

a. Ludovicus Pius ſtatim ac defuncto Carolo Magno patri in Imperio anno 814. ſucceſſit, *cum Grimoaldo Beneventanorum Duce pactum fecit atque firmavit, eo modo quo & pater, ſcilicet, ut Beneventani tributum annis ſingulis* VII. *millia ſolidorum darent*. Eginhardus ad ann. 814. Annaliſta Bertinianus ad ann. 844 *Siginulfus Beneventanorum Dux ad Lotharium cum ſuis omnibus ſui deditionem faciens, centum millium aureorum mulcta ſe ſe ipſi fecit obnoxium*.

regionem, quæ ad ipſius curam pertinebat, fuiſſet ingreſſus, obvium ibi habuit Liudewiti exercitum, quem juxta Dravum fluvium iter agentem parva manu aggreſſus, pluribus interfectis & avertit, & de illa Provincia fugavit. Borna vero Dux Dalmatiæ cum magnis copiis ad Colaphium fluvium Liudewito ad ſe venienti occurrens, in prima congreſſione a Gudufcanis deſeritur: auxilio tamen Prætorianorum ſuorum protectus evaſit. Periit in eo prælio Dragomoſus Socer Liudewiti, qui in exordio defectionis relicto genero, Bornæ ſe conjunxerat. Gudufcani domum regreſſi, iterum a Borna ſubiguntur. At Liudewitus occaſionem nactus cum valida manu menſe Decembri Dalmatiam ingreſſus, ferro & igne cuncta devaſtat. Cui quum Borna ſe penitus imparem reſpiceret, omnia ſua caſtellis incluſit, & ipſe cum delecta manu nunc a tergo, nunc a latere inſiſtens, Liudewiti copias & noctu & interdiu ubicumque poterat laceravit, neque eum in ſua provincia impune verſari permiſit: ad extremum gravi damno affectum, regione coëgit excedere, tribus hominum millibus de exercitu illius interfectis, & 300. vel eo amplius caballis captis, præter ſarcinas & ſpolia diverſi generis direpta. Quæ qualiter geſta fuerint, per legatos ſuos Imperatori nunciare curavit. Hæc in Pannonia & Dalmatia. Sclaomir vero Abotritorum Rex, ob cujus perfidiam ulciſcendam exercitus Saxonum & Orientalium Francorum eodem anno trans Albim miſſus fuerat, per Præfectos Saxonici limitis & Legatos Imperatoris qui exercitui præerant, Aquaſgrani adductus eſt. Quem quum primores populi ſui, qui ſimul juſſi venerant, multis criminibus accuſarent, & ille rationabili defenſione objecta ſibi refellere non valeret, exilio damnatus eſt, & Regnum Ceadrago Thraſiconis filio datum.

V.

Adverſus Liudevvitum Pannoniæ inferioris Ducem a Ludovico Pio tres exercitus diriguntur. Carniolenſes Baldrico Forojulienſium Duci ſe dedunt: item pars Carantanorum, qui ad Liudevutum defecerant.

Anno 820. menſe Januario conventus Aquiſgrani eſt habitus, in quo de Liudewiti defectione deliberatum eſt, ut tres exercitus ſimul ex tribus partibus ad devaſtandam regionem, atque ipſius audaciam coercendam mitterentur. Borna quoque primo per legatos, deinde ipſe veniens, quid ſibi facto opus eſſe videretur, ſuggeſſit. Tranſacta hieme,

hieme, ut primum herba pabulum jumentis præbere potuit, tres illi exercitus contra Liudewitum mittuntur. Quorum unus de Italia per Alpes Noricas, alter per Carantanorum provinciam, tertius per Bajoariam & Pannoniam ſuperiorem intravit. Et duo quidem, ideſt dexter ac ſiniſter, tardius ingreſſi ſunt, eo quod unus Alpium tranſitu, hoſtium manu reſiſtente, prohibebatur; alter & longitudine itineris, & Dravo flumine, quod trajiciendum erat, impediebatur. Medius autem, qui per Carantanos intrabat, quamquam tribus in locis ei reſiſteretur, feliciore uſus fortuna, ter hoſte ſuperato, Dravo etiam tranſmiſſo, celerius ad deſtinata loca pervenit. Contra hæc Liudewitus nihil molitus, munitione tantum Caſtelli, quod in arduo monte conſtruxerat, ſe ſuoſque continuit: & nec belli nec pacis, vel per ſemetipſum vel per legatos, ullum ſermonem habuiſſe dicitur. Exercitus vero poſtquam in unum convenerunt, totam pene regionem ferro & igne vaſtantes, haud ullo gravi damno accepto, domum reverſi ſunt. Is tamen, qui per Pannoniam ſuperiorem iter fecerat, in tranſitu Dravi fluminis ex locorum & aquarum inſalubritate, ſolutí ventris incommodo graviter affectus eſt, & pars ejus non modica hoc morbo conſumpta eſt. Hi tres exercitus de Saxonia, & Orientali Francia, & Alamania, Bajoaria quoque & Italia congregati ſunt. Quibus domum reverſis, Carniolenſes, qui Carcaſavum fluvium habitant, & Forojulienſibus pene contigui ſunt, Baldrico ſe dediderunt. Idem & pars Carantanorum, quæ ad Liudewiti partes a nobis defecerat, facere curavit.

VI. Bornæ Dalmatiæ atque Liburniæ Duci defuncto, Nepos ejus Ladaſclavus ſuccedit. Fortunatus Gradenſis Patriarcha, a Joanne Jaderæ præfecto Conſtantinopolim mittitur. Miſſi adverſus Liudevitum Exercitus, devaſtata ejus regione, domum redeunt. Heriolkus a filiis Godefridi in ſocietatem Regni Daniæ receptus. Sclaomirus ab exilio revocatus, & in patriam remiſſus, percepto Baptiſmatis ſacramento moritur.

Anno 821. Conventus menſe Febr. Aquiſgrani habitus, & in eo de bello Liudewitico tractatum, ac tres exercitus ordinati, qui futura æſtate perfidorum agros per vices vaſtarent. Interea Borna Dux Dalmatiæ atque Liburniæ defunctus eſt: & petente populo atque Imperatore conſentiente, nepos illius, nomine Ladaſclavus, ſucceſſor ei conſtitutus eſt. Fortunatus Patriarcha Gradenſis quum a quodam Presbytero ſuo, nomine Tiberio, apud Imperatorem fuiſſet accuſatus, quod Liudewitum ad perſeverandum in perfidia qua cœperat hortaretur, eumque ad Ca-

ſtella

ſtella ſua munienda, artifices & murarios mittendo, juvaret, & ob hoc ad Palatium ire juberetur, primo velut juſſionem impleturus in Hiſtriam profectus eſt. Inde ſimulato reditu ad Gradum civitatem, nullo ſuorum, præter eos, cum quibus hoc tractaverat, ſuſpicante, nactus occaſionem, clam navigavit; venienſque Jaderam Dalmatiæ civitatem, Joanni Præfecto provinciæ illius, fugæ ſuæ cauſas aperuit. Qui eum ſtatim navi impoſitum, Conſtantinopolim miſit. Medio menſe Octobri conventus generalis apud Theodonis villam, magna populi Francorum frequentia, celebratur. Affuere & Comites in eodem conventu jam de Pannonia regreſſi, qui depopulata deſertorum & Liudewito adhærentium univerſa regione, quum nullus eis ibidem copiam pugnandi feciſſet, domum regreſſi ſunt. De parte Danorum omnia quieta eo anno fuerunt, & Heriholtus a filiis Godefridi in ſocietatem Regni receptus. Quæ res tranquillum inter eos hujus temporis ſtatum feciſſe putatur; ſed quia Ceadragus Abotritorum Princeps, perfidiæ & cujuſdam cum filiis Godefridi factæ ſocietatis notabatur, Sclaomir æmulus ejus in patriam remittitur. Qui quum in Saxoniam veniſſet, ægritudine decubuit: perceptoque Baptiſmatis Sacramento, defunctus eſt.

VII. Liudevitus ad Sorabos, qui magnam Dalmatiæ partem obtinebant, fugiens, uno ex Ducibus eorum per dolum interfecto, civitatem ejus in ſuam redigit ditionem. Saxones depulſis Sclavis caſtellum quoddam Trans Albim ædificant. Ad Ludovicum Imp. accedunt Legati omnium Orientalium Sclavorum: hoc eſt, Abotritorum, Soraborum, Vvilſorum, Behemanorum, Marvanorum, Predecentorum, & Abarum in Pannonia reſidentium: nec non Herioldi, & filiorum Godefridi.

Anno 822. exercitus de Italia propter Liudewiticum bellum conficiendum in Pannoniam miſſus eſt. Ad cujus adventum, Liudewitus Siſcia civitate relicta, ad Sorabos, quæ natio magnam Dalmatiæ partem obtinere dicitur, fugiendo ſe contulit, & uno ex ducibus eorum, a quo receptus eſt, per dolum interfecto, civitatem ejus in ſuam redegit ditionem. Miſſis tamen ad exercitum Imperatoris legatis ſuis, ad ejus præſentiam ſe velle venire promiſit. Saxones interea juſſu Imperatoris Caſtellum quoddam trans Albim, in loco cui Delbende nomen, ædificant, depulſis ex eo Sclavis, qui illum prius occupaverant: præſidiumque Saxonum in eo poſitum contra incurſiones illorum. Imperator hiematum ad Franconofurt profectus eſt: ibique generali Conventu congregato, neceſſaria quæque & ad utilitatem Orientalium Regni ſui finium pertinentia, more ſolemni cum optimatibus, quos ad hoc evocari juſſerat,

rat, tractare curavit. In quo conventu omnium Orientalium Sclavorum (a) hoc eſt Abotritorum, Soraborum, Wilſorum, Behemannorum, Marvanorum, Predenecentorum, & in Pannonia reſidentium Avarum Legationes cum muneribus ad ſe miſſis excepit. Fuere in eodem conventu & legationes de Nordmannia tam de parte Heriholti, quam filiorum Godefridi.

VIII. Liubus Vvilſorum Rex commiſſo cum Abotritis prælio cadit. Meligaſtus filiorum ejus natu major, a Vvilſis Rex conſtituitur: & mox ab eiſdem deponitur, ejuſque loco Celeadragus frater natu minor ſufficitur. Ambobus de Regno contendentibus, & ad Ludovici præſentiam venientibus, Ludovicus Regnum Celeadrago confirmet. Ceadragus Abotritorum Princeps ad Ludovicum accedens, muneribus donatur, & ad Regnum ſuum dimittitur. Liudevitus relictis Sorabis, in Dalmatiam ad Liudemullum Bornæ avunculum veniens, dolo ipſius interficitur. Ebo Rhemorum Archiepiſcopus multos ex Danis ad Chriſti fidem adducit.

Anno 823. menſe Majo Conventus Franconofurti habitus eſt, in quo non univerſæ Franciæ primores, ſed de Orientali Francia, atque Saxonia, Bajoaria, Alemania, atque Alemaniæ contermina Burgundia, & regionibus Rheno adjacentibus adeſſe juſſi ſunt. In quo inter cæteras barbarorum legationes, quæ vel juſſæ, vel ſua ſponte venerunt, duo fratres, Reges videlicet Wilſorum, controverſiam inter ſe de Regno habentes, ad Imperatoris præſentiam venerunt. Quorum nomina ſunt, Meligaſtus, & (b) Celeadragus. Erant enim filii Liubi Regis Wilſorum. Qui licet cum fratribus ſuis Regnum ſuum diviſum teneret, tamen propterea quod natu major erat, ad eum totius Regni ſumma pertinebat. Qui ubi commiſſo cum Orientalibus Abotritis prælio cecidiſſet, Wilſi filium ejus Meligaſtum, qui major erat, Regem ſibi conſtituunt. Sed quum is ſecundum ritum gentis, commiſſum ſibi Regnum parum digne adminiſtraret, illo abjecto, juniori fratri regium honorem detulerunt. Quam ob cauſam ambo ad præſentiam Imperatoris venerunt. Quos quum audiſſet, & gentis voluntatem proniorem in junioris fratris honorem agnoviſſet, ſtatuit, ut is delatam ſibi a populo ſuo poteſtatem haberet. Ambos tamen muneribus donatos, & ſacramento firmatos, in patriam remiſit. Accuſatus eſt in eodem Placito apud Imperatorem Ceadragus Abotritorum Princeps, quod ſe erga partem Francorum parum fideliter ageret, & ad Imperatoris præſentiam jamdiu venire diſſimulaſſet. Propter quod ad eum Legati directi ſunt, cum quibus ille iterum quoſdam ex primoribus gentis ſuæ ad Imperatorem miſit, perque illorum verba promiſit ſe

a *Sorabi* iidem ac *Serbi* ſeu Servii. *Beemanni*, Bohemi. *Marvani*, Moravi. *Predecenti*, ſeu *Predenecenti*, Pacinacæ. b Al. *Ceadragus*.

ad proximum hiemis tempus ad illius præſentiam eſſe venturum. Peracto itaque Placito, & dimiſſis Proceribus, quum Imperator jam inde digredi ſtatuiſſet; allatum eſt ei de interitu Liudewiti, quod relictis Sorabis, quum in Dalmatiam ad Liudemullum Avunculum Bornæ Ducis perveniſſet, & aliquantum temporis cum eo moratus fuiſſet, dolo ipſius eſſet interfectus. At Ceadragus Abotritorum Princeps pollicitationibus ſuis fidem adhibens, cum quibuſdam primoribus populi ſui Compendium venit: dilatique per tot annos adventus ſui rationem coram Imperatore non improbabiliter reddidit. Qui licet in quibuſdam cauſis culpabilis appareret, tamen propter merita parentum ſuorum non ſolum impunitus, verum muneribus donatus ad Regnum ire permiſſus eſt. Venerat & Heriholtus de Nordmannia, auxilium petens contra filios Godefridi, qui eum patria pellere minabantur. Ob cujus cauſam diligentius explorandam, ad eoſdem filios Godefridi Theotharius & Rodtmundus Comites miſſi fuerunt. Qui cauſam filiorum Godefridi, & Statum totius Regni Nordmannorum diligenter explorantes, adventum Heriholti præceſſerunt, & Imperatori omnia quæ in illis regionibus comperire potuerunt, patefecerunt. Cum quibus Ebo Rhemorum Archiepiſcopus, qui conſilio Imperatoris & Romani Pontificis auctoritate, prædicandi gratia, ad terminos Danorum acceſſerat, & æſtate præterita multos ex eis ad fidem venientes baptizaverat, regreſſus eſt.

IX. Hunni in Pannonia ſub Liudevito a Francis deficiunt poſt annum 819. At Chrobati, qui ſub Heraclio Dalmatiam occupaverant, Porga patre & Porga ipſo Principatum eorum obtinentibus, iidem circa annum 841. bello inter filios Ludovici Pii exorto, liberi ac ſui juris facti ſunt, Porino illis imperante.

Jam vero ex iis, quæ de Liudewito Pannoniæ Duce hactenus narrata ſunt, quæque Cangius in Familiis Sclavonicis cap. 5. pag. 296. & ſeq. refert, manifeſtum ſit, Pannoniæ incolas Avares ſive Hunnos tunc temporis Regi Francorum ſive Imperatori ſubjectos fuiſſe, poſtquam ſcilicet a Carolo M. ſubjugati ſunt: Chrobatos etiam illos, qui e Chrobatis Dalmatiam incolentibus, ſecedentes, in Illyrico & Pannonia ſedes fixerant, eorundem Regum Francorum clientelæ obnoxios; quamquam poſtea ab iis defecerint. Quum enim Franci in Chrobatos ſumma immanitate graſſarentur, Chrobati occiſis, qui ab iis ſubmittebantur, Ducibus, jugum excuſſere. Franci vero miſſis ingentibus in Chro-

Chrobatos copiis, geſto per ſeptennium bello, tandem a Chrobatis penitus deleti ſunt, Cotzili (*a*) eorum Duce interfecto. Tum vero liberi ac ſui juris facti, miſſis ad Summum Pontificem nunciis, Chriſtianos ritus petierunt edoceri, ſacroque Baptiſmate donati ſunt, quum ii forte ad paganiſmum rediiſſent aut potius Chriſtianam religionem nunquam antea accepiſſent: qua quidem tempeſtate Porinus Chrobatorum principatum tenebat, uti narrat Porphyrogenitus Adm. Imp. cap. 30. tametſi, qua hæc peracta ſint tempeſtate, minime dicat. Verum, quum, mortuo Ludovico Pio Imperatore, acre prælium inter filios ipſius Lotharium, Ludovicum, & Carolum ab anno 840. exarſiſſet, tunc videntur Chrobati, Francis olim ſubjecti, ab iis defeciſſe. Et de prælio quidem ad Fontanetum anno 841. VII. Kal. Julii inter Lotharium ex una, & Ludovicum & Carolum ex altera parte commiſſum, hæc habet Annaliſta Metenſis: " Itaque poſt hæc Ludovicus Karolo Fratri au-,, xilium laturus in Gallias pergit. Ubi quum conveniſſent ,, tres fratres in regione Alcedronenſe, juxta villam Fon-,, taniacum,& de partitione Regni concordare non poſſent, ,, ferro decernendum decreverunt. In qua pugna ita Fran-,, corum vires attenuatæ ſunt,ac famoſa virtus infirmata, ut ,, non modo ad amplificandos Regni terminos, verum ,, etiam nec ad tuendos proprios in poſterum ſufficerent. ,, Hinc Helmoldus lib. 1. cap. 4. primum quidem narrat bellum plus quam civile filiorum Ludovici Pii Imperatoris: " Illo ſiquidem ex hac luce ſubtracto, orta ſunt in-,, teſtina bella, quatuor ſcilicet filiis ejus propter Prin-,, cipatum contendentibus. Multa itaque inter fratres or-,, ta eſt diſcordia, bellumque maximum, in quo, ut ,, hiſtorici teſtantur, omnes Francorum gentes conſum-,, ptæ ſunt ,,. Tum vero cap. 5. ſubjungit, fructum belli civilis fuiſſe eum in Slavia Septentrionali, ut Dani in Germaniam irruperint: " Ea ergo tempeſtate, qua germana ,, diſcordia maximos bellorum motus & diminutionem

a *Cotzili*. In vita Ludovici Pii Imp. Tom. 2. Hiſtor. Franc. Scriptor. apud Ducheſnium pag. 312. *Gotſelinus* quidem *Comes* memoratur, ſed qui anno 834. cum aliis capite plexus eſt.

Digitized by Google

„ ſciſſo Imperio parturivit, multos ad rebellionem opportunitas temporis adduxit. Inter quos primi vel præcipui Danorum populi, viribus & armis præpotentes, prius quidem Slavos, itemque Freſones tributis ſubjiciunt. Dehinc claſſe piratica per Rhenum ſubvecti, Coloniam obſederunt: per Albiam Hammenburg funditus exciderunt. Inclyta civitas & recens Eccleſiæ ſtructura, tota incendio diſperiit. Quin & Nordalbingorum provincia, & quidquid flumini contiguum fuit, barbarorum direptionibus ceſſit. Saxonia magno terrore concuſſa eſt. Sanctus autem Anſcharius Hammenburgenſis Archiepiſcopus, & cæteri prædicatores in Slaviam ſive Daniam deſtinati, magno perſecutionis fervore, ſedibus ſuis pulſi ſunt, & uſquequaque diſperſi „. Pagius autem poſtquam ad ann. 826. num. 21. Dalmatiam Græcis olim ſubjectam Michaële ac Theophilo imperantibus, ſui juris factam ſcripſiſſet, hæc ſubjicit de Slavis, Dalmatiæ & Illyrici, Francico Imperio ſubjectis. " Recedentibus itaque ex Adriatico Græcorum claſſibus, ejus accolæ Dalmatæ & Servii ſui juris effecti ſunt. Quumque non multo poſt (*ideſt*, *anno* 841.) bella civilia Francorum Imperium debilitaſſent, Croatæ, qui eis parebant, ſpretis pactis inter duo Imperia initis, fimbrias dilatare, & Adriaticum infeſtare cæpere. „ Itaque, ſicuti anno 826. (ut inquit Porphyrogenitus in Continuatione Theophanis) " Omnis Dalmatia (*quæ nimirum Græcis parebat*) ſub id tempus a Romano Imperio defecit, ſuique omnes juris, ac ſibi capita exſtiterunt, quoadusque inclytus ille Baſilius Imperium regendum ſuſcepit: tunc enim Romanæ facti ſunt ditionis: „ Ita anno 841. exortis inter Ludovici Pii filios bellis civilibus, non ſolum Slavia Septentrionalis a Danis, Helmoldo teſte, occupata eſt; ſed etiam Slavi Dalmatæ & Illyrici, & Hunni ipſi in Pannonia, qui Francico parebant Imperio, jugum excuſſere: ut idem Porphyrogenitus de Chrobatis ſcribit cap. 30. Ac proinde initium quidem defectionis Hunnorum in Pannonia ſub Liudewito contigit temporibus Ludovici Pii ab anno 819. uti ſupra narratum eſt.

Digitized by Google

eſt ex Eghinhardo, & Annalibus Bertinianis: integra vero Slavorum Chrobatorum rebellio accidit circa annum 841. quando Francorum Regibus inter ſe digladiantibus, eorum vires attenuatæ ſunt, & Chrobati in libertatem ſeſe vindicarunt. Joannes Lucius de Regno Dalmatiæ & Croatiæ lib. II. cap. I. " Croatorum Duces aliqui (*inquit*) ſuperiori libro nominati fuerunt, qui Regibus Italiæ (*imo, Franciæ*) ſub juriſdictione Forojulienſis Ducis, & Panoniæ inferioris Præfecti parebant. At Marchia hac limitanea a Ludovico Pio in quatuor Comites diviſa, & exinde debilitata, ſuccedentibus etiam in Imperio Francorum diviſionibus, Croatos jugum excuſſiſſe conſtat: quæ quomodo, quandove evenerit, nemo, præter Porphyrogenitum, memorat; ſed adeo parce ea tradit, temporaque confundit, ut vix quædam diſtingui poſſint.,, Exiſtimat ſiquidem Lucius, Porphyrogenitum in ea fuiſſe ſententia, ut affirmaret, Croatos, Heraclii tempore, jugum Francorum excuſſiſſe, & Baptiſmum ſuſcepiſſe. Id vero quam longe a Porphyrogeniti mente diſtet, jam ſupra oſtendimus, & verba ipſa Porphyrogeniti aperte declarant: qui ſub Heraclio quidem ſcribit, Chrobatos devictis Abaribus Dalmatiam occupaſſe, principatum eorum tunc obtinente Porgæ patre; ejuſdemque Heraclii juſſu accerſitis Roma Sacerdotibus Baptiſmum ſuſcepiſſe, Porga poſt Patrem eis imperante: at vero quum de iiſdem Chrobatis ſubjungit, eorum ſcilicet partem a Chrobatis Dalmatiam incolentibus ſecedentes, Illyricum & Pannoniam occupaſſe; illam vero partem, quæ Pannoniam tenebat, per aliquot annos Francis paruiſſe, donec ob ſummam Francorum crudelitatem, facto diſſidio, omnibus Francis interfectis, exinde liberi ac ſui juris facti, ſacrum Baptiſma a Romano Pontifice petierunt, miſſiſque Epiſcopis baptizati ſunt, Principatum tenente Porino; id, inquam, quum ſcribit, nullam Heraclii mentionem facit, neque Porgæ Chrobatorum Principis, aut ejus patris: quidquid alii textum Porphyrogeniti non recte intelligentes, dicant, a Porphyrogenito affirmari, Porgæ patrem Porinum fuiſſe.

X. Dani ab Ebone Rhemenſi Archiepiſcopo anno 822. ad fidem Chriſti adducti. Danorum, Svecorum, Slavorumque Septentrionalium Apoſtoli S. Anſcharius, & Rembertus Epiſcopi, nec non Monachi Corbejenſes. Hamburgenſis Eccleſia, eique ſubjectæ Diœceſes.

Ad Ebonem Danorum Apoſtolum quod attinet: hic juxta

juxta Eginhardum, anno 823. ex Nordmannia, hoc eſt, Dania, cum Miſſis Ludovici Imp. rediit, *qui conſilio Imperatoris & auctoritate Romani Pontificis, prædicandi gratia, ad terminos Danorum acceſſerat æſtate præterita, & multos ex eis ad fidem venientes baptizaverat*. Hinc Annaliſta Fuldenſis ad ann. 822. ait: *Ebo Remorum Epiſcopus genti Nordmannorum evangelizavit verbum Dei*. Et Flodoardus lib. 2. cap. 19. ſine ullo temporis charactere: *Hic Præſul Ebo cum conſilio Ludovici Imp. & auctoritate Paſchalis Romani Pontificis, prædicandi gratia, ad terminos uſque Danorum acceſſit, ac multos ex eis ad fidem venientes baptizavit*: quæ ſunt Eginhardi verba. Idipſum Annales Bertiniani ad ann. 823. verbis iiſdem ac Eginhardus de Ebone, *qui conſilio Imperatoris & auctoritate Romani Pontificis, prædicandi gratia, ad terminos Danorum acceſſerat æſtate præterita & multos ex eis ad fidem venientes baptizaverat*. Non igitur anno 823. uti Pagius num. 4. autumat, Ebonis miſſio contigit, ſed anno 822. quo anno, æſtivo tempore, multos ex Danis baptizaſſe dicitur. Recitat illud Paſchalis Papæ Decretum *ſuper Miſſione Ebonis* Bollandus ad diem 3. menſis Februarii, quo Sanctus Anſcharius Archiepiſcopus Hamburgenſis, Danorum & Svecorum, Slavorumque Apoſtolus colitur, ſicuti & Mabillonius Sæc. IV. Benedict. Par. 2. apud quos legi poteſt Vita S. Anſcharii. Huic Paſchalis Decreto præponitur epiſtola ejuſdem Anſcharii, *omnibus Sanctæ Dei Eccleſiæ Præſulibus in Regno dumtaxat Ludovici* (a) *Regis commanentibus data*. In ea ait Sanctus Præſul: " Noſſe
,, vos cupio, quia in hoc libello continetur, qualiter
,, Ebo Remenſis Archiepiſcopus divino afflatus ſpiritu,
,, temporibus domini Ludovici Imp. cum conſenſu ipſius,
,, ac pene totius Regni ejus Synodi congregatæ; Romam
,, adiit, ibique a venerabili Papa Paſchali publicam evan-
,, gelizandi licentiam in partibus Aquilonis accepit ,,.
Subjungitur autem apud eundem Bollandum ad IV. Febr.

§. XVI.

a Cur *in Regno dumtaxat Ludovici Regis?* nimirum, quia S. Anſcharius non ad omnes Franciæ Orientalis & Occidentalis Epiſcopos ſcribebat, ſed ad illos dumtaxat, qui in Regno Ludovici, hoc eſt, in Germania, degebant.

§. XVI. pag. 404. Præceptum Ludovici Imperatoris ſuper Miſſione S. Anſcharii, anno Imperii Ludovici XXI. Indict. XII. hoc eſt Chr. 834. in quo ait, ob ſpem converſionis Danorum & Svecorum, ſedem Epiſcopalem inſtituendam: " Karolum enim Magnum, ſuum genitorem, quum om-
„ nem Saxoniam Eccleſiaſticæ religioni ſubdidiſſet, jugum-
„ que Chriſti aduſque terminos Danorum atque Slavorum,
„ corda ferocia ferro perdomans, docuiſſet; quumque in-
„ ter has utraſque gentes, Danorum videlicet ſive Wan-
„ dalorum, ultimam Saxoniæ partem ſitum, & diverſis
„ periculis, temporalibus videlicet & ſpiritualibus in-
„ terjacentem, proſpexiſſet, Pontificalem ibidem Sedem
„ fieri decreviſſe trans Albiam „ : atque eam ob cauſam illuc Amalarium Epiſcopum, & Heridachum Presbyterum miſiſſe. " Nunc autem (*verba ejus ſunt de ſe ipſo*)
„ tam propter ſupraſcripta Eccleſiaſtica lucra in Gentibus
„ demonſtrata, quam & propter votum pii genitoris no-
„ ſtri, nequid ejus ſtudii imperfectum remaneat, ſtatui-
„ mus unacum conſenſu Eccleſiaſtico, præfata ultima in
„ regione Saxonica trans Albiam, in loco nuncupato Ham-
„ maburg, cum univerſa Nordalbingorum provincia, Ec-
„ cleſiæ proprii vigoris conſtituere Sedem: cui & primum
„ præeſſe atque ſolemniter conſecrari per manus Drogonis
„ Metenſis & ſummæ Sanctæ Palatinæ dignitatis Præſulis,
„ Anſcharium fecimus Archiepiſcopum, aſtantibus Ar-
„ chiepiſcopis Ebone Remenſi, Hetti Treverenſi, &
„ Otgario Mogontiacenſi. &c. „ In decreto Gregorii Papæ IV. apud eund. Bollandum §. XVII. pag. 406. eadem fere de Karolo Magno leguntur. Mox de S. Anſchario ſubdit Pontifex: " Nos igitur omnem ibi Deo dignam ſtatu-
„ tam providentiam cognoſcentes; inſtructi etiam præſen-
„ tia Fratris filiique noſtri Anſcharii, primi Nordalbingo-
„ rum Epiſcopi, per manus Drogonis Metenſis Epiſcopi
„ conſecrati, ſanctum ſtudium magnorum Imperatorum
„ tam præſenti auctoritate, quam etiam Pallii datione,
„ more prædeceſſorum noſtrorum, roborare decrevimus:
„ quatenus tanta auctoritate fundatus prædictus filius no-
„ ſter ejuſque ſucceſſores, lucrandis plebibus inſiſtentes,
„ ad-

„ adverſus tentationes diaboli validiores exiſtant: ipſum-
„ que filium noſtrum jam dictum Anſcharium, Legatum
„ in omnibus circumquaque gentibus Sveonum ſive Dano-
„ rum, nec non etiam Slavorum, vel in cæteris ubicum-
„ que illis in partibus conſtitutis, divina pietas oſtium
„ aperuerit, una cum Ebone Remenſi Archiepiſcopo,
„ ſtatuentes, ante corpus & Confeſſionem S. Petri, pu-
„ blicam Evangelizandi tribuimus facultatem: ipſamque
„ Sedem Nordalbingorum, Hammaburg dictam, in ho-
„ nore Salvatoris ſanctæque ejus & intemeratæ genitricis
„ ſemper Virginis Mariæ conſecratam, Archiepiſcopalem
„ deinceps eſſe decernimus. „ Sedit Gregorius IV. ab
anno 827. ad 843. cujus decretum confirmat Nicolaus Pa-
pa I. dato Diplomate anno Chr. 858. apud eund. Bolland.
loc. cit. Terminos dictæ Diœceſis Hamburgenſis deſcribit
Helmoldus lib. 1. Chron. Slavor. cap. 6. " Præter hono-
„ rem Metropolitanæ Sedis, qua omnes nationes ſeu Re-
„ gna complectitur Aquilonis, habet utique Hammenbur-
„ genſis Eccleſia præſcriptos terminos ſuæ Parochiæ, ulti-
„ mam ſcilicet partem Saxoniæ, quæ eſt trans Albiam,
„ & dicitur Nordalbingia, continens tres populos, Thet-
„ marſos, Holſatos, Stormarios. Inde extenduntur ter-
„ mini ad Winithos, eos ſcilicet, qui dicuntur Vvagiri,
„ Obotriti, Kycini, Circipani, & uſque ad flumen Pa-
„ nim, & urbem Dimin. Ibi eſt limes Hammenburgenſis
„ Eccleſiæ „. Hæc Vvinithorum, Vvinulorum, ac vici-
norum Sclavorum ditio, ſub Ottone I. Imperatore, ſecu-
lo decimo, fide Chriſtiana imbuta, proprium accepit
Epiſcopum *Edwardum*, Sede ejus *Aldenburgi* in Vvagria
aſſignata. Huic duo alii Epiſcopatus ſeculo undecimo, ſub
Henrico III. Imp. Conradi Salici filio, adjuncti, *Meklin-
burgenſis* & *Raceburgenſis*. Verum Meklenburgo bellis
Vvinithorum ſeculo duodecimo deleto, & Aldenburgo
plurimum labefactato, Sedes hæ translatæ ſunt, prior *Sve-
rinum*, altera *Lubecam*: manſeruntque Epiſcopi harum
trium Diœceſeon Archiepiſcopis Hamburgenſibus ſeu Bre-
menſibus ſubjecti, uti in Chronico Helmoldi legitur. Mi-
ratur idem Helmoldus, a SS. Anſchario & Remberto, non
ma-

majori cura, quam in Danorum Svecorumque converſione, adlaboratum fuiſſe in dictis Vvinithis Slavis ad fidem Chriſti revocandis, nec tamen quidquam profeciſſe. In Actis tamen S. Anſcharii num. 21. dicitur, Sanctus Præſul pueros ex gente Slavorum emptos, aut ex captivitate liberatos, in Chriſtiana religione educandos curaſſe, quorum auxilio in gente illa convertenda poſtea uteretur. Ita & in Actis S. Remberti ad IV. Febr. cap. 5. num. 22. de eo legitur: " Præterea legationis ſuæ officium, quod ad prædicandum Gentibus verbum Dei primitus a deceſſore ſuo (*S. Anſchario*) ſuſceptum eſt, & poſtmodum ſibi ſucceſſionis jure quaſi hæreditarium provenit, impigre exequutus eſt; ipſe quidem per ſe, quoties aliæ occupationes ſinerent, eidem legationi inſiſtens; ſemper autem conſtitutos habens Presbyteros, per quos & verbum Dei Gentiles audirent, & ſolatium captivi Chriſtiani haberent, ad Eccleſias inter ipſos Paganos conſtitutas, longe ab Eccleſia Sedis ſuæ, quodque graviſſimum erat, marinis diſcriminibus adeundas ". Quod enim Rembertus per ſe non potuit efficere, per ſuos cooperatores Corbejæ novæ Monachos præſtitit." Tradit enim " (*apud eundem Helmoldum*) veterum antiqua relatio, temporibus Ludovici ſecundi (*qui ab anno 876. ad 882. regnavit*) egreſſos fuiſſe de Corveja monachos ſanctitate inſignes, qui Sclavorum ſalutem ſitientes, impenderunt ſeipſos ad ſubeunda pericula & mortes pro legatione verbi Dei. Peragratiſque multis Sclavorum provinciis, pervenerunt ad eos, qui Rani ſeu Rugiani dicuntur & in corde maris habitant ". Hactenus de Slavis Septentrionalibus.

XI.

Urolphus Hunnos Abares, Moravosque fide Chriſtiana imbuit. Laureacenſis Archiepiſcopus ab Eugenio II. Papa conſtituitur. Laureacenſis, Patavienſis, & Saliſburgenſis Eccleſiarum ſtatus ab anno circiter 818. ad 991.

Ad Slavos Hunnoſque in Pannonia & Moravia pergo. Circa annum 818. Urolphus Laureacenſis Archiepiſcopus creatus, perrexit in *Avariam* & *Moraviam*, ut illarum Provinciarum populos Fide Chriſtiana imbueret. Anno vero 824. vel ſequenti, ad Eugenium II. Papam profectus eſt, & quæ in Avaria & Moravia a ſe geſta erant, expoſuit: ut colligitur ex ipſius Eugenii literis, quæ tom. 7. Conciliorum leguntur. Literæ Eugenii Papæ inſcriptæ

 ſunt,

ſunt, *Rathfrido Favianenſis Eccleſiæ*; *& Methodio Eccleſiæ Speculi Julienſis*, *quæ & Soriguturenſis*, *Eccleſiæ*; *atque Alevvino Nitravienſis Eccleſiæ*: *parique modo Annoni Vetuarienſis Eccleſiæ Epiſcopis*: *ſimul etiam duobus ducibus*, *Tuttundo ſcilicet & Moymaro*, *& optimatibus*, *exercitibuſque plebis Huniæ*, *quæ & Avaria dicitur*, *& Moraviæ*. In ipſis literis Eugenius de Urolpho ſcribit. „
„ Is ad Apoſtolorum limina orationis cauſa veniens, no-
„ vam Eccleſiam noſtris Apoſtolicis benedictionibus infor-
„ mandam ſubnixe commendavit, quam Domino auxilian-
„ te catholice gubernandam in veſtris partibus ſuſcepit.
„ In quibus etiam quondam Romanorum quoque Gepida-
„ rumque ætate, ut lectione certum eſt, in ſeptem Epiſco-
„ porum Parochias Anteceſſores ſui jure Metropolitano
„ obtinuerant Diœceſim &c. Quem nos doctiſſimum divi-
„ ni oraculi miniſtrum ſaluti veſtræ cognoſcentes per om-
„ nia neceſſarium &c. ab hac Sancta Romana Matre Ec-
„ cleſia, vobiſque Rectorem tranſmiſimus, atque in præ-
„ fatis regionibus Hunniæ. quæ & Avaria appellatur, ſed
„ & Moraviæ, Provinciarum quoque Pannoniæ ſive Mœ-
„ ſiæ, Apoſtolicam vicem noſtram, & Diœceſim, atque
„ jus Eccleſiaſticum exercendi, & uſum ac poteſtatem
„ Anteceſſornm ſuorum, videlicet Sanctæ Lauriacenſis
„ Eccleſiæ Archiepiſcoporum, ſibi Succeſſoribuſque ſuis,
„ canonica auctoritate, committimus, atque hujus Con-
„ ſtitutionis noſtræ Decretum ſubſcriptionis Privilegio
„ roboramus. Pallium præterea juxta conſuetudinem an-
„ tiquam Sanctitati ſuæ dedimus, ſicut Prædeceſſores
„ noſtri ſuis Prædeceſſoribus conceſſere &c. Propter ve-
„ ſtras autem petitiones ſuper hac re flagitantibus, ad ho-
„ norem ſuum noſtram Apoſtolicam vicem & auctoritatem
„ inſuper accumulavimus, quod nunquam ſuis permiſſum
„ eſt prioribus &c. Ad perfectam autem & neceſſariam eru-
„ ditionis veſtræ ſalutem, ut comperimus, quum non ſuffi-
„ ciant pauci, qui modo conſtituti ſunt vobis Epiſcopi,
„ quia plures ſunt adhuc gentilitatis errore ibidem de-
„ tenti, ad quos propter inopiam Præconum Divini ver-
„ bi nondum pervenit notitia Chriſti: idcirco enim, ut

„ ac-

„ accreſcat turba fidelium, ſtudeat ſolertia veſtra, pro „ mercede, & remiſſione peccatorum veſtrorum, adminiculum atque juvamen præbere Reverendiſſimo Urolpho Archiepiſcopo, quatenus dudum illi conſtitutorum „ Epiſcoporum numerus impleatur. „ Laureacum, antiqua Noricorum civitas, ad Anaſi confluentes in dexteram Danubii ripam, Epiſcopos habuit, imo & Metropolitica fuit prioribus Eccleſiæ ſæculis; nam Symmacho Papa, ipſo Sexti ſeculi initio Eccleſiam Romanam gubernante, Theodorus Laureacenſis Archiepiſcopus erat, ut patet ex ejuſdem Symmachi literis à Lambecio tom. 2. Biblioth. Cæſar. pag. *650*. recitatis, quibus Theodoro Laureacenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo Pallium concedit. Verum ob ſequuta bella, ab Hunnis ſeu Avaribus illata, religio Chriſtiana in Norico penitus collapſa eſt. Eam poſtea inſtauravit Sanctus Rudbertus ſeu Rutpertus, qui illuc ex civitate Vvormatienſi, ubi Epiſcopus erat, anno 2. Childeberti tertii Francorum Regis, profectus eſt, exeunte ſcilicet ſeculo ſeptimo. Poſt Rubertum, Sanctus Bonifacius Germaniæ Legatus Apoſtolicus, aliquot Epiſcopatus in Germania inſtituit, & Sedem Moguntinam in Metropolim erexit: in literis autem ad Zachariam Papam anno 742. datis, teſtatur, Francos, Orientales nempe, neque Archiepiſcopum habuiſſe, neque Synodum feciſſe, plus quam per tempus octoginta annorum: ideoque ab anno circiter *660*. ad tempus, quo eas (*a*) literas ſcribebat: adeoque Laureacenſis Eccleſia eo tempore exciſa erat & deſtructa. Tum regnante Carolo Magno, *Colonia* eodem honore Metropolitico, ut Moguntia, ornata; tandemque ejuſdem Caroli tempore, anno 798. Urbs *Saltzburgenſis* Metropolis erecta, eique ſubjecti Epiſcopatus, qui alias

a Carolus tamen à S. Paulo in Geographia ſacra de Illyrico occidentali ſcribit, Vivilonem, alias Unilonem à Gregorio II. Pontifice anno Chr. 730. Romæ conſecratum fuiſſe Archiepiſcopum Laureacenſem; anno vero 755. quum Hunni Avares Laureacum mortuo Hugoberto Bojorum Duce, funditus excidiſſent, juſſum fuiſſe ab Utilone Hugoberti filio, ſedem Petavium (idest *Pataviam*) transferre. Sic eos Archiepiſcopos per aliquot annos appellatos fuiſſe *Pontifices Petovienſes, & Archymiſtas Laureacenſes*. Hæc Carolus ex Bruſchio. Verum certiora ſunt quæ profert, cl. Hanzizius tom. 1. German, ſect de Laureacenſi Metropoli cum Epiſcopatu Patavienſi, & tom. 2. de Archiepiſcopatu Salisburgenſi ſeu Juvavenſi prufert, & nos ſuo loco ex ipſo exſcribimus.

alias metropoli Laureacenſi ſubditi fuerant. Verum quum tres illi Archiepiſcopatus ampliſſimis Germaniæ & Norici regionibus non ſufficerent, viſum eſt Romanis Pontificibus, Laureacenſem jam a tot annis extinctum in integrum reſtituere, eique è ſeptem Epiſcopatibus olim illi ſubditis, quatuor ſubjicere, donec alii erigi poſſent. Extat tom. 9. Concil. pag. 595. Epiſtola Leonis VII. ad Gerhardum Laureacenſem Epiſcopum, data anno 937. qua ei Pallium mittit: Altera item ejuſdem Pontificis Epiſtola data „ Regibus, Ducibus, Epiſcopis, Abbatibus, Comi- „ tibus, pari etiam modo Egilolpho Juvavenſis, Iſingrimo „ Ratiſponenſis, Lantberto Friſingenſis, Vviſundo Sebo- „ nenſis Eccleſiæ, Venerabilibus Epiſcopis, & cæteris per „ Galliam, Germaniam, Bavariam, Alemaniam commo- „ rantibus. *In ea Leo VII. ait:* Gerhardus Sanctæ Lau- „ reacenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, cauſa orationis ad „ limina veniens Apoſtolorum, noſtram Apoſtolicam præ- „ ſentiam viſitare, & benedictionis gratiam à nobis per- „ cipere ſollicite ſtuduit &c. De quibus ergo Apoſtolicam „ Sedem conſuluit, & qualia nos ei reſponſa dedimus, „ per hos noſtros apices vobis intimare curamus. „ Et poſtquam ad Gerhardi Conſultationem ſingillatim reſpondit, ſubdit: „ Præter hæc Eberhardo Duci Bavariorum no- „ ſtra auctoritate injungimus, ut præfato Gerhardo Ar- „ chiepiſcopo in omnibus auxilium præſtet. „ Quum vero orta eſſet diſſenſio inter eundem Gerhardum Archiepiſcopum Laureacenſem & inter Archiepiſcopum Salisburgenſem, ob ſuſceptum in una Provincia ab utroque Pallium, Agapitus II. Papa anno 952. hanc dedit Epiſtolam ad eundem *Gerhardum Laureacenſem Archiepiſcopum* (apud Lambec. tom. 2. Bibl. Cæſar. pag. 651. & Labb. tom. 9. Concil. pag. 629.) in qua hæc habet: „ Laureacenſem Urbem an- „ tiquitus Metropolitanam fore, & Archiepiſcopi ſedem, „ cui Sanctitas tua præeſſe dignoſcitur, ſicut in Privi- „ legiis ad nos uſque à te directis legimus; ita quoque in- „ ventis quibuſdam exemplaribus chartæ vetuſtate admo- „ dum attritis, in Archivo Sancti Petri reperimus. Hanc „ etiam in exordio naſcentis Eccleſiæ & immaniſſima

„ Chri-

Digitized by Google

„ Chriſtianorum perſecutione, a doctoribus iſtius Sedis, „ Catholicæ Fidei novimus rudimenta percepiſſe, & „ exinde a ſuccedentibus Prædicatoribus in Superioris at- „ que Inferioris Pannoniæ Provincias ejuſdem Fidei ema- „ naſſe gratiam. Quibus etiam duabus Provinciis, illarumque „ Pontificibus, uſque ad tempora Hunnorum, non alius, „ quam Sanctæ Laureacenſis præfuit Archiepiſcopus; quo- „ rum barbarica feritas non ſolum prædictam Laureacen- „ ſem civitatem; verum etiam in circuitu adjacentes re- „ giones depopulavit, atque funditus deſolavit. Inde „ quidem contigit, ut Epiſcopi hac neceſſitate compulſi, „ Sede illa deſerta, atque alio tranſlata, ſimul etiam Ar- „ chiepiſcopalem ipſius Sedis deſererent honorem. Moder- „ nis autem, nec multum retro elapſis temporibus, vacante „ ab Apoſtolico Vicario Bavariorum Regno, Arno primus „ Sanctæ Salzburgenſis Eccleſiæ ſubrogatur Archiepiſco- „ pus. Hæc teſtatur annoſa memoralis ſacri ſcrinii hiſtoria.„ Utque omnis diſſenſio inter utrumque Archiepiſcopum tol- latur, ſubdit Pontifex: " Diſtribuere atque determinare „ ita vobis Parochias, bonum & pacificum æſtimamus; „ ut diviſis duabus Noricæ regionis Provinciis, Heroldo „ Archiepiſcopo (*ſcil. Salisburgenſi.*) Occidentalis Panno- „ niæ cura committatur & cuſtodia; Tibi autem, ſucceſſo- „ ribuſque tuis, propter emeritam antiquitatem S. Lau- „ reacenſis Eccleſiæ, cui jure juniorum reverentia aſſur- „ git, in benedictionis & Sedis ordine prælatus atque „ præpoſitus, providentiam Orientalis Pannoniæ, regio- „ nemque Avarorum atque Maharorum (*hoc eſt, Mora- „ vorum*) ſed & Sclavorum, qui modo Chriſtiani, vel „ adhuc per Baptiſma Chriſto lucrandi ſunt, circumqua- „ que manentium, credimus, noſtramque Apoſtolicam „ vicem in illis partibus prædicandi, & pro arbitrio ve- „ ſtro, ubi opus eſt, Epiſcopos conſtituendi, omniaque „ diſponere atque ordinare tali auctoritate atque po- „ teſtate delegamus, ac ſi ipſi præſentes affuiſſemus. „ Hanc Agapiti II. Papæ Epiſtolam quum Pagius ad ann. 818. num 5. recitaſſet, eandemque ad ann. 952. num. 5. & 6. iterum protuliſſet, ſubjungit ad ann. 824. num. 18. de Ar-

Archiepiſcopatu Laureacenſi : " Urolpho circa annum 837. ,, demortuo , ſuppreſſum eſt Laureacenſis Archiepiſcopi ,, nomen; Diœceſes Laureacenſis ac Patavienſis iterum ſi- ,, mul , ſicuti ante hanc novam erectionem fuerant , uni- ,, tæ ſunt , & in unam Provinciam coaluerunt Salisburgen- ,, ſis & Laureacenſis Metropoles , uſque ad Leonem VII. ,, Papam . ,, Idem ad annum 739. ex Willibaldo in Vita S. Bonifacii cap. 3. loquens de iis , quæ vir Sanctus egit in Germania poſt ſuam tertiam profectionem Romanam , hæc habet : " Provinciam Bajoariorum , Odilone Duce conſen- ,, tiente , in quatuor diviſit Parochias , quatuorque his ,, partibus præſidere fecit Epiſcopos , quos ordinatione ,, ſcilicet facta in Epiſcopatus gradum ſublevavit . Quo- ,, rum primus nomine Joannes Eccleſiæ in oppido quod di- ,, citur Salzburg , Epiſcopatus Cathedram ſuſcepit : ſe- ,, cundus Erembercht , qui Friſingenſis Eccleſiæ ſuperſpe- ,, culatoris tenuit principatum : tertius Goibaldus , qui ,, Eccleſiæ civitatis Reginæ (*Ratiſponæ*) Paſtorale excu- ,, bitoris ſubiit magiſterium : quartus Vivilo , qui ſuper ,, Patavienſem Eccleſiam ſacræ indagationis obtinuit digni- ,, tatem . ,, Gregorius III. hanc inſtitutionem confirmavit literis a Baronio ad eundem annum 739. recitatis . Vivilo ſeu Vivolus uno aut altero ante anno a Gregorio Papa III. Epiſcopus conſecratus fuerat; ſed nulli certæ Sedi addictus. Hinc Othlonus lib. 1. cap. 31. " Vivolus quoque a Præſu- ,, le Apoſtolico jam ordinatus , Patavienſi Eccleſiæ præla- ,, tus eſt ; ſed ejus Parochia , quæ quarta erat , a Sancto ,, Bonifacio , ſicut cæteræ , dividebatur : ,, ideſt certi termini ei præfixi ſunt . Ex quo Laureacum ab Hunnis circa annum 568. exciſum eſt , uſque ad S. Bonifacium , nec Laureaci , nec Patavii , Epiſcopi ordinarii fuere , ſed per hæc tempora , ideſt anno 739. Epiſcopatus Patavienſis erectus fuit , & Sedes Laureacenſis cum illo conjuncta ; qui vero Eccleſiis Laureacenſi ac Patavienſi ſimul junctis præerat Antiſtes , Metropolitani titulo non gaudebat ; nec ante Arnonem anno 798. Metropolitam Salisburgenſem re- nunciatum , aliquis in Bajoaria fuit hac dignitate exorna- tus. Primus itaque reſtitutæ Laureacenſi Metropoli an.824.

præ-

Digitized by Google

præfuit Urolphus: tum poſt ejus obitum ſuppreſſa ea dignitas uſque ad ann. 937. quo Leo VII. Gerhardum Pallio donavit. Cauſa vero ejus ſuppreſſionis fuit non modo Sclavorum Hunnorumque in Pannonia habitantium reliquiæ a Chriſtiana fide alienæ, ſed etiam nova Ungarorum in Pannoniam irruptio, quæ primum contigit anno 889. teſte Annaliſta Metenſi: " Anno (*inquit*) Dom. Incarn. 889.
,, gens Hungarorum ferociſſima & omni bellua crudelior,
,, retro ante ſeculis inaudita, quia nec nominata, a Scy-
,, thicis regnis & a paludibus, quas Tanais ſua refuſione in
,, immenſum porrigit, effuſa eſt. *Et mox*. Et primo qui-
,, dem Pannoniorum & Avarum ſolitudines pererrantes,
,, venatu ac piſcatione victum quotidianum quæritant.
,, Deinde Karantanorum, Marahenſium, ac Bulgarum
,, fines crebris impulſionum infeſtationibus erumpunt. ,,
Et continuator Freherianus Annaliſtæ Fuldenſis ad an. 902.
,, Bajoarii per Boëmanniam ipſis ſecum aſſumptis, regnum
,, Marahavorum cuncti per tres hebdomadas devaſtantes
,, irruperunt. Tandem cum omni proſperitate domum
,, reverſi ſunt. Interim vero Avari qui dicuntur Ungari,
,, tota devaſtata Italia, ita ut occiſis Epiſcopis, quampluri-
,, mi Italici contra eos depellere molientes, in uno præ-
,, lio una die ceciderint xx. millia. Ipſi namque eadem via,
,, qua intraverunt Pannoniam, & maxima parte devaſtan-
,, tes, regreſſi ſunt. Miſſos illorum ſub dolo ad Bajoarios
,, pacem optando, regionem videlicet ad explorandum,
,, tranſmiſerunt... Igitur ex improviſo manu valida, ma-
,, ximo exercitu, ultra Anſeum fluvium Regnum Bajovvari-
,, cum hoſtiliter invaſerunt, ita ut per 50. milliaria in lon-
,, gum & in tranſverſum igne & gladio cuncta cædendo & de-
,, vaſtando jam una die proſtraverint... Interim vero quæ-
,, dam pars de exercitu illorum de aquilonari parte Danubii
,, fluminis partem illam devaſtando, prorupere. Quod ut
,, Luitpoldo Comiti compertum foret, moleſte hoc patien-
,, dum ferens, contra exiſſe cum quibuſdam primoribus Ba-
,, jovvariorum, uno tantum Euchario Patavienſis Sedis Epi-
,, ſcopo comitante, ultra Danubium eos inſequendum ſe
,, tranſpoſuit &c. ,, Eodem anno 900. Theotmarus Saliſ-
bur-

burgenſis Archiepiſcopus & alii Epiſcopi Bajoariæ in Epiſtola ad Joannem IX. Papam data, quæ Tom. 9. Concil. p. 498. legitur, conqueruntur, quod Joannes IX *Wichingum*, ſeu *Wichinum* Epiſcopum Moravorum, Nitriæ reſidentem, in Epiſcopatum *Patavienſem* tranſtuliſſet, & ex uno Epiſcopatu Patavienſi, quinque feciſſet. *Venerunt* (inquiunt) *de latere veſtro tres Epiſcopi, videlicet Joannes Archiepiſcopus, Benedictus & Daniel Epiſcopi, in terram Sclavorum, qui Maraci* (*ideſt* Moravi) *dicuntur, quæ Regibus noſtris, & populo noſtro, nobis quoque cum habitatoribus ſuis ſubacta fuerat, tam in cultu Chriſtianæ religionis, quam in tributo ſubſtantiæ ſæcularis, quia exinde primum imbuti.* Et paulo poſt. *Intrantes prædicti Epiſcopi in nomine veſtro, ut ipſi dixerunt, ordinaverunt in uno eodemque Epiſcopatu, unum Archiepiſcopum* (*ſi tamen in alterius Epiſcopatu Archiepiſcopium eſſe poteſt*) *& tres Suffraganeos ejus Epiſcopos, in cujus fuerunt dioeceſi*. Paucis interpoſitis. *Anteceſſor veſter* (nempe Joannes VIII.) *Zventibaldo Duce imperante, Vuichingum conſecravit Epiſcopum, & nequaquam in illum Patavienſem Epiſcopatum eum tranſmiſit, ſed in quandam Neophytam gentem, quam ipſe Dux domuit bello, & ex paganis Chriſtianos eſſe patravit*. Demum rogant Pontificem, ut ex uno Epiſcopatu, quinque non fiant, neve Moravis fidem aliquam adhibeat. Continuator Freherianus ad ann. 895. ait: *Engilmarus Patavienſis Epiſcopus obiit, in cujus locum Vuichingus quidam Alamannus contra inſtituta Patrum, prius Marahunenſis ab Apoſtolico* (ideſt, Joanne VIII. anno 880. Nitrienſis Epiſcopus creatus:) *deſtinatus Epiſcopus, Rege concedente ſucceſſit. Sed non multo poſt a Deotmaro Archiepiſcopo*, nempe Salisburgenſi, *cæteriſque Suffraganeis ſuis, contra voluntatem Regis, Canonicali judicio abjectus, ac Richardus ad eandem Sedem Epiſcopus in id ipſum tempus ordinatus eſt*. Qui hic dicitur *Richardus*, & ſupra apud eundem Freherianum continuatorem *Eucharius*, Patavienſis Epiſcopus, idem appellatur *Richarius* in literis Deotmari ſive Theotmari, Salisburgenſis Archiepiſcopi, & Suffraganeorum ejus ad Joannem IX. Papam. Ex quibus colligitur, ſuppreſſo Laureacenſi per ea tem-

Digitized by Google

tempora Patavienſem extitiſſe Epiſcopatum, Metropolitano tamen Salisburgenſi ſubjectum. Verum ſub Geiſa, Sancti Stephani Hungarororum Regis patre, quum Hungari ad Chriſtianam fidem amplectendam eſſent diſpoſiti, *Pilirinus* ſeu *Piligrinus* anno 971. electus Laureacenſis Antiſtes, anno 974. a Benedicto VII. Pallium obtinens, ejus Eccleſiæ Privilegia in integrum reſtituit. Pilirini Epiſtolam ad Benedictum VII. datam refert Lambecius lib. 2. Bibl. Cæſar. pag. 641. in qua ait: *Quia a Neophyta Ungrorum gente huc* (Romam) *ire prohibeor, apud quam fœdere pacto, ſub occaſione pacis fiduciam ſumſimus operam exercere prædicationis. Cujus enim terror gentis ex longo tempore etiam aliarum provinciarum prædicatoribus meæ Dioeceſis hactenus aditum clauſit, ad quas nihilominus præſentis opportunitas temporis ire me vocavit. Quibus Deus omnipotens, qui ſolita ſua pietate ſemper diſperſa congregat, aperire dignatus eſt januam cordis ſui diu clauſam, ut diſciſſo velamine duritiæ ſuæ depoſitaque ferina crudelitate, levi jugo Domini colla ſubmittant. A qua ergo præfata Ungrorum gente multis precibus ipſe invitabar venire, aut miſſos meos in opus Evangelii illuc dirigere, ad hos dum tranſmitterem ſatis idoneos viros ex Monachis, Canoniciſque Presbyteros, atque de ſingulis Eccleſiaſticis gradibus Clericos, & vita & omni converſatione illorum ſic ordinata, quemadmodmodum in Geſtis Anglorum didici, tantum divina gratia ſuis inſtitutionibus fructum ſtatim miniſtravit, ut ex iiſdem nobilioribus Ungris utriuſque ſexus Catholica fide imbutos, atque ſacro lavacro ablutos, circiter quinque millia lucrarentur. Chriſtiani autem, quorum major populi pars eſt, qui ex omni parte mundi illuc tracti ſunt captivi, quibus nunquam ſoboles ſuas licuit niſi furtive Domino conſecrare, modo certatim nullo obſtante timore offerunt eas baptizare, & gratulantur omnes tamquam de peregrinatione ſua in patriam reducti, quod Chriſtiano modo Oratoria audent conſtruere, & licentia percepta linguam ligatam in laudem Salvatoris præſumunt ſolvere. Ipſi enim barbari, mira omnipotentis Dei operante clementia, quorum licet adhuc gentilitate ſunt quidam detenti,*

Digitized by Google

nullum tamen ex illorum ſubditis vetant baptizari, nec Sacerdotibus invident quocumque libet proficiſci, ſed ita concordes ſunt Pagani cum Chriſtianis, tantamque ad invicem habent familiaritatem, ut illic Iſaiæ videatur impleri Prophetia: Lupus & agnus paſcentur ſimul, leo & bos comedent paleas. *Factum eſt ergo, ut pene cuncta Ungrorum natio ſit prona ad percipiendam fidem ſanctam. Sed & aliæ Sclavorum provinciæ ad credendum promptæ: & eſt ibi meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Unde quoque viſum eſt jam neceſſarium eſſe, quatenus ſanctitas veſtra illic aliquos jubeat ordinari Epiſcopos, quia & quondam Romanorum Gepidarumque tempore proprios ſeptem Antiſtites eadem Orientalis Pannonia habuit, & Moeſia, meæ Sanctæ Laureacenſi, cui ego indignus miniſtro, Eccleſiæ ſubjectos, quorum etiam quatuor, uſque dum Ungri Regnum Bavaricum invaſerunt* (quod anno 900. contigit) *ſicut præſenti cognitum eſt ætati, in Moravia manſerunt. Quod nimium grave ac valde oneroſum eſt mibi, ut tot Pontificii Parochias ſolus prædicando circumeam, quibus neceſſitate, & adjutorii inopia cogor nunquam meam ſubtrahere præſentiam. Ecce, Dominorum amantiſſime, hujuſmodi Eccleſiaſticis mancipatus officiis detineor: & ni feciſſem moram ſæpe dictæ gentis converſioni, ire & proſterni ad veſtræ ſanctitatis veſtigia non diſtuliſſem.* Hactenus Pilirinus. Petit poſtea, ut ſibi Pallium, quod ſui Prædeceſſores accipere ſoliti erant, dirigere dignetur, & confirmari ſibi commiſſam populi gubernationem. Annuit Benedictus VII. Pontifex Maximus, deditque Literas inſcriptas. " Hrotberto S. Moguntinæ Eccleſiæ, & Dioterico ,, S. Trevirenſis Eccleſiæ, atque Adalberto S. Magdaburgenſis Eccleſiæ: parique modo Gereoni S. Colonienſis ,, Eccleſiæ, atque Friderico S. Juvavenſis Eccleſiæ, ſed & ,, Adaldago S. Bremenſis Eccleſiæ, Archiepiſcopis; pariterque ,, Domino noſtro Ottoni glorioſiſſimo Imp Auguſto, atque ,, nepoti ſuo Heinrico præcellentiſſimo Duci Bawariorum, ,, cæteriſque omnibus Epiſcopis, & Abbatibus, Ducibus atque Comitibus Galliæ atque Germaniæ ,,. In iis aſſerit Pontifex, Piligrinum duos ad ſe miſiſſe Presbyteros, & Lau-

Lauriacenſis Eccleſiæ Privilegia, in quibus continebatur,
„ quod ætate B. Symmachi [*anno* 514. *demortui*] hujus
„ almæ Sedis Præſulis, præfata ſancta Lauriacenſis ha-
„ beretur Eccleſia Metropolis: & in quantum tam exinde,
„ quam etiam de paſſionibus beatorum martyrum, qui
„ illic plures in tempore perſecutionis pro fide Chriſti va-
„ riis ſunt tormentis mulctati, colligere poſſumus, ex
„ omnibus Eccleſiarum Diœceſibus Pannoniæ, hæc anti-
„ quitate & Archiepiſcopii dignitate eſſe primitiva credi-
„ tur; quæ jam multis retroactis temporibus ex vicino-
„ rum frequenti populatione Barbarorum deſerta & in ſo-
„ litudinem redacta, nullum Chriſtianæ profeſſionis habi-
„ tatorem meminit, uſque dum invictiſſimus (*a*) Augu-
„ ſtus, & pater patriæ, genitor quippe Pii (*ſcilicet Ot-
„ tonis II.*) Imperatoris noſtri [quem adhuc ſupereſſe &
„ diu dominari mundus exoptat] bellico trophæo eorum
„ vires retudit: (*anno nempe* 955.) Nunc autem, quam
„ ob rem vocibus exultantibus in laudem Omnipotentis
„ Dei erumpimus, non ſolum Sancta Dei Lauriacenſis Ec-
„ cleſia, hoſtium ceſſante terrore cum accolis ſuis pace
„ & tranquillitate potitur; verum etiam ipſi dudum ini-
„ mici, illum, quem perſequuti ſunt more gentili, jam
„ jam Chriſtum baptizati profitentur, & ſacerdotes modo
„ habere deſiderant, ac, prout ſcire rudes potuere, ve-
„ nerantur, & Eccleſias quaſdam in ſua terra, quas pa-
„ tres incendio delerunt, poſteri reſtaurare videntur.
„ Hac ergo ſuadente ratione, quod prænominati Sanctæ
„ Lauriacenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi poſtulatio antiqua
„ Apoſtolica auctoritate commendatur, & præterea quod,
„ quum juſtum eſſet, pariterque utile etiam viſum eſt,
„ ut ad fructificandas Deo gentes ex novitiis cultoribus fi-
„ dei Ungrorum atque Maravorum, ſive etiam aliis mul-
„ tis Sclavorum ſuæ Parochiæ finitimis, illic ordinatis
„ Epiſcopis, ſecundum quod antiquitus diſpoſiti erant,
„ eis hunc conſtitueremus Archiepiſcopum. Quoniam au-
„ tem Saltzburgenſis Eccleſia Metropolis abuſa eſt ſubje-

a Ideſt Otto I.

„ ctione Sanctæ Lauriacenſis Eccleſiæ, Pontificii oblite-
„ rata & attenuata ſua dignitate ex devaſtatione Barbaro-
„ rum, quam propterea perceptis Apoſtolicis Privilegiis
„ nequaquam patimur privari, quum & priora ſint Saltz-
„ burgenſibus, & ideo auctoritativa, quæ conditio te-
„ ſtimonii etiam apud ſecularia judicia viget & prævalet.
„ *Et paucis interpoſitis*. Sicut modernis temporibus San-
„ ctæ memoriæ Agapitus Papa (*hujus nominis II. cujus*
„ *literas ſupra retulimus*:) terminos earundem Paro-
„ chiarum abinvicem diſtinxit; ſic & ipſi diffinimus, ita
„ quoque ut ſancta Saltzburgenſis Eccleſia Superioris Pan-
„ noniæ Epiſcopos habeat Suffraganeos, quibus uſque huc
„ ſui Pontifices præeſſe videbantur cum tanta talique
„ Dioeceſi, quali hactenus in Inferiori ſunt Pannonia.
„ Sancta autem Lauriacenſis Eccleſia in Inferioris Panno-
„ niæ atque Moeſiæ regiones, quarum provinciæ ſunt
„ Avaria atque Maravia, in quibus ſeptem Epiſcoporum
„ Parochiæ antiquis temporibus continebantur, ſuique
„ Antiſtites Archiepiſcopalem deinceps poteſtatem cum
„ tanta talique Dioeceſi, quali hactenus in Superiori uſi
„ ſunt Pannonia „. Utraque hæc epiſtola, tam Pilirini ſcilicet Archiepiſcopi Laureacenſis, quam Benedicti VII. Papæ, Tom. 9. Concil. pag. 719. recitatur; eas autem anno 977. ſcriptas, contendit Pagius ad ann. 979. num. 9. *quum ibidem* (hoc eſt, Bibl. Cæſar. lib. 2. pag. 64.& ſeqq.) *referat Lambecius Epitomen Diplomatis ab Ottone II. emiſſi, quo is Metropolitanam Eccleſiæ Lauriacenſis dignitatem confirmavit literis, in quibus dicitur*: *Datum* III. *Nonas Octobris anno Domini* 977. *Indict.* VI. *anno Regni Domini Ottonis Imperatoris Auguſti* 17. *Actum in civitate Ratisbona*. Porro Pilirinus fuit ultimus Laureacenſium Archiepiſcoporum: qui enim ei anno 992. ſecundum antiquum manuſcriptum Bibliothecæ Cæſareæ (ſive anno 991. ſecundum Hundium in Metropoli Salisburgenſi) ſucceſſit, non jam amplius *Laureacenſis* fuit *Archiepiſcopus*, ſed ſolum *Epiſcopus Paſſavienſis*, ideſt, Patavienſis, & tam ipſe, quam ejus ſucceſſores deinceps caruerunt Archiepiſcopali Pallio, inquit idem Lambecius. Geiſa vero, qui hoc tem-

Digitized by Google

tempore apud Hungaros regnabat, mite ingenium ſortitus erat, cujus filium *Stephanum*, ac poſtea in regno ſucceſſorem, baptizavit Sanctus Adalbertus Pragenſis Epiſcopus, de quo ſecundus Auctor vitæ hujus Antiſtitis loquens, aſſerit illum, poſtquam in Epiſcopatum Pragenſem reſtitutus fuit, quod anno 994. contigit, Hungaros a religione Chriſtiana alienos non inveniſſe: *Non tacendum*, (inquit) *quod juxta poſitis Ungaris nunc nuncios ſuos miſit, nunc ſeipſum obtulit: quibus etiam ab errore ſuo parum mutatis umbram Chriſtianitatis impreſſit*.

Ad Ludovici Pii tempora redeo. Anno 824. Rex Bulgarorum (*a*) Omortag, velut pacis faciendæ gratia, Legatos cum literis ad Imperatorem miſit. Quod ille quum audiſſet, ac literas quæ allatæ fuerant legiſſet, rei novitate non immerito permotus, ad explorandum diligentius inſolitæ, & nunquam prius in Franciam venientis Legationis cauſam, Michelinum quendam (al. Machelmum) de Bajoaria cum ipſis Legatis ad memoratum Regem Bulgarorum direxit. Aquiſgrani autem quum Natalem Domini celebraſſet, allatum eſt ei, quod Legati Bulgarorum Regis eſſent in Bajoaria. Quibus obviam mittens, ipſos uſque ad tempus congruum ibidem manere præcepit. Cæterum Legatos Abotritorum, qui vulgo Prædenecenti vocantur, & contermini Bulgaris, Daciam Danubio adjacentem incolunt, qui & ipſi adventare nunciabantur, illico venire permiſit. Qui quum a Bulgaris inique infeſtari ſe quererentur, & contra eos auxilium ſibi fieri depoſcerent, domum ire, atque iterum ad tempus Bulgarorum Legatis conſtitutum redire juſſi ſunt. Anno 825. celebrato Paſchate Imperator Noviomagum profectus, Legatos Bulgarorum circa medium Majum Aquaſgrani venire præcepit. Ibi Bulgaricam Legationem audivit. Erat enim de terminis ac finibus inter Bulgaros ac Francos conſtituendis. Imperator vero audita Bulgarorum Legatione, per eoſdem qui ad eum miſſi fuerant Legatos Regi

XII. Murtagon Rex Bulgarorum de finibus inter Bulgaros & Francos conſtituendis cum Ludovico Pio per Legatos agit. Abotriti, qui Predenecenti vocantur & contermini Bulgaris, Daciam Danubio adjacentem incolunt, apud eundem Ludovicum per legatos queruntur, quod a Bulgaris injuſte infeſtarentur.

a *Mutragon*, appellatur Porphyrogenito in Baſilii Avi vita. Aliis *Mortagon* dicitur. Nullus dubito, quin patrio idiomate dictus ſit *Morad chan*, ideſt, *Moradus Princeps*: ſive *Morat Princeps*: nam litera *D* ab Hunnis, Perſis, Turcis, in *T* convertitur. Hinc *Morad* Turcorum Othomanicus Princeps, corrupte *Amurathes* appellari ſolet.

XIII. Murragon Rex Bulgarorum moritur. Baldericus & Geriholtus Avarici, ſive Pannonici limitis cuſtodes. Ceadragus Abotritorum, & Tunglo Soraborum principes, defectionis accuſantur. Herioltus cum uxore, & magna Danorum multitudine baptizatur. Ceadragus & Tunglo abſoluti, dimittuntur. Herioltus a Danis pellitur. Bulgari Sclavos Pannoniæ ſibi ſubjicientes, Bulgaricos eis Rectores conſtituunt.

Regi eorum miſſis literis, prout videbatur, reſpondit. Anno 826. quum Regi Bulgarorum legati ſui quid egiſſent renunciaſſent, iterum eum quem primo miſerat ad Imperatorem cum literis remiſit: rogans ut ſine mora terminorum definitio fieret, vel ſi hoc non placeret, ſuos quiſque terminos ſine pacis fœdere tuerentur. Cui Imperator, quia fama erat Bulgarorum Regem a ſuo quodam optimate àut Regno pulſum aut interfectum, reſpondere diſtulit. Illo vero exſpectare juſſo, propter famæ certitudinem comperiendam, Bertricum Palatii Comitem ad Baldericum, & Gerholtum Comites, & Avarici limitis cuſtodes in Carantanorum provinciam miſit. Qui quum reverſus, nihil certi ſuper iis, quæ fama vulgaverat, reportaſſet, Imperator Legatum ad ſe vocatum ſine literis remeare fecit. Circa Kal. Junii idem Imperator ad Ingelheim venit: habitoque ibi conventu, Legati filiorum Godefridi Regis Danorum pacis ac fœderis cauſa miſſi adfuerunt: & de Sclavorum regionibus quidam Abotritorum principes Ceadragum Ducem ſuum accuſantes: accuſabatur & Tunglo unus de Soraborum primoribus, quod & ipſe dicto audiens non eſſet: quorum utrique denunciatum eſt, quod ſi medio Octobri ad Imperatoris generalem conventum venire diſtulerint, condignas perfidiæ ſuæ pœnas eſſe daturos. Eodem tempore Heriholtus cum uxore & magna Danorum multitudine, Moguntiaci apud Sanctum Albanum, cum iis quos ſecum adduxit, baptizatus eſt: multiſque muneribus ab Imperatore donatus, per Friſiam qua venerat via reverſus eſt. In qua provincia Comitatus qui Rhiuſtri vocatur, eidem datus eſt, ut in eum ſe cum rebus ſuis, ſi neceſſitas exigeret, recipere poſſet. [a] Affuerunt & in eodem conventu Baldericus & Gerholtus Comites, ac Pannonici Limitis Præfecti, & adhuc de motu Bulgarorum adverſus nos (ideſt *Francos*) nihil ſe ſentire poſſe teſtati ſunt. In Ingelheim medio Octo-

a Vita Ludovici Pii ad ann. 826. Interea quum Baldricus, & Geroldus, cæterique Pannoniarum cuſtodes ſinium adeſſent, adduxit Baldricus domino Imperatori Presbyterum quendam, nomine Gregorium, bonæ vitæ hominem, qui diceret, organum more Græcorum poſſe componere. Annaliſta Fuldenſis ad eund. ann. *Georgius* quidam Presbyter de Venetia, cum Baldrico comite Forojulienſi veniens, organum hydraulicum Aquiſgrani fecit. Ita & Bertinianus.

Octobri conventu habito, Ceadragum Abotritorum Ducem, nec non & Tunglonem, qui apud eum perfidiæ accuſabantur, Imperator audivit. Et Tunglonem quidem, accepto ab eo filio ejus obſide, domum redire permiſit: Ceadragum vero ceteris Abotritis dimiſſis ſecum retinuit, miſſiſque ad populum Abotritorum legatis, ſi eum ſibi vulgus regnare vellet, perquirere juſſit. Quumque legati, quos ad Abotritos miſerat, reverſi nunciaſſent variam gentis illius ſuper Rege ſuo recipiendo ſententiam, optimos tamen ac præſtantiſſimos quoſque de illius receptione concordare; acceptis ab eo, quos imperaverat obſidibus, in regnum ſuum eum fecit reſtitui.

Anno 827. Reges Danorum, filii ſcil. Godefridi, Heriholtum de conſortio Regni ejicientes, Nordmannorum finibus excedere compulerunt. Bulgari quoque Sclavos in Pannonia ſedentes, miſſo per Dravum navali exercitu, ferro & igne vaſtaverunt: & expulſis eorum Ducibus, Bulgaricos eis Rectores conſtituerunt. Qui *Omortago* ſeu *Mutragoni* Bulgarorum Regi ſucceſſit *Uladimirus*, Crumi ex filio nepos, is cenſeri debet, ſub quo Bulgari in Superiorem Pannoniam irrupere. Vide Cangium in Familiis Sclavonicis cap. 6. p. 310.

XIV.

Quum Bulgari fines Pannoniæ ſuperioris vaſtaſſent, Balderico Forojulientium Duce honoribus privato, Marchi illa a Ludovico Pio anno 828. in quatuor comites dividitur. Heriolto in Danorum fines invadente, Dani trajecto Albi, Francos adorti cuncta vaſtant: mox de pace cum Imp. tractant.

Anno 828. Baldericus Dux Forojulienſis, quum propter ejus ignaviam Bulgari fines Pannoniæ ſuperioris impune vaſtaſſent, honoribus privatus, & Marcha inter quatuor Comites diviſa eſt. Quum vero in confinibus Nordmannorum tam de fœdere inter illos & Francos confirmando, quam de Heriholti rebus tractandum eſſet, & ad hoc pene totius Saxoniæ Comites ſimul cum Marchionibus Aquaſgrani conveniſſent, Heriholtus rerum gerendarum nimis cupidus, condictam & per obſides firmatam pacem rupit, incenſis ac direptis aliquot Nordmannorum villis. Quod audientes filii Godefridi, contractis ſubito copiis ad Marcham veniunt, & noſtros (*Francos*) in ripa Egidoræ fluminis ſedentes, ac nihil tale opinantes, tranſito flumine, adorti, caſtris exuunt, eiſque in fugam actis, cuncta diripiunt, ac ſe cum omnibus copiis ſuis in ſua caſtra recipiunt. Deinde inito conſilio ut ultionem hujus facti prævenirent, miſſa legatione ad Imperatorem, quam inviti & quanta neceſſitate coacti id facerent, expoſuerunt: ſe tamen

men ad ſatisfactionem eſſe paratos, & hoc in Imperatoris eſſe arbitrio, quatenus ita fieret emendatum, ut de reliquo inter partes pax firma maneret.

XV.
Ludovicus juvenis contra Bulgaros mittitur. Ludovicus Pius Legationes plurimas audit, & dimittit.

Anno 829. Aquiſgrani Imperator nuncium accepit, Nordmannos velle Tranſalbinam Saxoniæ regionem invadere, atque exercitum qui hoc facturus eſſet, noſtris (Francorum) finibus appropinquare. Quo nuncio commotus, miſit in omnes Franciæ regiones, & juſſit, ut ſumma feſtinatione tota populi ſui multitudo in Saxoniam veniret. Sed ubi vanam eſſe compererat, quæ de Nordmannis fama diſperſa erat, ſicut conſtituerat, medio Auguſto Vvormatiam venit. Ibique habito generali conventu, & oblata ſibi dona ſuſcepit, & Legationes plurimas audivit & abſolvit.

Hucuſque Annales, qui vulgo Eginhardo tribuuntur: ac proinde eos ſub Eginhardi nomine ſupra laudavi. Quæ ſequuntur, ex Bertinianis, Metenſibus, Fuldenſibus, aliiſque Annaliſtis deſumpta ſunt.

Anno 829. Fuldenſis. *Bulgari navibus per Dravum fluvium venientes, quoſdam villas noſtrorum flumini vicinas incenderunt.* Et ſupra ad an. 828. *Lotharius cum exercitu ad Marcham Hiſpanicam miſſus eſt: ſimiliter & Ludovicus juvenis contra Bulgaros.*

XVI.
Legati Saracenorum, Danorum, & Sclavorum ad Ludovicum Pium miſſi.

Anno 831. Bertinianus. Imperator [Ludovicus Pius] peracto Placito, Lotharium in Italiam, Pippinum in Aquitaniam, Ludovicum in Bajoariam ire permiſit. Ipſe autem circa Calendas Maii ad Ingulenheim veniens, Lotharium illic ad ſe venientem honorifice ſuſcepit. Hi quoque, qui in exilium miſſi fuerant, adducti & abſoluti, gratiamque domni Imperatoris adepti ſunt. Tertium vero generale Placitum in Theodonis Villa habuit: ibique ad eum legati Amiralmumenim inde perfide venientes, pacem petiverunt: qua mox impetrata, reverſi ſunt: nec non miſſi Danorum eadem exorantes venerunt: & fœdere firmato, ad propria repedarunt. Multæque legationes Sclavorum ad eum venientes, auditæ, diſpoſitæ & abſolutæ ſunt. In vita Ludovici Pii apud Ducheſn. Tom. 2. p. 308. ad ann. 831. *Porro autumnali tempore in Theodonis Villam convenire generaliter ſuum populum præcepit: in quo loco tres Legati Saracenorum a tranſmarinis partibus venere* (*quo-*

(quorum duo Saraceni, unus fuit Chriſtianus) *afferentes grandia munera ſuæ patriæ, odorum ſcilicet diverſa genera & pannorum. Qui pace petita & accepta, remiſſi ſunt.* De miſſis Damnorum, Sclavorumque, altum ſilentium.

XVII. **Ludovicus Bajoariæ Rex cum patre Ludovico Pio Auguſto reconciliatur, poſtquam Bajoarii & Sclavi, quibus fidebat, ab ipſo receſſiſſent.**

Anno 832. Bertinianus „„ Convocatis conſiliariis, habitoque cum eis conſilio, ſtatutum eſt, ut Imperator ſuum generale Placitum in Aurelianis civitate habendum denunciaret, illucque Lohtarium de Italia, Ludovicum vero ad Aquis venire, pariterque cum patre ad condictum Placitum pergere. Quibus ita conſideratis, & ubique ad hoc denunciandum Legatis directis, ſubito perventum eſt ad aures piiſſimi Imperatoris, Ludovicum cum omnibus Bajoariis, liberis & ſervis, & Sclavis, quos ad ſe vocare poterat, Alemaniam, quæ fratri ſuo Carolo a patre jamdudum data fuerat, ingredi velle, eamque vaſtare & diripere, ac ſuo Regno adunare, cunctumque populum Regni illius ei fidelitatem promittere: & his peractis, in Franciam cum ipſo exercitu hoſtiliter venire, & de Regno patris ſui quanto plurimum potuiſſet invadere, ſibique ſubjicere. Quumque hoc compertum eſſet, ſtatim domnus Imperator mutato Placito, omnes Francos Occidentales & Auſtrales, necnon & Saxones obviam ſibi XIV. Kal. Maji Maguntiam venire præcepit. Hoc audientes omnes, alacriter ad domnum Imperatorem venire feſtinaverunt, ei in omnibus auxilium præbere cupientes. Quo etiam tempore eclypſis Lunæ XIV. Kal. Maji poſt Solis occaſum facta eſt. Domnus Imperator quum Maguntiam venit, ubi & ad Placitum quod eis conſtituerat, omnis populus occurrit, mox in craſtinum cum valida Francorum & Saxonum manu, Rheno, & Moin fluminibus tranſitis, circa Triburim villam caſtrametatus eſt. Ludovicus vero filius ejus juxta Wormatiam in villa, quæ vocatur Langbardheim, cum ſuo exercitu reſidebat, vanis pollicitationibus ſpem ſuam habens intentam, quia hoc illi a ſuis promiſſum eſt, nec non & ab aliis, qui cum eo erant, Comitibus & Vaſſallis domni Imperatoris, & Caroli: ut omnes Auſtrales Franci, & Saxones ei auxilium ferre deberent. Et hoc maxime Mathfridus doloſe meditatus & ma-

machinatus eſt, cui domnus Imperator anno priore, quum ad mortem dijudicatus fuerat, vitam & membra & hæreditatem habere conceſſit. Quumque Ludovicus patrem ſuum cum tanta fidelium copia Rhenum tranſiſſe cognovit, minorata eſt ejus audacia, & expetitæ injuſtæ potentiæ ſpes ablata eſt. Nec mora cum ſuis hominibus Bajoariam per eamdem viam qua venerat, feſtinanter reverſus eſt, plurimique eorum qui cum illo erant, ad domnum Imperatorem regreſſi ſunt. Audiens domnus Imperator ſubitaneam ejus reverſionem, perrexit ad locum, de quo ille redierat, ibique plurima devaſtata invenit, quæ omnia adverſa, ſicut ei mos eſt, patienter tulit: & lento gradu non filium perſequendo, cum omni exercitu in Alemanniam perrexit, pervenitque ad Auguſtburg ſuper Lech. Ibique filium ſuum, qui taliter ſeductus fuerat, ad ſe venire fecit, ac ſolita pietate, quæ contra ſe facta fuerant, omnia illi indulſit. Qui tamen jurejurando promiſit, ne ultra talia perpetraret, neque aliis ad hoc conſentiret. Peracto itaque Placito, filium ſuum cum pace Bajoariam redire permiſit; & exercitu dimiſſo, ipſe per Auſtriam ad Salz venit. *Hildensheimenſis ad ann.* 832. Ludovicus filius Imperatoris, anno Regni ejus XX. conjurationem fecit contra patrem ſuum apud Longobardonheim.

XVIII. S. Anſcharius fit primus Hamburgi Archiepiſcopus. Sedis Hamburgenſis amplitudo.

Ad ea, quæ ſupra de S. Anſchario Hamburgenſium Epiſcopo ex Helmoldo aliiſque dicta ſunt, hæc Pagius ex probatis auctoribus ad annum 832. a num. VII. addit, quę ad Sclavos Boreales maxime faciunt. *Sanctus Anſcharius* (inquit Pagius) *non hoc anno* 832. *ſed anno* 831. *ordinatus eſt Archiepiſcopus Hamburgenſis. Is, & Vvitmarus, Corbejenſes Monachi, quum Sveonum gentem primis Chriſtianæ fidei rudimentis per ſex poſteriores menſes anni* 830. *inſtruxiſſent, ad Ludovicum Auguſtum ante Conventum Aquiſgrani circa Kalendas Febr. anni* 831. *habitum redierunt; & Anſcharius, antequam Conventus ſolveretur, conſecratus eſt primus Hamburgenſis Archiepiſcopus. Peracto apud eos* (nempe Sveones, aut Svecos, inquit Rembertus in hujus Sancti Præſulis vita) *altero dimidio anno, præfati Servi Dei,* [Anſcharius & Vvitmarus,] *cum*

certo

terto ſuæ Legationis experimento, & cum literis Regia manu more ipſorum efformatis, ad Sereniſſimum reverſi ſunt Auguſtum. Qui honorifice & cum maxima pietatis benevolentia ab eo ſuſcepti, narraverunt, quanta Dominus ſecum egerit, & quod odium fidei in illis partibus ad vocationem Gentium patefactum fuerit. Hoc itaque devotiſſimus audiens Imperator, immenſo lætificabatur gaudio; pariterque recolens quæ jam olim apud Danos circa Dei cultum concepta fuerunt, & laudes & gratias Omnipotenti Domino referens, ardore fidei incenſus quærere cœpit, quomodo in partibus Aquilonis, in fine videlicet Imperii ſui, ſedem conſtituere poſſet Epiſcopalem, unde congruum eſſet Epiſcopo ibi conſiſtenti, cauſa Prædicationis illas frequentius adire partes, & unde etiam omnes illæ barbaræ nationes facilius uberiuſque capere deberent Divini myſterii Sacramenta. Paulo poſt ſubjungit, *quum jam fides Chriſti in partibus Danorum atque Sveonum fructificare cœpiſſet, Ludovicum Auguſtum cum conſenſu Epiſcoporum in ultima Saxoniæ regione trans Albim, in civitate Hamburgenſi ſedem conſtituere decreviſſe Archiepiſcopalem, cui ſubjaceret univerſa Nordalbingorum Eccleſia, & ad quam pertineret omnium regionum Aquilonarium poteſtas; & ad hanc ſedem Anſcharium conſecrari feciſſe Archiepiſcopum per Drogonem Metenſem Præſulem, adſtantibus Ebone Rhemenſi, Hetti Trevirenſi, & Otgario Moguntiacenſi*. Pergit deſcribens terminos ejus diœceſeos, quæ in Actis num. XXX. dicitur admodum parva, ſolum quatuor baptiſmales Eccleſias habebat, & commendata fuerat a Ludovico Auguſto Epiſcopis vicinis Vvillerico Bremenſi, & Helingando Ferdenſi, ut ibid. num. XIX. At ſequentibus ſeculis terminos dictæ Diœceſis extenſos deſcribit Helmoldus lib. I. Chron. Slavor. cap. 6. *Præter honorem*, inquit, *Metropolitanæ Sedis, qua omnes nationes ſeu Regna complectitur Aquilonis, habet utique Hammenburgenſis Eccleſia præſcriptos terminos ſuæ Parochiæ, ultimam ſcil. partem Saxoniæ, quæ eſt trans Albiam Nordalbingia, continens tres populos, Thetmarſos, Holſatos, Stormarios. Inde extenduntur termini ad Vvinithos, eos ſcil. qui dicuntur Vvagiri, Obotriti,*

Digitized by Google

triti, *Kycini*, *Circipani*, *&* *uſque ad flumen Panim &* *urbem Dimin. Ibi eſt limes Hammenburgenſis Eccleſiæ*. Urbs hæc Demminum (inquit Pagius, eſt hodie Ducatus Pomeranici limes, quo cum vicinis lacubus fluvioque Pani dirimitur a Meklenburgica ditione, in cujus Orientali plaga erant Kycini & Circipani, in Occidentali vero Obotriti. Vvagirorum regio ſeu Vvagria, Holſatiæ hodie annumeratur. Rembertus in vita ejuſdem S. Anſcharii. *Ludovicus Auguſtus Anſcharium recens ordinatum*, *honorabiliter ad ſedem direxit Apoſtolicam*, *&* *per miſſos ſuos Venerabiles Bernoldum & Ratoldum Epiſcopos* (ille Strasburgenſis, hic Sveſſionenſis Epiſcopus erat) *ac Geroldum Illuſtriſſimum Comitem*, *omnem hanc rationem Sanctiſſimo Papæ Gregorio* (hujus nominis quarto) *intimari fecit confirmandam*. *Quod etiam ipſe tam Decreti ſui auctoritate*, *quam Pallii datione*, *more Prædeceſſorum ſuorum*, *roboravit*, *atque ipſum in præſentia conſtitutum Legatum in omnibus circumquaque gentibus Sveonum*, *Danorum*, *Farriæ*, *Gotlandon*, *Islandon*, *Schridelindon*, *Slavorum*, *nec non Septentrionalium atque Orientalium nationum quocumque nomine nominatarum*, *unacum Ebone Remenſi Epiſcopo*, *qui ipſam Legationem ante ſuſceperat*, *delegavit*: *&* *ante Corpus & Confeſſionem S. Petri Apoſtoli publicam Evangelizandi tribuit auctoritatem*; *&* *ne eorum quidquam in futurum irritum fieret*, *omnem reſiſtentem & contradicentem*, *vel quolibet his ſanctis ſtudiis piiſſimi Imperatoris inſidiantem*, *anathematis mucrone percuſſit*, *atque perpetua ultione reum diabolica ſorte damnavit*. Reſcriptum Gregorii IV. Papæ recitant Bollandus ad diem 3. Febr. & Mabillonius Secul. IV. Benedict. Par. 2. Quibus limitibus Legatio Anſcharii circumſcriberetur, explicat Cointius ex Adamo Bremenſi anno 830. num VII. Ad eam Legationem, præter nationes Slavorum cis mare Balticum in Germania ſitas, pertinuerunt Dania; Svedia; Strictefinnia, ſeu Scridivindia: Halſingalandia ſive Helſingia: Nordmannia ſeu Norvvegia: Farria: Islandia, & Groëlandia. Harum regionum ſitum, & Epiſcopales ſedes deſcribit Pagius ad eund. ann. 832. num. x, additque num. XI. Gautbertum An-

Digitized by Google

Anſchario Archiepiſcopo datum fuiſſe Adjutorem,eundemque Epiſcopali auctum dignitate, *Simonis* nomen accepiſſe. De Anſchario ejuſque ſucceſſoribus recole quæ ſupra dicta ſunt ex Helmoldo cap. 1. num. XIV. a pag. 25.

XIX. Ludovicus Pius, opera filiorum, & conjuratione quorumdam Epiſcoporum & Procerum, exauctoratur.

Anno 833. Fuldenſis ,,,, Imperator (Ludovicus Pius) initio Quadrageſimæ Wormatiam venit, & ibi uxore revocata, atque exercitu congregato, contra filios ſuos ad ſe venire volentes, in Aliſatiam profectus, atque ibi a ſuis deſertus ac proditus, & in filiorum poteſtatem redactus eſt. Addit Sigebertus: Epiſcoporum judicio arma depoſuit, & ad agendum pœnitentiam incluſus eſt. Marianus Scotus: Filii Regis, arripuerunt Regnum, Patrem dehonorantes. Lambertus: Regnum Francorum ad Lotharium eſt converſum. Fuſius impia illa Ludovici Pii exauctoratio deſcribitur in Vita ejuſdem ad ann. 833. & in Annalibus Bertinianis, quibus additur de Ludovico Boico: *Poſt paucos autem dies accidit, ut ob quaſdam cauſas Lotharius & Ludovicus Mogontia colloquium haberent. Ubi Ludovicus fratrem ſuum Lotharium obnixe deprecatus eſt, ut patri illorum mitior fieret, nec tam ſtricta cuſtodia illum teneret. Quod illo renuente, Lodovicus triſtis abſceſſit, deinceps cum ſuis meditans, qualiter patrem ſuum ab eadem cuſtodia eriperet.* Conradus Urſpergenſis ad ann. 833. diſſimulata Ludovici Auguſti exauctoratione, cauſam illius refert: *Anno Dom. 833. Imperator filio ſuo Carolo ex Judith nato, dedit Alemanniam, Rhetiam, & partem Burgundiæ, indignantibus cæteris filiis.*

XX. Ludovici Pii Reſtitutio, opera Ludovici Boici & Pippini filiorum.

Anno 834. Ubi audivit Ludovicus Bajoariæ Rex Ludovicum patrem Compendio Aquaſgranum ductum eſſe, *receſſit a Bavvaria magno dolore compulſus ob injuriam patris. Qui veniens ad Palatium Franconofurt, ſtatim inde direxit Legatos ſuos* [ad Lotharium ſcilicet] *Gozbardum Abbatem, & Morhardum Palatinum Comitem, poſtulans & imperans, ut erga patrem humaniorem exhiberet ſententiam. Quod frater ejus benigne non ſuſcepit. Poſtquam illi Legati reverſi ſunt, ſtatim alios deſtinavit ad patrem, qui prohibiti ſunt, ne eum viderent. Poſtea perrexit Lotharius de Aquiſgrani Palatio, & pervenit Moguntiam,* ubi

Digitized by Google

ubi obviam venit ei frater, & colloquium inæquale habuerunt ibi propter hoc: quia omnes quos Lotharius habebat ſecum, adverſarii erant patris ſui injuſte: quos autem Ludovicus habebat ſecum, fideles erant patri ſuo ac ſibi. Inde revertens Lotharius, venit Aquis Palatium, celebravitque ibi natalem Domini (anni exeuntis 833.) *adhuc clauſo patre:* Inquit Theganus cap. 45. ſubditque: *Poſt ſanctum diem Epiphaniæ* (anni ineuntis 834.) *iterum Ludovicus miſit Legatos ad patrem, Grimoldum Ven. Abbatem atque Presbyterum, & Gebehardum nobiliſſimum atque fideliſſimum Ducem. Qui venientes Aquis, conſenſit Lotharius, ut viderent patrem cum inſidiatoribus, quorum unus vocabatur Otgarius Epiſcopus* (Moguntiæ) *alter vero Richardus perfidus. Venientes Legati ad conſpectum Principis, & humiliter proſternentes ſe pedibus ſuis, ſalutaverunt eum ab æquivoco filio ſuo. Secreta vero noluerunt ei indicare propter inſidiatores præſentes, ſed aliquo motu ſignorum fecerunt eum intelligere, quod æquivocus ejus hoc conſentire noluiſſet, ſcilicet ſupplicium patris. Illis Miſſis abeuntibus, ſtatim Lotharius compulit patrem, ut cum eo veniret ad Compendium: qui conſentiens filio perrexit cum eo. Hoc audiens Ludovicus, coadunata* (a) *multitudine, ſecutus eſt eos. Qui quum non longe abeſſet ab eis, Lotharius dimiſit patrem, & receſſit ab eo cum Conſiliariis ſuis impiis. Ludovicus vero filius ejus pervenit ad eum: & honeſte ſuſcepit, & reduxit iterum ad Aquis ſedem ſuam, & Deo jubente reſtituit eum in Regnum & locum ſuum: & ibi ſimul ſanctum Paſcha Domini celebrarunt.* Annaliſta Bertinianus ad ann. 834. *Interim claſſis de Danis veniens in Friſiam, aliquam partem ex illa devaſtavit, & inde per vetus Trajectum ad Emporium, quod vocatur Doreſtadus, venientes, omnia diripuerunt; homines autem quoſdam occiderunt, quoſdam captivatos abduxerunt; partemque ejus igni cremaverunt.* Marianus Scotus conjurationem filiorum in

---

a Bertinianus. At ille (Pippinus) ſtatim convocavit exercitum Aquitanorum & ultra Sequanenſium; Ludovicus Bajoarios, Auſtraſios, Saxones, Alemannos, nec non & Francos qui citra Carbonariam conſiſtebant. Nam conjunctis armis Ludovicus & Pipinus patrem Ludovicum Pium in Regnum reſtituerunt.

in Imperatorem Ludovicum ejuſque exauctorationem ad ann. 834. reſtitutionem, vero ad ann. 835. perperam confert. Sigebertus ad ann. 834. *Ludovicus Imp. a ſuis deſertus ac proditus & in poteſtatem filior. reductus &c.* Et ad ann. 834. *Ludovicus Imp. relaxatur, arma & Imperium & uxorem accipit &c.*

Anno 835. Bertinianus. Ludovicus Auguſtus Dominicæ nativitatis feſtum (*exeuntis anni* 834.) hilariter, a Drogone fratre ſuo & Metenſis urbis Epiſcopo decentiſſime ſuſceptus, in eadem civitate celebravit. Ibique feſtis peractis diebus, ad ſuum Palatium in Theodonis villam reverſus eſt. In quo etiam circa Sanctæ Mariæ Purificationem Conventum generalem habuit omnium pene totius Imperii ſui Epiſcoporum & Abbatum, tam Canonicorum, quam Regularium. In quo inter cetera Eccleſiaſticæ inſtituta diſciplinæ ſummopere ventilatum eſt, quod annis prioribus idem religioſiſſimus Imperator, malivolorum Deoque adverſantium tergiverſatione immerito depoſitus paterno hæreditarioque Regno & honore & Regio nomine fuerat. Tandemque ab omnibus concorditer atque unanimiter inventum atque firmatum, ut illorum factionibus divino auxilio caſſatis, ipſe avito reſtitutus honori, decorique regio merito reformatus, deinceps fideliſſima firmiſſimaque obedientia & ſubjectione Imperator & Dominus ab omnibus haberetur. Quam inventionis ſuæque confirmationis ſeriem & unuſquiſque proprio ſcripto comprehendit, propriæque manus ſcriptione roboravit. Plenius autem & copioſius communi cunctorum deſcriptione in unum corpus in modum Libelli comprehenſa, totius rei patratio qualiter acta, ventilata, inventa, & omnium ſubſcriptione denuo digneque fuerit roborata, cunctorum notitiæ manifeſtiſſimum facere non diſtulerunt. Nam venientes in memoratam urbem in Baſilica B. Stephani Protomartyris, Miſſarumque celebratione peracta, & univerſis qui aderant, rei ordine publice patefacto, Coronam inſigne Imperii, a ſacroſancto Altario ſublevatam, ſacri ac reverendi Antiſtites, ejus capiti cum maximo omnium gaudio propriis manibus reſtituerunt. Sed & Ebo Remorum pridem Archiepiſcopus, qui

XXI. Ebonis Remenſis Epiſcopi, Nordalbingorum Apoſtoli, depoſitio.

Digitized by Google

qui ejuſdem factionis velut ſignifer fuerat, conſcenſo eminentiori loco in eadem Eccleſia, libera voce coram omnibus profeſſus eſt, eundem Auguſtum injuſte depoſitum, & omnia quæ adverſus eum patrata fuerant, inique & contra totius tramitem æquitatis fuiſſe machinata: & tunc merito, juſte, digneque proprio Imperii ſolio reformatum. Quibus ſolemniter tranſactis, ad ſæpedictum Palatium regreſſi ſunt. Ibidem Ebo in Plenaria Synodo capitale crimen confeſſus, ſeque tanto, ideſt Epiſcopali miniſterio, indignum proclamans, propriaque ſcriptione confirmans, ſeſe omnium conſenſu atque judicio ab eodem miniſterio reddidit alienum. Frodoardus lib. 2. cap.20. *Ebo poſt hanc depoſitionem ſuam, in Ciſalpinis fertur regionibus converſatus uſque ad obitum Ludovici Imperatoris.* Per illud tempus (ſubjungit Pagius) ſucceſſor ei datus non eſt, ut patet ex literis Caroli Calvi ad Nicolaum Papam datis. Sub cuſtodia tamen detentus fuit tribus in locis, ut teſtantur Clerici Remenſes: *Finito*, inquiunt, *Concilio*, *reductus eſt ſub arcta cuſtodia ad idem Sancti ſcilicet Bonifacii Monaſterium* (Fuldenſe nempe, quod eo nomine appellatum fuit) *Poſt aliquantum vero temporis commendatus eſt ſimiliter ad cuſtodiendum Freculfo Luxovienſi Epiſcopo; inde etiam Boſoni Abbati in Monaſterium S. Benedicti* (ſeu Floriacenſe ad Ligerim) *ſub cujus manu exulabat*, *quando Dominus Imperator viam totius ingreſſus eſt carnis*. Hic finis fuit Ebonis; Nordalbingorum Slavorum Apoſtoli, qui anno 823. a Paſchali Papa, cum conſilio Ludovici Auguſti, poteſtatem Evangelii prædicandi ad terminos uſque Danorum receperat, collega ei adjuncto Halidgario, qui poſtea Cameracenſis fuit Epiſcopus. Poſt quinquennium tamen idem Ebo, decreto Lotharii poſt Ludovici Pii obitum, anno 840. in ſedem Remenſem fuit reſtitutus, uti mox patebit. Primus Nordalbingorum ſeu Danorum converſionem aggreſſus fuerat Sanctus Vvillibrordus circa annum 690. *Sed dum obduratum moribus, & idololatriæ deditum* (Ungindum nempe qui tunc ibi regnabat) *& nullam viæ melioris ſpem habentem offendit, acceptis tunc triginta ejuſdem patriæ pueris, ad electos a Deo populos Regni Francorum rever-*

vertere deſtinavit : ut ſcribit Alcuinus . Poſtea Carolus Magnus *Heridagum Presbyterum* Norbalbingiæ fide Chriſti imbuendæ præpoſuit, curaturus, niſi mors interceſſiſſet, ut Epiſcopus ibidem ordinaretur . Poſt Heridagum miſſus in Daniam Ebo Archiepiſcopus Remenſis, quem jam defunctum Anſcharius virum divino ſpiritu afflatum vocat . Bertinianus ad ann. 835. *verum dum in eodem Placito*, quod in Stremiaco prope Lugdunum menſe Junio Ludovicus Auguſtus habuit, *moratur, Nordmanni ſecunda irruptione Doreſtadum irruentes, vaſtaverunt atque hoſtiliter deprædati ſunt . Imperator autem graviter ferens, Aquis perveniens, diſpoſita omni maritima cuſtodia, Arduenna autumnalem venationem exercuit, ac deinde Aquiſgranum ad hiemandum rediit*. Sigebertus Gemblacenſis . *Anno 835. Hoc tempore Reliquiæ Viti Martyris a Pariſiis ad Corbejam Saxoniæ transferuntur; unde ipſi Franci teſtati ſunt, quod ab illo tempore gloria Francorum ad Saxones translata ſit*. Auctor deſignat *Corbejam novam*, in Epiſcopatu Paderbornenſi ad Viſurgim fluvium fundatam, de qua in chronico Mss. Saxonico hæc leguntur : *Anno Dom. Incarn.* 822. *inchoatum eſt monaſterium in nova Corbeja, per Adelhardum Antiquæ Corbejæ in Francia Abbatem*. Reliqua vide apud Pagium ad ann. 822. a num. v. Hoc Monaſterium primaria utriuſque Saxoniæ Schola fuit, & ex eo, præter Archiepiſcopos, Epiſcopos, Archimandritas, & viros inſigniter doctos, prodiere Monachi complures, qui Apoſtolico zelo inflammati, Evangelium in Nordalbingia prædicantes, cultum etiam S. Viti illuc invexere, qui cultus poſtea, Helmoldo teſte, in ſuperſtitionem degeneravit . vide ſupra pag. 27.

XXII. Nordmanni in Friſiam irruunt. Horicus Rex Danorum per Legatos ſignificat Imperatori, vindictam de Piratis qui in fines Francorum irruperant, ſe ſumpſiſſe. Abotriti & Vvilzi ad fidem Imperatoris redeunt.

Anno 836. Bertinianus : Eodem tempore Nordmanni Doreſtatum & Friſiam rurſus depopulati ſunt . Sed & Horich [al. *Rhorich*] Rex Danorum per Legatos ſuos in eodem Placito (*menſe Septembri apud Wormatiam habito*) amicitiæ atque obedientiæ conditiones mandans, ſe nullatenus eorum importunitatibus aſſenſum præbuiſſe teſtatus, de ſuorum ad Imperatorem miſſorum interfectione conqueſtus, qui dudum circa Coloniam Agrippinam quorum-

dam præſumptione necati fuerant. Quorum necem etiam Imperator, miſſis ad hoc ſolum Legatis, juſtiſſime ultus eſt. Peracta autumnali venatione in Franconofurd Palatio, ad Aquiſgrani reverſus eſt: ubi etiam miſſi ejuſdem Horich venerunt, quærentes ſummam eorum, quos ipſe captos ex his interfici fecerat, qui in noſtros fines talia jamdudum moliti ſunt. Fuldenſis. Anno 836. Nordmanni Andwerpiam civitatem incendunt; ſimiliter & Vvitham [*al. Witlam*] Emporium juxta oſtium Moſæ fluminis, & a Friſionibus tributum acceperunt. Sigebertus hoc ipſum ad annum 837. recitat: Nortmanni Gallias graviter infeſtant, Doreſtatum vaſtant, Andoverpum oppidum & Vvitlam Emporium ſitum juxta oſtium Moſæ incendunt, a Friſonibus tributum accipiunt.

XXIII. Annocor in Avaria Epiſcopus. Reginarius Epiſc. Pataviensis Moravos baptizat. eidem Reginario diploma conceſſum a Ludovico Bajoariæ Rege.

Ad hunc annum 836. exhibetur ab Hanſizio Tom. 1. Germ. Sacr. pag. 156. Diploma Ludovici Bajoariæ Regis, Dat. XIV. Kal. Maji, Anno 3. Regni Ludovici in Orientali Francia, Indict. XIV. lectum Oſtrenhova, Palatio Regio, recognitum ab Adalleoo Diacono ad vicem Grimaldi: in quo Diplomate bona olim Epiſcopo Annocor donata, conceduntur Reginario Epiſcopo & Eccleſiæ Pataviensi. *Quia nos* (inquit Rex Ludovicus) *pro mercedis noſtræ augmento, conceſſimus Eccleſiæ Pataviensi, quæ eſt conſtructa in honore S. Stephani Protomart. ubi etiam Sanctus Valentinus Confeſſor Chriſti corpore requieſcit, cui præſenti tempore Ven. Vir Reginarius Epiſcopus præeſſe videtur, quaſdam res proprietatis noſtræ, quæ ſunt in Provincia AVARORUM, in loco qui dicitur Kirchbach; ideſt, Eccleſiam unam &c. quemadmodum Ratbodus Comes Annonicor Epiſcopo ipſas res conſignavit, ita prædictæ Eccleſiæ pœnitentialiter conceſſimus &c. ita videlicet, ut quidquid Rectores & miniſtri ſupradictæ ſedis de ipſis rebus, jure Eccleſiaſtico, facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi; tantum ſcilicet, ut dum Annocor Epiſcopus, atque Anno nepos ejus advixerint, ipſas res tenere & uſare faciant, & nullus eis ipſas abſtrahere præſumat: & poſt diſceſſum illorum, cum integritate ad eandem Eccleſiam revertantur.* Fuit, ut puto. *Annocor*, ſeu *Annoni-*

nonicor, Epiſcopus in Avaria, cujus alibi nulla mentio. *Reginarius* autem, in numero Pataviensium Antiſtitum, nonus, in vetere Catalogo (apud eund. Hanſiz. p. 157.) nuncupatur *Moravorum Apoſtolus*: in alio Catalogo de eo ſic legitur: *Regnharius Epiſcopus Moravorum, baptizat omnes Moravos*. Sed vereor (ut ſubdit Hanſizius) ut hæc ad Urolphum potius pertineant. Quamquam quid vetat, Reginarium in meſſem Urolphi ſucceſſiſſe?.

XXIV. Nordmanni in Friſiam iterum invadunt. Dani in Valcram irrumpentes, Eginhardum Comitem, & Hemmingum ex ſtirpe Danorum Ducem interficiunt.

Anno 837. Bertinianus: Imperator diſpoſita Friſiæ maritimaque cuſtodia, menſe Majo ad Theodonis Villam venit. *Et mox*. Ea tempeſtate Nordmanni irruptione ſolita Friſiam irruentes, in inſula quæ Walacria dicitur, noſtros imparatos aggreſſi, multos trucidaverunt, plures deprædati ſunt. Et aliquandiu inibi commorantes, cenſu prout libuit exacto, ad Doreſtadum eadem furia pervenerunt, & tributa ſimiliter exegerunt. Quibus Imperator auditis, prætermiſſo memorato (*Romano*) itinere, ad Noviomagum caſtrum vicinum Doreſtado properare non diſtulit. Cujus adventu Nordmanni audito, continuo receſſerunt. Fuldenſis: Nordmanni tributum expectantes, in Vualcram inſulam venerunt, ibique Eggihardum ejuſdem loci Comitem, & Hemmingum Halpdani filium cum aliis multis xv. Kal. Jul. occiderunt, & Doreſtadum vaſtaverunt, acceptoque a Friſionibus tributo reverſi ſunt. Auctor Appendicis ad hiſtoriam Thegani: *Anno vero* XXIV. (Ludovici Auguſti) *prænunciavit Imperator, ut cum omni exercitu voluiſſet ire Romam cum filiis ſuis Pippino, & Ludovico: & ſtatuit ſeditiones* (conflictum) *in nonnullis locis contra Danaos* (Danos). *Illi vero Danai nave venientes ad unam ſeditionem, interfecerunt ibi innumerabilem multitudinem Chriſtianorum, & ibi cecidit Hemminch, qui erat ex ſtirpe Danorum Dux Chriſtianiſſimus, & Eccibardus alius Dux, & aliqui comprehenſi ſunt, & poſtea redempti. Hoc audiens Imperator, dimiſit iter, quod prænunciatum habebat; & revertens ad prædium Gundulphi, cum omni exercitu venit Noviomagum caſtrum quod ſitum eſt ſuper ſl. Valum* (Vahalim.)

XXV. Ludovicus Bajoariæ Rex in ſuſpicionem venit intentatæ in partem conſpirationis: a quo crimine juramento ſe purgat. Jubetur in Bajoaria ſe continere. Danos Piratas Horicus Rex aſſerit a ſe fuiſſe mulctatos: petit proinde, ut ſibi ſubdantur Abotriti & Friſiani. Sprata ab Imperatore illius petitio.

Anno 838. Bertinianus. Quia Ludovicus intra Alpium

pium ſepta colloquium Lotharii fratris expetiit, in ſuſpicionem venit, perinde ac ſi unacum illo contra patrem conſpirare vellet. Id ægre ferens Ludovicus Auguſtus, directis quaquaverſum curſoribus, fideles accerſit, &, ſi ita neceſſitas poſtulet, ad reſiſtendum paratiſſimos monet. Quo Ludovicus cognito, in octava Sanctæ Paſchæ, jubente patre, advenit: ſubtiliterque diſcuſſus, tandem ſacramento cum ſibi maxime credulis, nihil fidelitati patris atque honori adverſum illo colloquio meditatum firmavit. Sicque remiſſo ad propria, ut menſe Majo Imperatori in Noviomago occurreret, injunctum eſt. Nam illo juxta condictum Imperator progredi diſponebat, quatenus ſua præſentia damnum, quod annis præteritis Piratarum importunitate, noſtrorumque deſidia contigerat, vitaretur. Habitoque conventu fidelium, copioſus circa maritima apparatus diſtributus eſt. Inter quæ Danorum piratæ patria egreſſi, ortoque ſubito maritimorum fluctuum turbine, vix pauciſſimis evadentibus, ſubmerſi ſunt. Ludovicus autem patris præſentiæ, ſecundum quod juſſum fuerat, ſeſe offerre non diſtulit: habitaque ſecus quam oportuerat conflictatione verborum, quidquid ultra citraque Rhenum paterni juris uſurpaverat, recipiente patre, amiſit: Heliſatiam, ſcilicet, Saxoniam, Thoringiam, Auſtriam, atque Alamanniam. *Et poſt pauca*. Quum Imperator Conventum Cariſiacenſem mediante Auguſto celebraſſet,& Compendium primo, deinde Attiniacum veniſſet: *Ibi miſſi Horich venientes, Piratarum in noſtros fines dudum irruentium maximos a ſe ob Imperatoris fidelitatem captos atque interfici juſſos retulerunt; petentes inſuper ſibi dari Friſianos, atque Abodritos. Cujus petitio quanto Imperatori indecens ſive incongrua viſa eſt; tanto vilius ſpreta & pro nihilo ducta eſt. Verum pridem Imperatore in verno venationem exercente, Adalgarius, & Igilo Comes ad Abodritos & Vvilzos a fide deficientes dudum directi, reverſi ſunt, adductis ſecum obſidibus, Imperatori deinceps ſubditos fore nunciantes*. Metenſis. *Imperator poſt peractam feſtivitatem Natalis Domini, & Theophaniæ, ſeptimis Idibus Januariis* (*anni* 838.) *cum exercitu navigia Rhe-*

Rhenum tranſiit, obvios habens Saxones, partim minis partim ſuaſionibus Adalberti Comitis abductos. Quo cognito, Ludovicus nefas eſſe ſciens filium patri repugnare, cedendumque tempori judicans, in Bajoariam ſe recepit. Et mox. *imperator menſe Majo Vvormatiam veniens, Lothario filio ſuo de Italia in fidem ejus venienti reconciliatur, Regnumque Francorum inter eum & Karolum filium ſuum minimum dividit; Lothario quidem, qui major natu erat, nominis ſui dignitatem & ſedem Regni tribuens; Ludovico vero filio ſuo minori, pro eo quod eum offenderat, Bajoariorum provincia tantum conceſſa*. Hoc autem Annaliſta Fuldenſis ad annum 839. factum narrat.

XXVI. Ludovicus Pius cogit Ludovicum filium per Sclavorum terram cum magno labore in Bajoariam redire. Theophilus Orientis Imp. per Legatos pacem cum Ludovico Pio firmat, eundem rogans, ut miſſos Chagani, qui ſe Rhos vocabant, per Imperium ſuum ſecuros Byzantium remitteret.

Anno 839. Metenſis. Ludovicus filius Imperatoris partem Regni trans Rhenum quaſi jure ſibi debitam affectans, per Alemaniam facto itinere venit ad Francorofurd, multorum ad ſe Orientalium Francorum animis prudenti conſilio converſis. Quo comperto Imperator, de Aquitania infecto negotio redire compulſus, Drogonem Archicapellanum & Adalbertum Comitem cum aliis multis præmiſit ad tuendum litus occidentale Rheni fluminis. Ipſe vero ſecutus, in Aquiſgrani Paſcha celebravit. Poſt Paſcha autem Imperator, collecto exercitu, filium per Thuringiam uſque ad terminos barbarorum perſequitur, excluſumque è finibus Regni, per Sclavorum terram cum magno labore Bajoariam redire compellit. Ipſe vero rebus in partibus illis ordinatis, ad Salz villam reverſus, dies Letaniorum & Aſcenſionis Domini ſolemnia celebravit. Imperator vero illis diebus morbo correptus, ægrotare cœpit, & per Mœnum fluvium navigio ad Franconofurd, inde poſt paucos dies in inſulam quandam Rheni fluminis prope Ingilihim delatus, morbo invaleſcente, XII. Kal. Julii diem ultimum clauſit. Corpus vero ejus Metis civitatem perlatum, in Baſilica S. Arnulfi Confeſſoris honorifice ſepultum eſt. Sed hæc omnia ad annum 840. protrahenda, excepto Ludovici in Norejam, quæ nunc Bajoaria dicitur, regreſſu, deficientibus nimirum, quos ex Auſtraſiis, Thoringis, & Alemannis illexerat, ſecumque adduxerat. Id enim ad ann. 839. confert Bertinianus, additque: „ Venerunt Legati Græcorum à „ Theo-

„ Theophilo Imp. directi, Theodoſius videlicet Chalce-
„ donenſis Metropolitanus Epiſcopus, & Theophanius
„ Spatharius, ferentes cum donis Imperatore dignis Epi-
„ ſtolam: quos Imperator XV. Kal. Junii in Ingulenheim
„ honorifice ſuſcepit. Quorum Legatio ſuper confirma-
„ tione pacti & pacis, atque perpetuæ inter utrumque
„ Imperatorem eique ſubditos amicitiæ & caritatis age-
„ bat, nec non de victoriis, quas adverſus exteras bel-
„ lando gentes cœlitus fuerat adsequutus, gratificatio & in
„ Domino exultatio ferebatur. In quibus Imperatorem
„ ſibique ſubjectos amicabiliter datori victoriarum omnium
„ gratias referre popoſcit. Miſit etiam cum eis quoſdam,
„ qui ſe, ideſt, gentem ſuam, Rhos (*a*) vocari dicebant:
„ quos Rex illorum, Chacanus vocabulo, ad ſe amicitiæ
„ ſicut aſſerebant, cauſa direxerant. Petens per memoratam
„ Epiſtolam, quatenus benignitate Imperatoris redeundi
„ facultatêm atque auxilium per Imperium ſuum totum
„ habere poſſent: quoniam itinera, per quæ ad illum
„ Conſtantinopolim venerant, inter barbaras & nimiæ fe-
„ ritatis gentes immaniſſimas habuerant, quibus eos,
„ ne forte periculum inciderent, redire noluit. Quo-
„ rum adventus cauſam Imperator diligentius inveſtigans,
„ comperit eos gentes eſſe Sueonum, exploratores potius
„ Regni illius, noſtrique, quam amicitiæ petitores ratus,
„ penes ſe eouſque retinendos judicavit, quoad veraci-
„ ter invenire poſſet, utrum fideliter eo, necne perve-
„ nerint. Idque Theophilo per memoratos Legatos ſuos
„ atque Epiſtolam intimare non diſtulit, & quod eos,
„ illius amore, libenter ſuſceperit, ac, ſi fideles inve-
„ nirentur, & facultas abſque illorum periculo in pa-
„ triam remeandi daretur, cum auxilio remittendos: ſin
„ alias, unacum miſſis noſtris ad ejus præſentiam diri-
„ gendos, ut quid de talibus fieri deberet, ipſe decer-
„ nendo efficeret. Quibus peractis, Imperator urbem
„ Vangionum juxta condictum 3. Kal. Junii pervenit, ibi
„ ſuſce-

a De Ruſſorum origine primiſque ſedibus, recole tom. 1. part. 2. cap. 3. a p. 221. ubi pag. 239. hunc Bertiniani locum protuli. Notandum tamen, legatos iſtos gentem ſuam Rhos falſo vocaſſe; compertum enim fuit, eos gentis eſſe Sveonum, ideſt Svecorum.

„ ſuſceptis quibuſdam, quos adhuc ſpecialiter properare „ juſſerat fidelibus, Lotharium filium ſuum ab Italia „ venientem paterno ſuſcipere affectu minime renuit.

XXVII. Diviſio Regni Franciæ à Ludovico Pio inter filios facta, Ludovicus Pii filius cogitur intra Bajoariæ fines ſe continere. Repreſſæ Soraborum, Vvilzorum Abotritorum, & Linorum incurſiones Czaſo Cimuſclo Soraborum Colodicorum Rege, pax cum ejus ſucceſſore ſtatuitur. Horicus Danorum Rex fœdus cum Imperatore percutit.

Mox deſcripta(a) Regni diviſione ab Imperatore facta, „ ita ut a Moſa partem Auſtralem Lotharius acciperet, „ Occiduam vero Carolus: pergit idem Bertinianus, „ Imperator autem indicto generali Placito Kalendas Septembris erga Cavallonem, Legatos ad Ludovicum direxit præcipiens, ut fines Bajoariæ nullatenus egredi, niſi ſe jubente, præſumeret; idque ſacramento firmare juberet: ſin alias, circa initia Septembris ad Auguſtburg hoſtiliter ſibi occurſurum minime dubitaret. Deſcriptis itaque atque deſtinatis, qui ſecum Bajoariam, ſi neceſſitas compelleret, quique cum filio ſuo Carolo Cavallonem contra motus Aquitanicos, quibus cum Pippino Pippini filio quidam Aquitanorum nuper ab Imp. defecerant, compeſcendos, etiam cum Saxonibus adverſus Danorum Sclavorumque qui ferebantur incurſus, occurrerent; ipſe in Cruciniaco caſtro ſeſe venationibus alacriter exercendo, Miſſorum in Bajoariam directorum reditum ſtatuit operiri. Qui reverſi, miſſis Ludovici ad Imperatoris uſque præſentiam comitantibus, nunciaverunt paternis eum juſſionibus non admodum obviaſſe; ſed ea ſe pariturum conditione ſpopondiſſe, ſi ſacramenti firmitas, quam quærebat, ab Imperatoris fidelibus ſibi etiam fieret. Verum quia tum contigit defuiſſe Primates, per quos eandem firmitatem fieri deſcebat, illius fidei Imperator atque ſupplicibus promiſſionibus potius committendum delegit, quouſque à partibus Aquitanis adepta divinitus victoria rediens, mandatis perſeverantem benigne ſuſciperet; ſecus vero molientem, pro viribus inſequi non tardaret. Directis interim ad hoc ſpecialiter miſſis, qui ab his hujuſmodi firmitatem ſacramento ſuſciperent, diſpoſitis quoque Saxonum adverſus Soraborum & Wiltzorum incurſiones, „ qui

a Hæc diviſio anno 838. facta dicitur in conventu Vvormatienſi. Vid. Pegium ad eund. ann. num. 3.

„ qui nuper quaſdam ipſius Marchæ Saxoniæ villas incen-
„ dio cremaverant, & Auſtraſiorum Thoringorumque con-
„ tra Abodritorum & qui dicuntur Lino, defectiones,
„ expeditionibus: ipſe per Arduennam venatu ſeſe dele-
„ ctabiliter exercens, ceteros totius Regni ſui fideles
„ circa Kalendas Septembris Cavallonem, ut condixerat,
„ ſibi obvios adeſſe præcepit. Quidam etiam Piratæ in
„ quandam Friſiæ partem non parum incommodi noſtris
„ finibus intulerunt. Direxit & Orichus Miſſos ad Impe-
„ ratorem, quemdam videlicet, cujus conſiliis præ cun-
„ ctis fidere, & omnia agere videbatur, & cum eo ne-
„ potem ſuum, munera gentilitia deferentes, pacis ami-
„ citiæque arctius ſtabiliuſque gratia confirmandæ. Qui-
„ bus hilariter ſuſceptis atque muneratis, quia propter
„ quædam incommoda ſuper Friſionibus querebantur, Du-
„ ces ſtrenui deſtinati ſunt, qui tempore conſtituto illis
„ de omnibus juſtitiam adimplerent. *Et poſt pauca de Im-*
„ *peratore ad Pictavos in biberna concedente:* Saxones
„ interea contra Sorabos, qui Colodici vocantur, apud
„ Keſigesburch dimicantes, cæleſtibus auxiliis fulti vi-
„ ctoriam adepti ſunt: Regeque ipſorum Cimuſclo in-
„ terfecto, eandem urbem, & undecim caſtella ce-
„ perunt: receptis etiam ſacramentis à Rege inter eoſdem
„ tumultus repente creato, inſuper obſidibus, multam
„ Terræ indixerunt: ſed & Legati Imperatoris ad Horich
„ pacis gratia directi, receptis ſacramentis indiſſolubilem
„ pepigerunt.

XXVIII. Ludovicus Pius dum Ludovicum filium Bajoariæ Regem armis ad officium redigere ſtudet, morbo correptus, diem claudit extremum anno 840. Poſt obitum Patris Lotharius filius Ebonem Rhemenſi reſtituit Eccleſiæ.

Anno 840. Bertinianus. Imperator Nativitatis atque Apparitionis Dominicæ feſtum, & B. Mariæ ſemper Virginis Purificationem in Urbe Pictavorum celebrans, motus Aquitanicos componere ſatagebat. Quum interim propinquante Quadrageſimali obſervatione ſiniſtrum quippiam illi nunciatum eſt, Ludovicum videlicet filium ſuum conſueta jamdudum inſolentia uſque ad Rhenum Regni gubernaculum uſurpare. Quo admodum nuncio motus, relictis Auguſta & filio Carolo cum non pauca parte exercitus in urbe memorata, ipſe ad Aquis Palatium veniens, Reſurrectione Dominica inibi celebrata, Germaniam tranſ-
poſito

poſito Rheno ingreditur. Fugatoque filio, & Paganorum, exterarumque gentium adminicula, etiam ſui præſentia, compluribus datis muneribus expetente, eum ulterius perſequi deſtitit. Imperator vero à perſequendo filio rediens, correptus morbo in inſula Rheni infra Maguntiam ad proſpectum Ingulenheim Palatii ſita, XII. Kal. Julii defunctus eſt. Lotharius, comperto genitoris obitu, ab Italia Gallias ingreſſus, jura naturæ tranſgreſſus, Imperatorio elatus nomine, in utrumque fratrem, Ludovicum videltcet & Carolum, & hoſtiliter armatur, & nunc hunc, nunc illum prælio impetit: ſed utrumque minus proſpere ſecundum ſuam dumtaxat inſolentiam, patrato negotio, quibuſdam conditionibus uſque ad tempus ab utroque diſceſſit. Frodoardus lib. 2. cap. 20. recitat Edictum Lotharii Auguſti dat. VIII. Kal. Sept. Ind. III. quo Lotharius dum in vicinis ad Rhenum & ad Mœnum locis, donec inducias cum Ludovico fratre pactus eſſet, degeret, Ebonem, qui è ſede Rhemenſi, eo quod Lotharianis partibus faviſſet, dejectus fuerat, eductum è cuſtodia, dignitati priſtinæ anno 840. reſtituit.

C A P U T V.

Slavi, & Abares Hunni ſub Ludovici Pii filiis uſque ad annum 876.

LUdovico Pio Imperatore anno 840. XII. Kal. Julii defuncto, ex eius filiis, *Lotharius* quidem Imperator dictus eſt: *Ludovicus* autem Germaniæ Rex; & *Carolus Calvus* Franciæ ſeu Aquitaniæ. Anno 841. orto inter Ludovici Pii filios diſſidio, Lotharius Saxones ad idololatriam redire permittit; Ludovicus partim terroribus, partim gratia, Saxonum complures, omnes autem Auſtraſiorum, Thoringorum atque Alamannorum ſuæ ſubjugat ditioni. Lambertus Schafnaburgen. Anno 841. *Lotharius bellavis contra fratres ſuos Ludovicum & Carolum, in quo prælio pene ad internecionem deleti ſunt Franci, & Lotharius victus eſt, ubi & Adelbertus Comes occiſus eſt.* Annaliſta

I. Saxones a Lothario Auguſto ad idololatriam redire permiſſi, poſtquam a Ludovico & Carolo fratribus devictus eſt. Ludovicus Bajoariæ Rex Auſtraſios, Thoringos, Alamannos, partemque Saxonum, ſuæ ſubdit ditioni.

Digitized by Google

Bertinianus. *Lotharius terga vertens, & Aquaſgrani perveniens, Saxones cæteroſque confines, reſtaurandi prælii gratia, ſibi conciliare ſtudet, intantum ut Saxonibus, qui Sterlingæ appellantur, quorum multiplicior numerus in eorum gente habetur, optionem cujuſcumque legis, vel antiquorum Saxonum conſuetudinis, utram earum mallent, conceſſerit. Qui ſemper ad mala proclives, magis ritum Paganorum, quam Chriſtianæ fidei ſacramenta tenere delegerunt. Herioldo, qui cum cæteris Danorum maritimis incommoda tanta, ſui cauſa, ad patris injuriam invexerat, Gaula Cruſalia quæ vicina loco, hujus meriti gratia, in beneficium contulit. Dignum ſane omni deteſtatione facinus, ut qui mala Chriſtianis intulerant, iidem Chriſtianorum terris & populis, Chriſtique Eccleſiis præferantur; ut perſecutores fidei Chriſtianæ, domini Chriſtianorum exiſterent, & dæmonum cultoribus Chriſtiani populi deſervirent.*

II. Colloquium fratrum Lotharii, Ludovici, & Caroli de diviſione Regni Francorum inter ſe facienda. Ludovicus Saxones rebellantes & a Chriſtiana fide deficientes, multis occiſis, ad officium revocat.

Anno 842. Bertinianus: Ludovicus peragrata omni Saxonia, cunctos ſibi eatenus obſiſtentes vi atque terrore ita perdomuit, ut comprehenſis omnibus auctoribus tantæ impietatis, qui & Chriſtianam fidem pene reliquerant, & ſibi ſuiſque fidelibus tantopere obſtiterant, CXL. capitis amputatione plecteret, XIV. patibulo penderet, innumeros membrorum præciſione debiles redderet, nullumque ſibi ullatenus refragantem relinqueret. Fuldenſis: Anno 842. *Ludovicus vero videns Lotharium in priſtina pertinacia perdurantem, nec adhuc velle deſiſtere victum, collecta Orientalium non modica manu, Rhenum tranſiit, civitates in Occidentali Rheni litore poſitas, quæ partibus Lotharii favebant, in deditionem accepit; occurritque ei Karlus apud urbem Argentoratum, quæ nunc Straſburgus vocatur. Unde pari intentione pergentes, Lotharium in Villa Sentiaca morantem & a ſuis deſertum, in quibus non parum confidebat, fugere compellunt XVII. Kal. Apr. Putantes autem eum, ut fama vulgabat, rebus deſperatis Italiam petere, partem Regni, quam habuit eatenus, inter ſe diſpertiunt. Lotharius vero collecto fido ſatis exercitu, apud Maduſconam Galliæ Urbem conſedit. Quem con-*

Digitized by Google

conſecuti fratres ſui, quum jam vidiſſent proniorem ad faciendam cum eis pacem, fœdus inire maluerunt, quam diutius contentionibus deſervire; ea tamen conditione, ut e partibus ſingulorum XL. *ex Primoribus electi in unum convenientes, Regnum æqualiter deſcriberent, quo facilius poſtmodum inter eos pari ſorte divideretur. Quibus geſtis, Ludovicus inde reverſus menſe Auguſto in Villam, quæ vocatur Salz, habito generali conventu, in Saxoniam pergens, validiſſimam conſpirationem libertorum legitimos dominos opprimere conantium, auctoribus factionis capitali ſententia damnatis fortiter compeſcuit.* Metenſis. *Tres fratres apud Maduſeonam Galliæ urbem convenientes, conſilio fidelium ſuorum fœdus inire maluerunt, quam contentionibus deſervire; ea tamen conditione, ut de partibus ſingulorum,* XL. *ex primoribus electi in unum convenientes, Regnum æqualiter deſcriberent, quo facilius poſtmodum inter eos ſorte divideretur.*

Anno 843. Metenſis & Fuldenſis. " Deſcripto Regno ,, a Primoribus, & inter partes diviſo, apud Viridunum ,, Galliæ civitatem tres Reges menſe Auguſto convenien- ,, tes, Regnum inter ſe dividunt, & Karolo quidem Occi- ,, dentalia Regna ceſſerunt; Ludovico vero Orientalia, ,, ſcilicet, omnis Germania uſque Rheni fluenta: Porro ,, Lotharius, quia major natu erat, & Imperator appel- ,, labatur, medius inter utroſque incedens, Regnum ſor- ,, titus eſt, quod hactenus ex ejus vocabulo Lotharii nun- ,, cupatur, totamque Provinciam, nec non & omnia Regna ,, Italiæ cum ipſa (*a*) Romana urbe. Factaque inter ſe pace, ,, & juramento firmata, ſinguli ad diſponendas & tuendas ,, Regni ſui partes, revertuntur. *Bertinianus*. Ubi (hoc ,, eſt, apud Virodunum,) diſtributis portionibus, Ludovi- ,, cus ultra Rhenum omnia, citra Rhenum vero Neme- ,, tum, Vangium, & Moguntiam civitates pagoſque ſorti- ,, tus eſt. Lotharius inter Rhenum & Scaldim in mare ,, decurrentem, & rurſus per Camaracenſem, Hainnaum, ,, Loëmſem, Caſtritium, & eos Comitatus, qui Moſæ ,, citra contigui habentur uſque ad Ararem Rhodano in- ,, fluen-

III. Regnum Francicum inter fratres ſic diviſum, ut Ludovico Germania omnis Transrhenana cum aliquot cis Rhenum urbibus obtigerit.

(*a*) Cujus nempe Urbis Patricius & Defenſor eſſet, utpote Imperator Romanorum; non dominus, nam urbs Roma cũ adjunctis, ad Romanæ Eccleſiæ ditionem pertinebat, uti res eſt certa.

„ fluentem,& per deflexumRhodani in mare cum Comita-
„ tibus ſimiliter ſibi utrinque adhærentibus: Cetera uſque
„ ad Hiſpaniam Carolo ceſſerunt. *Hildensheimenſis breviſſime*: Hoc anno facta eſt pax inter Lotharium, & Ludovicum, & Karolum fratres ſuos. *Pagius ad ann. 843. num. 2.* Obtigit itaque Ludovico Germania omnis Tranſrhenana, cum paucis aliquot cis Rhenum urbibus & pagis. Carolo ad Occidentem, quidquid Galliæ ab Oceano hinc ad Moſam & Scaldim, inde ad Rhodanum & Ararim porrigitur. Lotharius Imperator reliquas Galliæ provincias, quæ inter Moſam & Rhenum, quæque inter Rhodanum, Ararim, & Alpes ſitæ ſunt, cum Longobardiæ Regno, fortitus eſt. Ex hac diviſione (*inquit Hugo Flaviniacenſis Abbas in Chronico Virdunenſi*) factum eſt, ut omnes Francorum Reges appellati, unitum Francorum Regnum fœda ſectione ſciderint, & exteris nationibus occaſionem rebellandi contulerint. Ingruentibus enim Normannis, Dacis (Danis) & Brittonibus fiunt Chriſtianorum ſtrages, deprædationes, vaſtationes. „ Regino in Chronico de eadem inter tres fratres Francorum Reges pace agit, ſed perperam ad annum 842.

IV. Ludovicus Germaniæ Rex populos Reguloſque Sclavorum ſuæ ſubjugat ditioni. Goſtomuſlum Regem Abotritorum interficit. Regum Sclavorum ſeries.

Anno 844. *Ludovicus Rex Germanorum populos Sclavorum & terras aggreſſus, quoſdam in deditionem cepit, quoſdam interfecit: omnes pene illarum partium Regulos aut vi aut gratia ſubegit.* Hæc Bertinianus. Metenſis vero: *Ludoicus Abodritos defectionem molientes bello perdomuit occiſo Rege eorum; terramque & populum per Duces ordinavit.* Fuldenſis. *Hludovicus Obodritos defectionem molientes bello perdomuit, occiſo Rege eorum Gozzomvil: terramque illorum, & populum ſibi divinitus ſubjugatum per Duces ordinavit.* Hinc Annaliſta Hildensheimenſis emendandus, qui pro Ludovico, *Lotharium*, & pro Gozzomvil, habet *Geſtianulum*, ſic: *Anno 844. Lotharius Rex cum Orientalibus Francis venit in Silviam (leg. Slaviam) Et eorum Regem Geſtiunulum occidit, ceteroſque ſibi ſubegit.* Corrigendus etiam Marianus Scotus, qui ad an. 844. ſic ſcribit: *Lotharius Imperator Regem Sclavorum Geſtimulum occidit.* Hoc ipſum legere eſt apud Lambertum Schafnaburgenſem. Jam ſupra dictum eſt, poſt Thraſiconis obitum

tum ann.817.*Sclaomirum* unacum *CeadragoThraſiconisFilio* Regnum Obodritorum partitum: mox anno 819.*Sclaomiro* a primoribus ſui Populi ob multa quorum accuſabatur crimina, exilio condemnato, Regnum integrum *Ceadrago* datum. Tandem anno 821. eodem Ceadrago, quia perfidiæ & cujuſdam cum Northmannis factæ ſocietatis notabatur, dejecto, *Sclaomirum* ejus avunculum in Patriam remiſſum; quumque in Saxoniam veniſſet, ægritudine correptum, & percepto Baptiſmi Sacramento defunctum fuiſſe. Itaque Sclaomiro mortuo & Ceadrago inRegnum reſtituto, quum de Sclavorum regionibus quidam Abodritorum primores Ceadragum anno 826. accuſaſſent, quumque ei denunciatum eſſet, quod, ſi menſe Octobri ad Imperatoris generalem conventum venire diſtuliſſet, condignas perfidiæ ſuæ pœnas daturus eſſet; eo, ut videtur, regiis mandatis non obtemperante, Obotritorum Rex *Gozzomvilus* eodem anno 826. aut ſequenti creatus, quum poſtea rebellaſſet, hoc anno 844. a Ludovico Rege oppreſſus fuit. Sigebertus Gemblacenſis eam Abodritorum defectionem ad annum 845. differt: *Ludovicus Rex Germaniæ Abodritos a ſe deficere molientes, bello perdomuit, occiſo eorum Rege, eorumque terram & populum ſibi divinitus ſubjugatum per Duces ordinavit*. Horum Regum ſeriem apud Helmoldum fruſtra quæſieris.

V. Oricus Danorum Rex a Saxonibus Ludovico ſubjectis victus, pacem expetit. Ludovicus quatuordecim Duces Bohemorum cum hominibus ſuis ſuſcipit & baptizari jubet. Legatos fratrum ſuorum, nec non Northmannorum ſeu Danorum, Sclavorum, & Bulgarorum, audit & abſolvit.

Anno 845. Bertinianus: *Nortmannorum Rex Oricus excentas naves per Albim fluvium in Germaniam adverſus Ludovicum dirigit. Quibus Saxones occurrentes, commiſſo prælio, Domini Noſtri Jeſu Chriſti auxilio, victores efficiuntur. Unde digreſſi, Sclavorum quandam impetunt & capiunt civitatem. Rex Oricus ad Ludovicum Regem Germanorum, legatos pacis gratia deſtinat, captivos abſolvere, theſauroſque paratus pro viribus reſtituere*. Metenſis. Anno 845. *Ludovicus, XIV. Duces Boëmanorum cum hominibus ſuis Chriſtianam Religionem deſiderantes, ſuſcepit & in octavis Epiphaniæ baptizari juſſit: & in Autumno in Saxonia apud Padrabrunno generale Placitum habuit, ubi fratrum ſuorum, & Nortmannorum, Sclavorum quoque & Bulgarorum legationes ſuſcepit, audivit, abſolvit*.

vit. Eadem apud Fuldenſem ad eundem annum 845. quæ tamen ad annum 846. conferuntur a Sigeberto ſic, *Ludovicus quatuordecim Duces Bohemanorum cum ſuis baptizari fecit*. Mirari ſubit, hanc celeberrimam Ducum Bohemiæ ad Chriſti fidem converſionem, a nullo rerum Bohemicarum Scriptore narrari.

VI. Moravi, Pannones, & Bohemi, defectionem molientes, a Ludovico Rege ſubiguntur. Moravis Rex poſt Moymari obitum Raſtices qui & Ratislaus imponitur.

Anno 846. Fuldenſis & Metenſis. *Giſalbertus quidam miles Karoli, filiam Lotharii Imperatoris rapuit, & in Aquitaniam profectus, in conjugem accepit. Ludovicus Occidentem profectus, menſe Martio cum Karlo Placitum habuit, in quo uterque coram publice conteſtatus eſt, ſuæ non fuiſſe voluntatis, quo Giſalbertus filiæ Lotharii jungeretur, ut his auditis, Lotharius placari facilius potuiſſet. Inde reverſus juxta lacum Briganticum, 11. Non. April. Paſcha celebravit. Poſtea cum Lothario locutus, volens eum cum Karlo pacificare, quum res non haberet effectum, circa medium menſem Auguſti cum exercitu ad Sclavos Margenſes defectionem molientes profectus eſt. Ubi ordinatis, & juxta libitum ſuum compoſitis rebus, Ducem eis conſtituit Raſticem nepotem Moimari. Inde per Boëmanos cum grandi difficultate & magno damno exercitus ſui reverſus eſt*. Bertinianus. *Ludovicus Rex Germanorum, adverſus Sclavos profectus, tam inteſtino ſuorum conflictu, quam hoſtium victoria conterritus, reverſus eſt*. Hanſizius Tom. 2. Germ. Sacr. p. 130. ad ann. 847. quo Luitprammus Juvavenſem regebat Eccleſiam, & Privina Slavis in Pannonia inferiore Dux præerat: *Subinde motus in Maravia & Pannonia exorti ſunt anno 846. Moymaro Duce defuncto, defectionem moliebantur. Ludovicus Rex incendium in favilla oppreſſit, Pannoniam ſubegit, teſte Lamberto: Maravis Ducem conſtituit Raſticium. Qua tempeſtate Privvinæ fides adverſus Regem enituit: cujus præmium brevi accepit*. Annaliſta Hildensheimenſis, & Lambertus Schafnaburgen. ad ann. 846. *Ludovicus, filius Ludovici, Pannoniam* (a) *ſubegit, & Bohemos domum rediens vaſtavit*. Idem

(a) Apud Marianum Scotum ad ann. 852. id factum confertur, ſic. *Ludovicus filius Ludovici, Pannoniam ſubegit, & Bohemos domum rediens cremavit*.

Idem Hanſizius Tom. 1. pag. 159. *Tempore Hardwici* (Pataviensis Epiſcopi ad annum, uti notatur in margine, 845.) *res ejus Eccleſiæ turbari cœptæ. Nam circa* (*a*) *ann.* 845. *Moravi primum tumultus ciere, Boicum dominatum excutere; ſeu a Bohemis, ſeu Bulgaris concitati: utriſque enim alienæ a Bojis rationes erant. Bohemos cum vetus certamen, tum odium religionis in arma conciverat, recente ſtimulo, quod Duces ipſorum quatuordecim per Ludovicum Regem ad Chriſtiana ſacra noviſſime traducti, & Baptiſmo initiati erant. Ergo Moravi vicinorum opibus freti, libertatem reſpicere. Sed eorum conatus Ludovicus Boicus anno* 846. *compreſſit, Duce eis impoſito quodam Raſtice, Moymari nepote, qui haud diu perſtitit in fide.*

VII. Legatione ad Otichum Danorum Regem miſſa, Northmanni comprimuntur. Sclavi, & Bohemi legatos pacis gratia mittere & obſides dare compelluntur. Goteſcalchi Presbyteri hæreſis condemnatur.

Anno 847. Bertinianus: " Lotharius, Ludovicus, & „ Carolus Legatos ad Orich Danorum Regem deſtinant, „ mandantes, ut ſuos a Chriſtianorum infeſtationibus cohiberet; ſin alias, bello ſe impetendum, nullatenus dubitaret. Ludovici Germanorum Regis exercitus adverſus „ Sclavos proſpere dimicant, ita ut quod ante annum amiſerat, reciperet. „ Metenſis & Fuldenſis: " Normanni „ Doreſtadum incendentes vaſtaverunt. „

Anno 848. Bertinianus " Sclavi in Regnum Ludovici „ hoſtiliter irruentes, ab eo in Chriſti nomine ſuperantur. „ *Metenſis*: Ludovicus Rex Boëmanos eruptionem molientes, per Ludovicum filium ſuum miſſa adverſus eos expeditione continuit: Legatos, pacis gratia, mittere, „ & obſides dare coëgit. *Fuldenſis*: Circa Kal. Octobris „ generale Placitum habuit apud Mogontiacum, in quo „ Legatos fratrum ſuorum, & Nordmannorum, Sclavorumque ſuſcepit, audivit & abſolvit. Goteſcalcus quidam Presbyter de Prædeſtinatione Dei prave ſentiens, „ & tam bonos ad vitam, quam malos ad mortem perpetuam inevitabiliter a Deo prædeſtinatos eſſe affirmans, „ in Conventu Epiſcoporum rationabiliter, ut plurimis „ viſum eſt, convictus, & ad proprium Epiſcopum Ingumarum (Hincmarum) Remis tranſmiſſus eſt: prius tamen „ jura-

(a) Legendum tamen 846. nam Baptiſmus Bohemorum Ducum anteceſſerat.

„ juramento confirmans, ne in Regnum Ludovici ultra „ rediret. „ Bertinianus id factum ad Annum 849. refert ſic: " Godeſcalcus Gallus quidam, Monaſterii Orbacenſis „ paroeciæ Sveſſonicæ Monachus & Presbyter, ſcientia „ tumidus, quibuſdam ſuperſtitionibus deditus, Italiam „ ſpecie religionis aggreſſus, inde turpiter ejectus, Dalmatiam, Pannoniam, Noricumque adorſus, quædam „ noſtræ ſaluti valde contraria, præcipue ſub nomine Prædeſtinationis, peſtiferis dictis & ſcriptis adſtruens, in „ præſentia Ludovici Germanorum Regis, Epiſcopali „ Concilio detectus atque convictus, tandem ad diœceſeos ſuæ urbem Metropolim Remorum Durocortorum „ nomine, cui Hincmarus vir venerabilis præſidet, redire „ compellitur. „ De eo vide Pagium ad ann. 848. 49. 51. 52. & 853.

VIII. Exercitus Ludovici Regis a Bohemis turpiter profligatur: quod Taculfo Sorabici limitis Duci mos geſtus non fuiſſet.

Anno 849. Bertinianus " Ludovicus Rex Germanorum ægrotans, exercitum ſuum in Sclavos dirigit: qui „ turpiter profligatus, quid diſpendii ſibi abſentia Ducis intulerit, cadendo fugiendoque expertus eſt. *Metenſis*: „ Boëmani more ſolito fidem mentientes, contra Francos „ rebellare diſponunt. Contra quos Arnulfus Dux illarum partium cum multis Comitibus & Abbatibus & copioſo exercitu mittuntur. Barbari vero pro pace petenda Legatos ad Taculfum præmittunt, cui præ cæteris „ credebant, quaſi ſcienti leges & conſuetudines Slavicæ „ gentis. Erat quippe Dux Sorabici limitis; ſed in illa expeditione in ſiniſtro genu ſagitta graviter vulneratus: & „ ne ejus debilitas deprehenderetur, equo ſedens cum „ Legatis ſimulata ſanitate locutus eſt. Quumque ille „ quibuſdam ex Primatibus, Legatorum verba nunciaſſet, „ indignati adverſus eum, quod quaſi ſummam rerum „ gerendarum in ſe vellet transferre, citato impetu inconſultis aliis bellum hoſtibus paci ſtudentibus intulerunt: „ ſtatimque experti ſunt, quod ſine Dei timore parum „ proſit virtus & audacia. Hoſtes enim effecti ſuperiores, „ cædendo perſecuti ſunt eos uſque ad caſtra, & ſpe evadendi ex toto ſublata, coacti obſides dabant, a quibus „ ſuſcipere dedignati ſunt. *Addit Annaliſta Fuldenſis*:

„ Un-

„ Unde coacti obſides dabant eis, a quibus ſuſcipere de-
„ dignati ſunt, ut illæſi ab hoſtibus, & via tantum pu-
„ blica pergentes, in patriam reverti potuiſſent. Et ut
„ major confuſio ſuperbientibus, & de ſua virtute præſu-
„ mentibus fieret, contigit eodem anno poſt non multi
„ temporis ſpatium in villa Hogſtedi, quæ eſt in territo-
„ rio Mogontiaco, ſpiritum nequam per os cujuſdam ar-
„ reptitii proteſtari, bello ſe Boëmanico præfuiſſe, ſo-
„ cioſque ſuos ſpiritum ſuperbiæ atque diſcordiæ fuiſſe,
„ quorum doloſis machinationibus Franci Boëmanis terga
„ vertiſſent. „ Sigebertus ad ann. 850. " Franci a Boëma-
„ nis gravi prælio vincuntur, cui bello ſpiritus malignus
„ ſe præfuiſſe per os arreptitii publice proteſtatus eſt, &
„ per ſuos ſpiritus, ſcilicet ſuperbiæ & diſcordiæ, egiſſe,
„ ut Franci terga verterent. „ Nimirum tam fœdæ cla-
di, hoſtis contemptus, ſuperbia & diſcordia Ducum Fran-
corum, cauſam præbuit. Vide Pagium ad ann. 850. n. IV.
ubi Annaliſtam Metenſem Sigeberto præferendum affirmat.

IX. Orichus Regnum Danorum cum duobus nepotibus partitur. Normanni Regnum Lotharii infeſtant, Ducibus Rorico, & Godefrido, quos Carolus Calvus in ſocietatem Regni recipit.

Anno 850. Bertinianus: " Orich Rex Normannorum,
„ impugnantibus ſeſe duobus nepotibus ſuis, bello impe-
„ titur. Quibus partitione Regni pacatis, Rorich nepos
„ Herioldi, qui nuper a Lothario defecerat, aſſumptis
„ Nortmannorum exercitibus, cum multitudine navium
„ Freſiam & Batavum inſulam aliaque vicina loca per Rhe-
„ num & Vachalem devaſtat. Quem Lotharius quum com-
„ primere nequiret, in fidem recepit, eique Doreſtadum
„ & alios Comitatus largitur. „ Metenſis & Fuldenſis:
" Roruc, qui cum fratre (*a*) Harioldo vicum Doreſtadum
„ jure beneficii tenuerat ab Imp. Ludovico, poſt obitum
„ Imperatoris apud Lotharium, qui patri ſucceſſerat, pro-
„ ditionis crimine, falſo, ut fama eſt, inſimulatus, ten-
„ tus & in cuſtodiam miſſus eſt. Unde fuga lapſus, ad
„ Regem Ludovicum confugit. Quumque per aliquot an-
„ nos inter Saxones, qui confines Normannis ſunt, ma-
„ neret, collecta Danigenarum non modica manu cœpit
„ piraticam exercere, & loca Regni Lotharii, quæ ſibi

Tom. II. V „ erant

(a) A Bertiniano vocatur *nepos Herioldi*.

Digitized by Google

„ erant viciniora, vaſtare: venitque per oſtia Rheni fluminis Doreſtadum, & occupavit eam atque poſſedit. Et „ quum a Lothario ſine periculo ſuorum non poſſet expelli, „ conſilio ſuorum, Legatis mediantibus, in fidem eſt receptus, ea conditione, ut tributis ceteriſque negotiis ad „ Regis ærarium pertinentibus fideliter inſerviret, & piraticis Danorum obviando reſiſteret. Igitur Normanni „ Godefrido Duce per Sequanam aſcendentes, Regnum „ Caroli prædantur: ad quorum expulſionem Lotharius „ evocatus, quum ſibi pugnandum cum hoſte putaret, „ Carolus mutato conſilio Godefridum cum ſuis in ſocietatem Regni recepit, & terram eis ad inhabitandum delegavit: Lotharius adventum ſuum illo ſupervacuum videns, ad propria reverſus eſt. „ Auctor Chronici Fontanellenſis: " Claſſis Danorum in Regnum Chlotharii appulit, Ducibus Rorico & Godefrido: nec mora „ de Vvalo fluvio recedentes abſque ulla præda, Flandrenſem adorſi regionem, variis deprædationibus populati „ ſunt.

X.

Ludovicus Sorabos & Slavos pene omnes ſubjugat. Graviſſima tamen Germaniam opprimit; non hoc tamen ſed antecedenti anno Piratæ Danorum Galliam & Germaniam infeſtant.

Anno 851. Bertinianus: " Ludovicus Rex Sclavos „ pene omnes populatur, & ſuæ ſubjugat ditioni. *Metenſis*: Ludovicus contra Sorabos, qui fines Francorum crebris incendiis infeſtabant, commotus, cum „ exercitu per Thuringiam iter faciens, terram eorum „ graviter devaſtavit, & magis eos fame, quam ferro „ perdomuit. *Fuldenſis*: Sorabi Francorum fines crebris „ incurſionibus atque incendiis infeſtant. Unde Ludovicus Rex commotus, cum exercitu per Thuringiam iter „ faciens, terram eorum ingreſſus, gravi eos obſidione „ fatigavit; perditiſque frugibus, & omni ſpe adempta, „ magis eos fame, quam ferro perdomuit. *Sigebertus*: „ Fames Germaniam attrivit, ut etiam pater filium ſuum „ devoraſſe voluerit. Quo tempore Rabanus Archiepiſcopus multam benevolentiam pauperibus exhibuit. „ Sed Annaliſta Fuldenſis ad annum 850. graviſſimam famem Germaniæ populos oppreſſiſſe ſcribit. Vide Pagium ad ann. 850. & Hanſizium Tom. 2. Germ. ſacr. p. 131. ubi Poëtæ Synchroni verſus ad Luitprammum Epiſcop. Juvaven. reci-

recitat. Bertinianus: " Piratæ Danorum, Freſiam & Bata-
,, vos populantur: ſed & uſque ad Monaſterium S. Bavo-
,, nis, quod Gant dicunt, debacchantes, idem Mona-
,, ſterium incendunt. ,, Addit Monachus de miraculis
S. Bavonis apud Mabillon. Sec. II. Benedict. lib. I. num. X.
" Venienteſque urbem Rotomum uſque ad Belvacum pe-
,, deſtri gradu perveniunt. *Et paulo poſt*. Dani poſt mul-
,, tam generis humani interfectionem, Gandavum redie-
,, re, ſuiſque ibi reparatis navibus, terra marique iter
,, facientes, Moſam ingreſſi ſunt, & famoſiſſimum Aquiſ-
,, grani Palatium igne cremaverunt, & Monaſteria, civi-
,, tatem Treveris nobiliſſimam, & Coloniam Agrippinam
,, cum habitatoribus interfectis, igne cremaverunt. ,,

XI. Godefridus Herioldi Dani filius, olim baptizatus, a Lothario deficiens, Friſiam infeſtat: ſed quibuſdam pactionibus conciliatur. Synodus Moguntina anno 852. habita. Bulgari & Sclavi a Ludovico vincuntur.

Anno 852. Bertinianus: " Normanni 252. navibus
,, Freſiam adeunt, acceptiſque multis, prout ipſi ſtatue-
,, runt, ad alia divertunt. Godefridus Herioldi Dani
,, filius, qui quondam ſub Imp. Ludovico Maguntiaci fue-
,, rat baptizatus, a Lothario deficiens, ad ſuos ſe con-
,, fert; unde conrogata manu valida, Freſiam cum mul-
,, titudine adgreditur: deinde vicina Scaldis fluminis ad
,, poſtremum ingreditur. Quo occurrentibus Lothario &
,, Carolo, cum omni ſuo exercitu utramque ripam ejuſ-
,, dem fluminis obſident. *Fuldenſis*: Henaldus (a) Nord-
,, mannus, qui ſuperioribus annis iram domini ſui Horuc
,, Danorum Regis fugiens, ad Regem Ludovicum ſe con-
,, tulit, ab eo benigne ſuſceptus, baptizatus, ac fidei
,, ſacramentis imbutus eſt; quum per plures annos hono-
,, rifice inter Francos haberetur, tandem Principibus Bo-
,, realium partium & cuſtodibus Danici limitis, quaſi lu-
,, bricæ fidei & molimine proditionis cœpit eſſe ſuſpectus.
,, Unde & ab eis occiſus eſt. Habita eſt autem & Synodus
,, in civitate Magontia Metropoli Germaniæ, præſidente
,, Rabano ejuſdem urbis Archiepiſcopo cum omnibus Epiſ-
,, copis atque Abbatibus Orientalis Franciæ, Bajoariæ,
,, & Saxoniæ. Et illi quidem de abſolvendis quæſtionibus
,, Eccleſiaſtice tractatum habebant; Rex vero cum Prin-

a Godefridus Herioldi filius.

„ cipibus & Præfectis Provinciarum, publicis cauſis litibuſque componendis inſiſtens, poſtquam Synodalia eorum decreta ſuo judicio comprobavit, & Legationes Bulgarorum, Sclavorumque audivit & abſolvit, Bajoariam reverſus eſt. „

Anno 853. Bertinianus: " Carolus eundem Godefridum quibuſdam pactionibus ſibi conciliat. Cæteri Danorum uſque ad menſem Martium inibi abſque ulla formidine reſident, cuncta eo furioſius quo liberius diripiunt, cremant, atque captivant. Bulgari, ſociatis ſibi Sclavis, &, ut fertur, a noſtris muneribus invitati, adverſus Ludovicum Germaniæ Regem acriter permoventur: ſed, Domino pugnante, vincuntur. Græci vero non minus contra Ludovicum filium Lotharii Regem Italiæ concitantur propter filiam Imperatoris Conſtantinopolitani ab eo deſponſatam, ſed ad ejus nuptias venire differentem. „

XII. Danis inteſtino prælio inter ſe decertantibus, Oricus Rex ejuſque nepos Guturmus interfecti ſunt: nec de ſtirpe Regia remanſit, niſi Oricus junior puer. Uterque Oricus S. Anſcarii fautor.

Anno 854. Bertinianus: " Dani inteſtino inter ſe prælio dimicantes, adeo tridui concertatione obſtinatiſſima bacchati ſunt, ut Orico Rege & ceteris cum eo interfectis Regibus, pene omnis nobilitas interierit. *Metenſis*, & *Fuldenſis*: Nortmanni, qui continuis viginti annis Regni Francorum fines per loca navibus acceſſibilia cædibus & incendiis atque rapinis crudeliter vaſtabant, congregati de nationibus, per quas diſperſi fuerant, in patriam ſuam reverſi ſunt. Ibique inter Horuc Regem Danorum, & Guturm (*a*) filium fratris ejus, qui pulſus a Regno, Piratico more vivebat, orta contentione, ita ſe mutua cæde mactarunt, ut vulgus quidem innumerabile caderet; de ſtirpe vero Regia nonniſi unus puer remaneret: Domino Sanctorum ſuorum injurias ulciſcente, & adverſariis digna factis retribuente. „

Horicus Danorum Rex, qui dicitur anno 854. inteſtino prælio occiſus, Sanctum Anſcharium Hamburgenſem Epiſcopum, Evangelium in ſuo Regno prædicantem, multo

(*a*) Fuldenſis: *Gudurm*.

to affectu coluerat (ut inquit Rembertus in Vita S.Anſcharii cap. 41.) " Ita ut & inter ſecreta ſua, dum de negotiis Regni cum conſiliariis tractaret, ipſi liceret intereſſe, cui poſt alia vota Pater Sanctiſſimus patienter ſuggerere cœpit, ut Chriſto Domino concederet hanc benevolentiam, ut in Regno ſuo Eccleſiam fieri permitteret, ubi Sacerdos omni tempore præſens adeſſet, ut verbi divini ſemina ac Baptiſmi gratiam quibuſcumque ſuſcipere volentibus traderet. Quod ille benigniſſimo conceſſit affectu, & in portu Regni ſui ad hoc aptiſſimo & huic regioni proximo, Sleaſwich vocato, ubi ex omni parte conventus fiebat negotiatorum, Eccleſiam illic fabricare permiſit, tribuens locum, in quo Presbyter maneret; data pariter licentia, ut quicumque vellet, in Regno ſuo fieret Chriſtianus. " Horico Seniori ſucceſſit Rex Horicus junior, is nempe *puer, qui ſolus de ſtirpe Regia in illo Danorum inteſtino prælio ſuperfuiſſe* narratur: de quo hæc idem Rembertus: " Inter hæc divino contigit judicio, ut Piratarum infeſtatione memoratus Oricus Rex quibuſdam propinquis hujus, Regnum ipſius invadere conantibus, bello interemptus ſit: cum quo pariter omnes primores terræ illius, qui olim domno Epiſcopo familiares & amici habebantur, gladio interierunt. Deinde poſt hæc conſtituto in Regno ipſius Horico juniore, quidam illorum, quos ille tunc habebat Principes, & minus antea domno cogniti fuerant Epiſcopo, perſuadere ei cœperunt, ut Eccleſia apud eos facta deſtrueretur, & religio Chriſtianitatis ibi cœpta annihilaretur, dicentes, Deos ſuos ſibi iratos eſſe, & quod ideo eos tanta mala invenerint, quia alterius & incogniti Dei culturam apud ſe receperint. Qua de re Comes præfati vici, Sleaſwich videlicet, nomine Hovi, qui huic religioni præcipue reſiſtebat, & ad deſtruendam Chriſtianitatis fidem Regem provocabat, Eccleſiam ibi factam juſſit claudi, religionemque Chriſtianitatis ibidem prohibuit obſervari. Unde & Presbyter, qui ibi aderat, perſecutionis acerbitate compulſus inde receſſit.

" Sed

„ ſed Anſcharius ad divinum auxilium confugiens, certior eſt factus, quod Religio ibi cœpta non periret: „ indeque Rex præfatum Comitem de illo vico expulit, „ & legatum ad Epiſcopum direxit, eique mandavit, ut „ Sacerdotem ſuum ad propriam remitteret Eccleſiam: „ non ſe minus, quam ſeniorem Horicum, Chriſti velle „ gratiam promereri, domnique Epiſcopi amicitiam obtinere. Anſcharius igitur ad Regis præſentiam veniens, „ tanta gratia a juniore ſuſceptus eſt Horico, ut ſtatim ei „ omnia, quæ Anteceſſor ſuus, cauſa Chriſtianitatis, in „ Regno ſuo fieri permiſerat, ipſe quoque concederet. „ Inſuper etiam, quod antea nefandum Paganis videbatur, ut Clocca (*campana*) haberetur in Eccleſia, conſenſit.

XIII. Lothario Imperatore mortuo, filii ejus Ludovicus Italiam cum Imperio accepit; Lotharius Lotharingiam; Carolus Provinciam. Ludovicus Germaniæ Rex adverſus Raſticem Moraviæ Regem bellum geſſit. Roricus & Godefridus Dani, Doreſtadum cum magna Friſiæ parte occupant.

Anno 855. Lotharius Imperator, Ludovici Germaniæ Regis frater, IV. Kal. Octob. deceſſit, quum ex tribus filiis, Ludovicum (hujus nominis II) Imperatorem renunciaſſet: Lothario eam partem Galliæ, quæ ab illo Lotharingia dicta eſt, dediſſet: & Carolo natu minimo Provinciam conceſſiſſet. Eodem anno 855. " Bertinianus: „ Lotharius totam Friſiam filio ſuo Lothario donat. Vnde „ Roric & Godefridus patriam, ideſt, Daniam, repedant, ſpe poteſtatis Regiæ nanciſcendæ. *Et mox*. Roric, & Godefridus, nequaquam arridentibus ſibi ſucceſſibus, Doreſtado ſe continent, & parte maxima „ Freſiæ potiuntur. Ludovicus Rex Germanorum, crebris Sclavorum defectionibus agitatur. *Fuldenſis*: Rex „ Ludovicus in Sclavos Margenſes contra Raſticen Ducem „ eorum, ſibi rebellantem, parum proſpere ducto exercitu, ſine victoria rediit, malens adverſarium firmiſſimo, ut fertur, vallo munitum ad tempus dimittere, „ quam militum ſuorum periculoſe pugnando damna ſuſtinere. Magnam tamen provinciæ partem prædis & incendiis vaſtavit exercitus, nec parvam multitudinem „ hoſtium caſtra Regis invadere cupientium uſque ad internecionem delevit: quia poſt reditum Regis, Raſtices cum ſuis inſecutus, plurima trans Danubium finitimorum loca prædando vaſtavit. *Hildensheimenſis*: Ludovi-

„ dovicus Rex cum magno exercitu perrexit contra Ratzidum Regem Marahenſium . „ Quæ verba etiam apud Marianum Scotum & Lambertum Schafnaburgenſem ad ann. 855. leguntur .

XIV. Ludovicus Rex Germaniæ in expeditione Sclavorum detentus, magnam ſui exercitus partem amittit . Per Sorabos idem Ludovicus iter faciens, Ducibus eorum ſibi conjunctis, Dalmatas victos, tributarios facit. Inde per Boëmannos tranſiens, nonnullos ex eorum Ducibus in deditionem accepit .

Anno 856. Bertinianus : " Piratæ Danorum XIV. Kal. „ Maji civitatem Aurelianis adeunt , prædantur , & im„ pune revertuntur . Comites pene omnes ex Regno Karli „ Regis cum Aquitanis adverſus eum conjurant , invitan„ tes Ludovicum Regem Germanorum ad ſuum conſilium „ perficiendum . Quo diutius in expeditione Sclavorum „ detento , ubi & magnam partem ſui exercitus amiſit , iſti „ moras illius non ferentes , Karlo Regi reconciliantur . „ *Fuldenſis* : menſe Auguſto Ludovicus Rex collecto exer„ citu , per Sorabos iter faciens , Ducibus eorum ſibi „ conjunctis , Dalmatas prælio ſuperat , acceptiſque „ obſidibus , tributarios fecit . Inde per Boëmanos tran„ ſiens , nonnullos ex eorum Ducibus in deditionem ac„ cepit : in qua expeditione perierunt Comites Bardo , & „ Erpf cum aliis quampluribus . „ Quinam hi Dalmatæ ſint , quos Ludovicus Rex prælio ſuperavit , Farlatus , Vir clariſſimus , Tom. 1. Illyrici ſacri a pag. 18. exponit, contendens , non eſſe illos Dalmatiæ Illyricæ , ſed Germanicæ incolas . Quam tamen ejus opinionem , ubi de Dalmatis ſermo erit , ad examen revocabimus .

XV. Roricus conſentiente Orico Daniæ Rege , partem Regni accepit . Ludovicus per Comites ſuos civitatem Vvizrachi Ducis , ejecto inde Sclavitego filio, occupat, fratremque ejus Ducem creet. Sclavitagus ad Raſticem Moraviæ Regem confugit . Cziſtiborus Soreborum Dux Ludovico fidiſſimus creditur . Ludovicus tres exercitus mittit : unum in Slavos Moreves contra Raſticem : alterum in Oborrtos & Linones : tertium in Sorabos , qui cæſo Cziſtiboro , defecerant .

Anno 857. Metenſis : *Roruc Normannus , qui præerat Doreſtado , cum conſenſu domini ſui Lotharii Regis junioris , claſſem duxit in fines Danorum , & conſentiente Horico (a) Danorum Rege , partem Regni , quæ eſt inter mare & Egidoram , cum Sociis ſuis poſſedit* . Ita & Fuldenſis : additque : *Oſgarius Epiſcopus & Hruodolſus Comes Palatii , & Hernuſtus filius Hernuſti Ducis , cum hominibus ſuis & Boemanis miſſi , civitatem* Wiztrachi *Ducis ab annis multis rebellem occupaverunt , expulſo ab ea Scla-*

---

a Anno 854. dicitur orta inter Horuc Regem Denorum ejuſque nepotem contentione de ſtirpe Regie nonnisi unum puerum remanſiſſe . Is puer ed Regnum evectus , *Horich* & ipſe vocatus , & *junior* in vita S. Anſcharii dicitur . Vide quæ ad enn. 858. a num. 2. ad 6. obſervat Pagius de geſtis S. Anſcharii, deque Bremenſi Epiſcopatu cum Hamburgenſi anno 849. unito , deque iſta unione anno 857. in conventu Vvormatienſi & in Synodo Moguntina confirmata .

Sclavitago filio Ducis Wiztrachi , qui tyrannidem tunc in ea exercebat . Quo per fugam lapſo , & ad Raſticem ſe conferente , frater ejus , qui ab eo patria pulſus apud Cziztiborum Sorabum exulabat , ad Regem fideliter veniens , loco fratris Dux conſtituitur .

Anno 858. Hildensheimenſis : *Ludovicus filium ſuum Ludovicum cum magno exercitu miſit ad Abotritos .* Metenſis : *Ludovicus reverſus in Franconafurt , quum multa de utilitate Regni cum ſuis tractaret atque diſponeret , tunc etiam decrevit tres exercitus in diverſos Regni ſui terminos eſſe mittendos ; unum quidem per Karlomannum filium ſuum ſeniorem in Sclavos Margenſes contra Raſticen : alterum vero per Ludovicum filium ſuum minorem in Obodritos & Linones : tertium autem per Tracholfum in Sorabos dicto obedire nolentes .* Et poſt pauca . *Interea nunciatum eſt ei , in Oriente rem publicam Sorabici limitis eſſe turbatam , eo quod Sorabi , Duce ejus Cziztiboro nomine , ſibi fideliſſimo , inſidioſe perempto , defectionem meditarentur , ac per hoc ille quidem ad comprimendam ſeditionem exortam , in Regnum ſuum , quanta potuit celeritate , regreſſus eſt .*

XVI.

Ruſſi , gens Scythica , a Ponto egreſſi , in urbem Byzantinam irruunt . Danorum graſſationes in Regnum Francorum . Pax ſancita inter Ludovicum , Carolum & Lotharium.

Anno 859. Sub Michaële Balbo Imperatore , contigit Ruſſorum in urbem Conſtantinopolitanam irruptio : quam Baronius & Pagius ad annum 861. perperam conferunt . Eam Nicetas in vita S. Ignatii ſic deſcribit: " Interea athle„ ta Chriſti (*Ignatius*) ſemeſtri Mytilenæ exacto, ab exilio
„ redit ; redit autem voluntate Principum, reſtitutus non
„ tam honori , quieti , & ſolatio , quam ignominiæ , ve„ xationi , majorique afflictioni . Quanta enim inimicus in
„ eo malignatus ſit , quantaſque ærumnas Nicetas regiæ
„ claſſis Drungarius , cognomento Oryphas , quantas item
„ contumelias , Photio & Principibus gratificaturus , irro„ garit ; quæ dicendi vis , & copia aſſequatur ? Quis ſpe„ ciatim hoſtium impetum , convicia , verbera , tormen„ ta , quæ ille in familiares illius parricida manu exprom„ pſit, exponat ? Acceſſit & alia ſancto viro calamitas . Ea
„ tempeſtate Rhoſſi (ſive Ruſſi) gens Scytharum, a Pon„ to Euxino ad Stenum excurſione facta , omnem circum
„ regionem , omniaque Monaſteria deprædati ſunt : Inſu-

„ la-

„ lanorum quoque Byzantinorum, per populationem, „ vaſa omnia diripuerunt, argentum abſtulerunt, captos „ ad unum omnes trucidarunt. Ipſius denique Patriarchæ „ Cœnobium barbarico furore & impetu incurſantes, to- „ ta ſupellectili direpta ſpoliarunt, duoſque ſupra vigin- „ ti ex familiariſſimis in uno navigii trochantere omnes ſe- „ curibus fruſtatim conciderunt. „ Zonaræ, Cedreni, Simeonis Logothetæ, & Anonymi continuatoris Conſtantini Porphyrogeniti verba de eadem Ruſſorum excurſione recitavi Tom. 1. pag. 241. & ſeqq. ubi demonſtravi, eam non anno 861. ſed 859. accidiſſe. Quia vero idem Anonymus Porphyrogeniti Continuator poſt narratam Ruſſorum invaſionem ſubjungit: " Verum hi quidem abunde Dei „ ira exſaturati, Photio qui ad Eccleſiæ gubernacula ſe- „ debat, Deum exorante, Urbique propitium reddente, „ domum rediere, nec multo poſt, Legatis in Urbem „ miſſis, Divinum efflagitantes Baptiſmum, etiam impe- „ travere: „ quia, inquam, ex his Anonymi verbis Pagius ad ann. 861. num. 7. 8. & 9. contendit, Ruſſos eodem anno 861. fidem Chriſtianam recepiſſe; eodem Tom. 1. pag. 251. ego oſtendi, ea verba, *non multo poſt*, ad tempora Baſilii Macedonis, & ſignate ad illud temporis ſpatium, quod inter annum exeuntem 867. & ineuntem 877. excurrit (quum ſcilicet Ignatius ſedi ſuæ reſtitutus Conſtantinopolitanam regebat Eccleſiam) eſſe omnino referenda; aut ſaltem, (ſi Pagio & Baronio permittendum ſit Ruſſos anno 861. ſive 863. Chriſtiana ſacra fuiſſe amplexos,) dicendum eſt cum eod. Pagio ad ann. 861. n. 9. " Ruthenos qui hoc tempore [*anno ſcil. uti ipſe conten-* „ *dit* 861.] Chriſto nomen dedere, ad idololatriam anno „ incerto rediiſſe; quam exeunte ſæculo ſequenti, quan- „ do rurſus Evangelium Ruſſis annunciatum & Baptiſma „ ab iis ſuſceptum, nulli in Ruſſia Chriſtiani inventi fuerint „ præter Helenam Reginam: „ aut cum eodem Pagio ad ann. 876. n. 19. concludendum, Ruſſos qui ſub Michaële & Photio fidem ſuſceperunt, diverſos eſſe ab illis Ruſſis, qui temporibus Baſilii, & Ignatii poſt ann. 867. Chriſtianæ Religionis ſacra amplexi ſunt. Sed de his poſtea ſermo erit.

Digitized by Google

Bertinianus . Anno 859. " Dani loca ultra Scaldem populantur . Vulgus promiſcuum inter Sequanam & Ligerim inter ſe conjurans , adverſus Danos in Sequana conſiſtentes fortiter reſiſtit . Sed quia incaute ſuſcepta eſt eorum conjuratio , a potentioribus noſtris facile interficiuntur . „ Alias Danorum graſſationes , ex eodem Bertiniano Pagius deſcribit ad hunc ann. 859 860. 861. 864. & 865. " Hildesheimenſis : Ludovicus . Carolus , & Lotharius cum juramento invicem pacem firmaverunt . „ Quod & Lambertus Schafnaburgenſis ad hunc annum habet . At Bertinianus ad annum 860. & 862. vide Pagium ann. 862. num. 8.

XVII. Ludovicus Rex Germaniæ bellum gerit adverſus Sclavorum gentes , ac præſertim adverſus Raſticem Moraviæ Regem.

Anno 860. Regino in Chron. " Ludovicus ſenior , frater Lotharii Imperatoris , plurima bella geſſit adverſus Sclavorum gentes: ſiquidem Marahenſium Regna ingreſſus , armis cuncta perdomuit , capto eorum principe , nomine Raſtitz , cui etiam propter violata fœdera oculos erui juſſit . *Metenſis* . Ludovicus frater Lotharii Imperatoris plurima bella ſtrenuiſſima geſſit adverſus Sclavorum gentes . „ Hæc a Sigeberto Gemblacenſi ad annum 859. conferuntur his verbis : " Ludovicus Rex Germaniæ plurima prælia contra Sclavos ſtrenue geſſit , & capto principe eorum , Raſtix nomine , propter violatam fidem oculos ei eruere juſſit . „ Verum hoc quod de Raſtitzio narratur , non ante annum 870. contigit , uti mox demonſtrabitur .

XVIII. Carolomannus , Ludovici Germaniæ Regis filius cum Raſtice Moravorum & Vvinidorum Rege fœderatur : Ducibus Pannonici & Carantani limitis expulſis , Marcham per ſuos ordinat . Ludovicus pater honoribus privat Comites , & Baldericum Albericum , tanquam Carolomanno filio rebellanti adhærentes .

Anno 861. Bertinianus : " Carolomannus Ludovici Germaniæ Regis filius cum Reſticio Winidorum Regulo fœderatur , a patre deficit , & Reſticii auxilio , magnam ſibi partem uſque ad Hin fluvium paterni Regni præſumit. Ludovicus Socerum Carolomanni filii ſui Arnoſtum honoribus privat,& nepotes ipſius a Regno ſuo expellit. Qui cum Adalardo Irmintrudes Reginæ avunculo ; ſuo autem propinquo , quem Lotharius patrui ſui Ludovici factione inſequebatur , Karolum adeunt , a quo benigne ſuſcipiuntur , & honoribus conſolantur . Sed & pene omnes , qui nuper a Carolo ad Ludovicum defecerant , ad Carolum revertuntur , & ab eo familiaritate & ho-

„ nori-

,, noribus redonantur. *Hildensheimenſis*: Udo, Ernuſt, ,, Bernger Comites, & Walda Abbas honoribus depoſiti. ,, *Lambertus*. Udo, Ernoſt, Berngerus Comites, & ,, Waldo Abbas Fuldenſis honoribus depoſiti ſunt. Thio- ,, do Abbas ſucceſſit. *Fuldenſis*: Ludovicus Rex conven- ,, tum habuit in Reganesburg tertia ſeptimana poſt ſan- ,, ctum Paſcha, in quo Ernuſtum ſummatem inter omnes ,, optimates ſuos quaſi infidelitatis reum, publicis priva- ,, vit honoribus. Utonem quoque & Berngarium fratrem ,, ejus, atque Sigihardum Comites, Waldonemque Ab- ,, batem, unacum aliis nonnullis, quaſi complices infide- ,, litatis ejus, exauctoravit: e quibus Uto & Berngarius ,, cum Waldone fratre ſuo in Gallias ad Carolum Regem ,, ſeceſſerunt, ceteris intra patriam in proprietate ſua re- ,, manentibus. Carolomannus quoque filiorum Regis ma- ,, ximus res novas molitus eſt. Expulit enim Duces, qui- ,, bus cuſtodia commiſſa erat Pannonici limitis, & Ca- ,, rantani, atque per ſuos Marcham ordinavit. Quod Re- ,, gis animum rebellionem ſuſpicantis non parum com- ,, movit ,,. Pagius ad hunc annum 861. num. 7. confert Ruſſorum ad Chriſti fidem converſionem: item num. 10. Bulgarorum. Sed de his alibi diſſeram.

XIX. Carolomannus cũ Ludovico Rege patre reconciliatur. Ludovicus Rex ducto in Obotritos exercitu, Ducem eorum Tabamvizilem, qui rebellaverat, dicto obedire compellit. Dani magnam Regni Ludovici partem prædantur. Ungri tunc primum viſi, Regnum ejuſdem populantur.

Anno 862. Fuldenſis: " Carolomannus per ſacra- ,, menta pacis & ſecuritatis ſuæ, Reganesburgum venit, ,, & reddita ratione, convicit adverſarios, patrique ſuo ,, reconciliatur; juramento confirmans, ne contra ejus ,, juſtam poteſtatem quicquam deinceps mente malitioſa ,, machinaretur: & Carolomannus quidem ad ſua cum ,, pace revertitur. Rex vero Magontiam profectus, oc- ,, currentem ſibi ad colloquium nepotem ſuſcepit Lotha- ,, rium Regem. Eodem quoque anno Rex ducto in ,, Obotritos exercitu, Ducem eorum Tabamvizilem ,, rebellantem, dicto obedire, & filium ſuum cum aliis ,, obſidibus dare coëgit. *Annaliſta Bertinianus*. Ca- ,, rolomannus Ludovici Regis Germaniæ filius, con- ,, ceſſa ſibi a patre Regni portione, quam pridem in- ,, vaſerat, & dato ſacramento, ne amplius inde ſine ,, patris voluntate excederet, cum patre pacificatur,

 ,, Lu-

„ Ludovicus Rex Germaniæ Lotharium nepotem ſuum „ apud Moguntiam accerſens, petit, ut cum eo contra „ Winidos qui appellantur, adverſus Regulum (*deeſt* „ *aliquid, ſed ex Fuldenſi ſuppletur:*) cum apparatu „ hoſtili pergat. Qui ſe primum iturum promiſit, poſt „ vero a promiſſione ſua defecit. Ludovicus autem, reli„ cto in patria filio Carolo, quoniam nuper uxorem Er„ cangarii Comitis filiam duxerat, Ludovicum filium „ ſuum ducens, aggreditur Winidos. Unde am iſſis qui„ buſdam primoribus, & nihil proſpere geſtis, ſub ob„ tentu obſidum, ad Francofurd Palatium ſuper Mœ„ num fluvium (*regreditur*:) Dani magnam Regni „ ejus partem cæde & igne vaſtantes prædantur. Sed & „ hoſtes antea illis populis inexperti, qui Ungri vocan„ tur, Regnum ejuſdem populantur. Ludovicus ad re„ conciliandum, vel ad reſiſtendum filio ſuo, qui auxi„ liante Refeccio (al. Reſticio) Winidorum Regulo, „ contra patrem rebellaverat, Bajoariam petiit „. *Ungarorum* hic prima mentio. Sed quia *Hungari* ejuſdem ſunt cum *Hunnis* originis, iidemque a ſcriptoribus ſæpe confunduntur cum *Hunnis Aburibus*; idcirco *Ungri*, qui hoc anno 862. Regnum Ludovici invaſiſſe perhibentur; aut uni iidemque cum Abaribus Hunnis dicendi ſunt, qui ſedes in Pannonia adhuc habebant; aut potius affirmandum, illos jam ante annum 862. a Scythicis Regnis, & a paludibus, quas Tanais ſua refuſione in immenſum porrigit, profectos, & a Pacinacis ejectos, ad Pannoniorum & Abarum ſolitudines ſeſe contuliſſe. Id enim ſibi vult, quod Metenſis ad ann. 899. de illis refert, poſtquam Pannoniam invaſerant: *Deinde Karantanorum, Marahenſium & Bulgarum fines crebris impulſionum infeſtationibus irrumpunt*: nimirum ab anno Chr. 862. uti habet Bertinianus.

XX.
Ludovicus per legatum a Carolo Rege fratre petit, ut Carolomannum a Raſtice deſertum, & a ſe fugatum non recipiat. Idem Carolomannus, qui Carantanis præerat, proditione Gundachari Comitis, ab exercitu deſertus, per juramenta Principum ad patrem venit, & cum eo reconciliatur. Ludovicus Gundacharum Carantanis præficit. Dani Regnum Ludovici infeſtant, & conſilio Rotici, ad propria redeunt.

Anno 863. *Bertinianus*. Carolus Rex miſſum fratris ſui Ludovici, nomine Blitgarium, accipit, petentem, ut Carolomannum filium ejus a Reſtitio Vvinido deſertum, & a ſe fugatum, ſi ad illum venerit, non recipiat. Quem non longo poſt tempore deceptum, atque deſertum a ſuis, ſub

ſub conditione ſacramenti pater ſuus Ludovicus recepit, & ſecum in libera cuſtodia tenuit. *Annaliſta Fuldenſis*: Carolomannus filius Regis, qui prælatus erat Carantanis, tam multis criminibus & tam magnis apud patrem abſens accuſatus eſt, ut merito reus majeſtatis haberi debuiſſet, ſi ea quæ in eum dicta ſunt, ab accuſatoribus probari potuiſſent. Quod Regis animum adeo commovit, ut per ſeipſum coram frequentia populi ſui proteſtatus ſit, Carolomannum filium ſuum ab eo tempore & deinceps, donec ipſe viveret & regnaret, ſua voluntate publicis honoribus nunquam eſſe potiturum. Quo audito, Carolomannus ab itinere quod ad Palatium ire cœperat, perterritus in Carinthiam ſe recepit, ibi tutari apud ſuos, quos ſibi fideles arbitratus eſt, volens, donec patris ira quieſceret, & ipſe per internuncios veraces, ſibi fallaciter objecta purgaret. Interea Rex collecto exercitu, ſpecie quidem quaſi Raſticem Margenſium Sclavorum Ducem cum auxilio Bulgarorum ab Oriente venientium, ut fama fuit, domaturus; re autem vera ad Carantanos filium expugnaturus acceſſit: qui revera ad id temporis defenderet, niſi proditione Gundachari Comitis ſui deciperetur incautus: qui totum pene robur exercitus ſecum habens, quaſi vada fluminis Hin hoſtibus prohibiturus, cum omnibus copiis tranſivit ad Regem, & prælatus eſt Carantanis, ſicut ei prius occulte promiſſum eſt, ſi dominum ſuum fraude decepiſſet. Et hic quidem Præfecturæ dignitatem hoc modo promeruit. Carolomannus vero per juramenta Principum venit ad patrem, & de objectis ſibi criminibus ſecurus, quia innocens erat, & teſtimonio conſcientiæ fretus, lætum ſe per omnia exhibebat atque jucundum. Bertinianus. *Dani menſe Januario per Rhenum verſus Coloniam navigio aſcendunt: & depopulato emporio, quod Doreſtatus dicitur, ſed & villa Nonmodoca, ad quam Friſii confugerant, occiſis multis Friſionum negotiatoribus & capta non modica populi multitudine, uſque ad quandam inſulam ſecus caſtellum Noveſium perveniunt. Quibus Lotharius ex una parte Rheni cum ſuis, & Saxones ex alia parte aggrediuntur, & uſque circa Kalendas Aprilis* con-

Digitized by Google

confident. Unde iidem Dani, conſilio Rorici, ſicut acceſſerant, & recedunt. Ad hunc annum 863. Pagius collocat ſacram expeditionem SS. Cyrilli & Methodii in Moraviam, evocante Raſtice Rege: de qua alibi ſermo erit.

XXI. Ludovicus Germaniæ Rex Ratzicem Moraviæ Regem ſubjugat. Carolomanno filio ſuo Marchas ablatas reſtituit. Bulgarorum Regi, qui ſe Chriſtianum fieri velle promiſerat, hoſtiliter obviam pergit. S. Anſcharius anno 865. moritur.

Anno 864. Bertinianus. *Ludovicus Rex Germaniæ hoſtiliter obviam Bulgarorum Cagano nomine, qui Chriſtianum ſe fieri velle promiſerat, pergit: inde ad componendam Vvinidorum Marcham, ſi ſe proſperari viderit, perrecturus. Nortmanni, qui cum plurimo navigio in Flandris appulerunt, reſiſtentibus ſibi pagenſibus, per Rhenum aſcendunt, & vicina Regnorum Lotharii ac Ludovici ex utraque ripa ipſius fluminis vaſtant. Carolomannus filius Ludovici Regis Germaniæ, qui in libera cuſtodia cum patre ſuo morabatur, ſimulans ſe venatum ire, a patre fuga labitur, & Marchas ſibi a genitore ablatas, cum conſenſu Marchionum, qui eum tradiderant, reoccupat. Quem Pater e veſtigio inſequens, ſub firmitatum conditionem ad ſe venire facit, & ei honores donat. Indeque revertens verſus Palatium Franconofurd, in quodam broilo cervum venans, de caballo cadit, & coſtis læſus in vicino Monaſterio jacet, filiumque ſuum Ludovicum ad prædictum Palatium, ubi uxor ejus erat, præmittit; ipſeque in brevi convaleſcens ſubſequitur.* Fuldenſis: *Ludovicus Rex in menſe Auguſto ultra Danubium cum manu valida profectus, Raſticen in quadam civitate, quæ lingua gentis illius* Dovvina, *ideſt puella, dicitur, obſedit. At ille quum Regiis copiis congredi non auderet, atque loca ſibi effugiendi denegata cerneret, obſides quales & quantos Rex præcepit, neceſſitate coactus dedit; inſuper cum univerſis optimatibus ſuis, fidem ſe cunctis diebus Regi ſervaturum eſſe juramento firmavit, licet illud minime ſervaverit.* Hildensheimenſis. *Ludovicus Rex Francorum Ratzidum Regem Marahenſium ſibi ſubegit.* Hoc ipſum iisdem verbis Lambertus Schafnaburgenſis ad ann. 864.

Anno 865. Bertinianus: *De Tuſiaco Ludovicus Bajoariam pergens, Carolomanno filio ſuo ſibi familiariter reconciliato, Marchas quas ab eo tulerat, reddidit.* Rembertus S. Anſcharii ſeptentrionalium regionum Apoſtoli diſci-

diſcipulus ac in Epiſcopatu Hamburgenſi Bremenſique ſucceſſor, in ejuſdem Anſcharii vita ſcribit, ſanctum Præſulem poſtridie Purificationis B. Mariæ Virginis animam Deo reddidiſſe. Annum Rembertus non notavit, ſed Adamus Bremenſis lib. I. cap. 31. hæc habet: *Obiit anno Domini 865. Indict. 13. qui eſt Luthovvici ſecundi* XXVI. Verum (ut obſervat Pagius) loco, anno XXVI., legendum, XXV. Ludovicus enim Germaniæ Rex menſe Febr. hujus anni verſabatur tantum in anno XXV. Regni ſui. Ad hunc annum 865. pertinet, quod Bertinianus ſcribit de Rege Bulgarorum, Chriſtianam fidem ſuſcipere volente; id quod poſtea factum ab ipſo ait anno 866. qua de re mox diſſeram.

XXII. Ludovicus, Ludovici Regis Germaniæ filius, contra patrem concitat Raſticem Moraviæ Regem, volens Marcham Carolomanno fratri traditam invadere. Carolomannus, cui ea Marcha conceſſa fuerat, Raſticem intra ſua ſe cohibere motis armis compellit. Ludovicus, interventu Liutberti Epiſc. Moguntini, cum patre reconciliatur.

Anno 866. Bertinianus. *Ludovicus Germaniæ Rex contra quoſdam ſuorum in Marcha adverſus Vvinides rebellionem molientes, hoſtem movit: quem præcedens in brevi, rebellantes ſine conflictu domat, & hoſtem nondum pene promotum, domi reſidere mandavit.* Eo reſpicere videtur Bertinianus, quod ſupra ex Hildensheimenſi ad ann. 864. de Ratzido Moraviæ Rege, atque ex eodem Bertiniano, de componenda Vvinidorum Marcha, dictum eſt. Pergit Bertinianus. *Ludovicus Ludovici Germaniæ Regis filius, conſilio Vvarnarii, ac ceterorum, a quibus pater ejus propter infidelitatem ſuam honores tulit, rixam contra patrem ſuum movit, concitato Reſtitio Vvinido, ut uſque ad Bajovvariam prædatum veniat, quatenus in illis partibus occupato patre, vel ejus fidelibus, ipſe liberius quod cœpit, proſequi poſſet. Sed Carolomanno, cui pater ipſam Marcham dederat, ſatagente, Reſtitius intra ſua ſe cohibet. Ludovicus autem Senior in talibus experientia prudens, concite ad Palatium, quod Franconofurd dicitur, properat: & datis mutuo dextris, eundem filium ſuum ad ſe venire facit, ipſaque dexteræ uſque* V. *Kalendas Novembris manere invicem promittunt. Sicque Ludovicus ad confirmandam Marcham ſuam contra Reſtitium velociter repedat, reverſurus octavo die ante Miſſam S. Martini obviam fratri ſuo Carolo, & nepoti ſuo Lothario ſecus civitatem Metenſium.* Annaliſta Fuldenſis *Raſtizen* pro *Raſtitio* habet

ad

Digitized by Google

ad eundem annum 866. in hæc verba. " Vverinharius Co-
„ mes, unus ex Primoribus Francorum, apud Ludovicum
„ Regem accuſatus, quaſi Raſtizen ſuis hortationibus ad-
„ verſus eum incitaſſet, publicis privatus eſt honoribus.
„ Ludovicus Ludovici Regis filius, graviter ferens quod
„ Rex quædam beneficia illi ſubtrahens, Karlmanno fratri
„ ſuo reddidit, patri moleſtus efficitur. Nam nunciis per
„ univerſam Thuringiam & Saxoniam miſſis, quos potuit ad
„ ſe traxit, & contra Regem rebellare diſpoſuit. Vverin-
„ harium quoque, Utonem, & Berengarium, Comites a
„ patre ſuo depoſitos, ſuis adhibens conſiliis, priſtinam eis
„ dignitatem ſe reſtituturum eſſe promiſit. Sed & Heinri-
„ cum Principem ſuæ militiæ ad Raſtizen deſtinavit, obni-
„ xe poſtulans, ut ejuſdem conſpirationis fautor fieri non
„ recuſaret. Quo comperto, Rex Karlmannum ad tuitio-
„ nem Bajoariæ derelinquens, concitus venit in Franciam,
„ & a ſuis undique confluentibus honorifice apud Francono-
„ furt ſuſceptus eſt, & conſpirationem exortam facile ex-
„ tinxit. Tanta etenim multitudo fidelium ſuorum cum eo
„ tunc aderat, ut pars adverſa, niſi timor filii ejus adfuiſ-
„ ſet, ligari proculdubio potuiſſet. Interea Guntpoldus
„ quidem de ſatellitibus Karlmanni contra dominum ſuum
„ volens dimicare, amiſſo exercitu, vix vivus evaſit. Lu-
„ dovicus vero, mediante Luitberto Archiepiſcopo (*Mo-*
„ *guntino*) aliiſque pacis amatoribus, menſe Novembri
„ apud Vvormatiam patri ſuo reconciliatur. „

XXIII. Rex Bulgarorum anno 865. Chriſtianus fit: & anno 866. Legati ejus ad Nicolaum Papam Romam veniunt. Ludovicus Rex Germaniæ cum Rege Bulgarorum fœdere conjunctus.

Eodem anno 866. Bertinianus: " Rex Bulgarorum
„ qui præcedente anno, Deo inſpirante, & ſignis atque
„ afflictionibus in populo Regni ſui monente, Chriſtia-
„ nus fieri meditatus fuerat, ſacrum Baptiſma ſuſcepit.
„ Quod Proceres ſui moleſte ferentes, concitaverunt po-
„ pulum adverſus eum, ut illum interficerent. Quotquot
„ igitur fuerunt intra decem Comitatus, adunaverunt ſe
„ circa Palatium ejus. Ille vero, invocato Chriſti no-
„ mine, cum quadraginta tantum octo hominibus, qui
„ erga Chriſtianam devotionem ferventes ſibi remanſe-
„ rant, profectus eſt contra omnem illam multitudinem:
„ & mox ut portas civitatis exiit, apparuerunt eis & his
„ qui

Digitized by Google

„ qui cum eo erant, ſeptem Clerici, & unuſquiſque eorum tenebat cereum ardentem in manu ſua; ſicque præcedebant Regem, & illos qui cum eo erant. Eis vero, qui contra eum inſurrexerant; viſum erat, quod magna villa ardens ſuper eos caderet, & equi eorum, qui cum Rege erant, ſicut contrariis videbatur, erecti incedebant, & cum anterioribus pedibus eos percutiebant. Tantuſque timor eos apprehendit, ut nec ad fugiendum, nec ad defendendum ſe præpararent, ſed proſtrati ſolo ſe movere nequibant. Rex autem ex Proceribus, qui populum maxime adverſus eum incitaverunt, interfecit numero quinquaginta duos. Reliquum autem populum inlæſum abire permiſit: & mittens ad Ludovicum Regem Germaniæ, qui ei fœdere pacis conjunctus erat, Epiſcopum & Presbyteros poſtulavit, & ab eo miſſos cum debita veneratione ſuſcepit. Ludovicus autem ad Carolum fratrem ſuum mittens, in miniſterium Clericorum apud fratrem ſuum vaſa ſacrata ſacraſque veſtes, ac libros petiit. Unde Carolus ab Epiſcopis Regni ſui non parvam ſummam accipiens, ei ad dirigendum Regi Bulgarorum, Rex filium ſuum, & plures ex Proceribus Regni ſui Romam direxit: & arma, quibus indutus fuerat, quando in Chriſti nomine de ſuis adverſariis triumphavit, cum aliis donis Sancto Petro tranſmiſit, & plures quæſtiones de Sacramentis fidei conſulendo, Nicolao Papæ direxit, & Epiſcopos atque Presbyteros mitti ab eo ſibi popoſcit: quod & obtinuit. Ludovicus vero Italiæ Imperator hoc audiens, ad Nicolaum Papam miſit, jubens ut arma & alia quæ Rex Bulgarorum Sancto Petro miſerat, ei dirigeret. De quibus quædam Nicolaus Papa per Arſenium ei conſiſtenti in partibus Beneventanis tranſmiſit, & de quibuſdam excuſationem mandavit. „ Hoc ipſum de Bulgaris Annaliſta Fuldenſis ad eundem ann. 866. " Legati Bulgarum, Radeſponam ad Regem venerunt, dicentes, Regem illorum cum populo non modico ad Chriſtum eſſe converſum; ſimulque petentes, ut Rex idoneos prædicatores „ Chri-

„ Chriſtianæ religionis ad eos mittere non differret. „

Hanc Legationem Sigebertus ad ann. 865. refert, inquiens: " Rex Bulgarorum ad Chriſtianiſmum cum ſua „ gente converſus, miſſis ad eum a Sede Apoſtolica ſa- „ cri Ordinis miniſtris, acceptis etiam a Rege Ludovico „ ſubſidiis, adeo in fide ſolidatur, ut non multo poſt filio „ majore in Regnum ordinato, ipſe abrenuncians ſæculo „ Monachus factus ſit. Sed quum filius ejus juveniliter „ agens, ad gentilitatis cultum vellet redire, militiæ „ cingulo & cultu regio reſumpto, filium perſecutus cepit, „ & oculis ejus effoſſis, eum in carcerem truſit; & filio „ juniore in Regnum locato, ſacrum habitum recepit, & „ in eo uſque ad finem vitæ perſeveravit. „ At quæ Sigebertus & Annaliſtæ Fuldenſis & Bertinianus uno tenore hic de Bulgarorum Rege ac gente narrant, non dubium quin ad plures annos pertineant, quemadmodum ſuo loco oſtendam, ubi de Bulgaris eorumque ad Chriſti fidem converſionis anno ſermo erit.

Ceterum anno 866. Legatos Regis jam ad Chriſtum converſi, Romam adveniſſe, teſtatur vivens & præſens Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Sancti Nicolai primi Papæ his verbis: " Interea meritis beatiſſimi „ hujus in orbe prorſus exuberantibus, operante po- „ tentia ſummi Dei, qui quotidie ſuos per famulos ſigna „ & mirabilia magna facit, Rex Bulgarorum Chriſtiani- „ tatis & fidei ſanctæ doctrinas agnoſcens, meruit bapti- „ zari, & qui prius creaturæ ſerviens ſæviebat crudelita- „ te, hujus temporibus creatori colla ſubmittens, am- „ pla cœpit religione jubere, magnaque uſus eſt pieta- „ te. Tunc ad hunc Catholicum & vere Præſulem ortho- „ doxum Legatos ſuos menſe (*a*) Auguſto, Indictione XIV. „ deſtinavit; donaque non parva tam ſanctis locis, „ quam eidem Summo Pontifici contulit, ſuggerens ejus „ Apoſtolatui, quid ſe facere ſalubrius oporteret, vel „ quid erga reliquum Bulgaricum adhuc Baptiſmo ſacro „ carentem populum, ut fidei ſacramenta perciperet,

„ agi

---

a Indictio XIV. inchoata eſt à Kalendis Septemb. anni 865. & deſinit in fine Auguſti anni 866.

„ agi deberet. Quod beatiſſimus Papa audiens, magna
„ repletus lætitia laudes Chriſto reddidit amplas, & cum
„ omni ſibi divinitus commiſſa Eccleſia gratulans, infini-
„ ta præconia Deo noſtro, qui noviſſimis his temporibus
„ tantum fecit miraculum, devota mente, ſupplici quo-
„ que voce reſolvit. Porro Legatos ejuſdem jam nomi-
„ ne Michaëlis Bulgarici Regis à Sancto Papa receptos,
„ honorifice apud ſe eos retinuit, & interim Sedis Apo-
„ ſtolicæ miſſos, Paulum ſcil. Populonienſem, & Formo-
„ ſum Portuenſem, magnæ ſanctitatis Epiſcopos, ſta-
„ tuens, hoſque monitis mellifluis atque doctrinis inſtruens,
„ ad prædicandum genti illi eos ire decrevit. Cum qui-
„ bus, quoniam per Bulgaricum Regnum iter uſque
„ Conſtantinopolim terra tenus tenditur, ut quidquid
„ de Sancta Conſtantinopolitana Eccleſia, licet jam per
„ Orientem hoc ipſum idem Papa ſemel & bis Apoſtoli-
„ cis literis divulgatum habuerit, apud ſe decretum exi-
„ ſteret, eidem per ſuos Legatos Eccleſiæ notum faceret.
„ Donatum Epiſcopum Oſtienſem, Leonemque Presby-
„ terum S. R. E. necnon & Marinum Sanctæ Sedis Dia-
„ conum Apoſtolicæ, miſſos idoneos æque direxit, ut il-
„ li Bulgariæ populum ad fidem converterent; & iſti
„ quid, vel qualiter Apoſtolica Sedes de eadem Con-
„ ſtantinopolitana deliberatum habuiſſet Eccleſia, mo-
„ dis omnibus nunciarent. Quod in nomine Domini, cum
„ adjutorio Sancti Petri & Pauli factum eſt. Sed præ-
„ fatis Paulo & Formoſo Venerabilibus Epiſcopis in Bul-
„ garia morantibus, Donatus reverendus Epiſcopus, Leo-
„ que Presbyter, & Marinus Apoſtolicæ Sedis Miniſter,
„ dum Conſtantinopolim ire vellent, ecce inter fines
„ Bulgariæ, Conſtantinopolitanorumque quendam Theo-
„ dorum Marcham illam cuſtodientem invenerunt, qui eos
„ ultra non dimiſit abire; quin potius innumeris eos deno-
„ tans injuriis, adeo tantæ Sedis Legatis abuſus eſt, ut
„ etiam equorum, in quibus ſedebant, capita percute-
„ ret, diceretque: Imperator noſter vos neceſſarios ſa-
„ ne non habet. Sed idem Imperator Legatis Regis Bul-
„ garorum ita fertur dixiſſe; niſi per Bulgariam miſſi

„ Sedis Apoſtolicæ veniſſent, nec faciem meam, nec
„ Romam diebus vitæ ſuæ viderent. Illi vero per qua-
„ draginta dies illic reſidentes, ut cognoverunt, quia
„ hoc Imperator Græcorum fieri juſſerat, terga verte-
„ runt, & Romam hæc eadem nunciantes coacti reverſi
„ ſunt. Porro à prænominato Rege Bulgarorum Apoſto-
„ lici Miſſi mente alacri magnaque ſuſcepti devotione,
„ cœperunt ſalutaribus edocere populum monitis, & à
„ minimo uſque ad maximum (*a*) ſacro fonte cum Dei
„ gratia abluerunt, omnemque (*b*) ritum Chriſtianæ fidei,
„ ſicut à Sanctiſſimo Papa inſtructi fuerant, in conſuetudi-
„ nem Bulgarorum tradiderunt. Glorioſus autem Bulga-
„ rorum Rex fidei tanta cœpit flagrare, monitis hujus pii
„ Patris illectus, conſtantia, ut omnes à ſuo Regno pel-
„ lens alienigenas, præfatorum Apoſtolicorum ſolum-
„ modo prædicatione uſus Miſſorum, paſcuis vitæ æter-
„ næ jugiter refici nempe decreverit, unumque ex his
„ Formoſum vita & moribus Epiſcopum, ſibi dari Archie-
„ piſcopum expetierit. Tunc iterum Legatos ſuos Ro-
„ mam direxit, & inter alia beatiſſimo Papæ idipſum ſug-
„ gerens, ab ejus ſanctitate pro inſtructione gentis illius
„ Presbyteros poſtulavit. Ipſe vero talibus Papa compertis,
„ valde gaviſus eſt, & infinitas Deo laudes rependens,
„ non pauci numeri coram ſe probavit Presbyteros,
„ & quos dignos reperit, prædicationis gratia in Bul-
„ gariam direxit: cum quibus & Dominicum (*c*) Triven-
„ ſem, & Grimoaldum Polimartienſem Epiſcopos deſti-
„ navit: ut quia ipſum Formoſum plebem dimittere ſibi
„ creditam non oportebat, Epiſcopum ex his Presbyteris
„ ad Archiepiſcopatum, qui dignus inveniretur, in nomi-
„ ne

a Metrophanes Smyrnæ metropolita in epiſt. ad Emmanuelem Patricium apud Baron. ad ann. 870. num. 49. Quum vero Photius adhuc in ſua pravitate permaneret, didicit quod Legati Papæ, quum in Bulgariam veniſſent, ſacrum ipſius Photii chriſmatis unguentum reprobarunt, & omnes eos qui præerant, quive ſubjiciebantur in Bulgarorum regione, iterum ſacro unxerunt unguento. Furore quodam percitus propterea Photius, œcumenicam Synodum finxit. cetera.

b Reliquos ſcil. quos a Græcis nondum baptizatos didicerant. Nam ante hunc annum Bulgari complures à Græcis & baptizati fuerant, & ſacro unguento delibuti, ut mox patebit.

c Leg. *Tarviſenſem*.

„ ne Domini tandem eligeretur , & Sedi conſecrandus
„ Apoſtolicæ mitteretur . Inter hæc quidem ſtatuit bea-
„ tiſſimus Papa , ſolertiſſimuſque vitiorum corrector , &
„ Dei cultor , ut penetrantibus ipſis Bulgariam Epiſcopis ,
„ Paulus , cujus ſupra memoriam fecimus , Populonien-
„ ſis , ipſeque Grimoaldus Epiſcopi Bulgariæ , quiquid ad
„ divinum miniſterium pro inſtructione gentis illius per-
„ tineret , efficerent : Et ſæpius dictus Formoſus , atque
„ Dominicus Venerabiles Epiſcopi iterum Conſtantino-
„ polim pro ſchiſmate ibi exorto , de quo jam late diſſe-
„ rui , proficiſcerentur . Sed dum hæc agerentur , Dei
„ judicio Michaelem Græcorum Imperatorem ultio divi-
„ na perculit , & nefanda nece peremit . Imperante au-
„ tem Baſilio in Conſtantinopoli , quoniam voluit Deus
„ ipſius Sancti Pontificis juges labores , quos pro Sancta
„ Conſtantinopolitana paſſus fuit Eccleſia , cum fine boni
„ operis conſummare , ſicut fama ſe habuit , Photius
„ Neophytus ac invaſor , ut mœchus pellitur , & juxta
„ decretum Sedis Apoſtolicæ , Patriarcha Ignatius Con-
„ ſtantinopolitano redditur Throno . „ Hæc Anaſtaſius :
quæ tamen non uno , ſed duobus annis contigiſſe oportet .
Nam Legati quidem Regis Bulgarorum , ſicut ſupra dictum
eſt , menſe Auguſto Ind. XIV. hoc eſt anno Chr. 866. Ro-
mam advenerunt , quos abſolvens Nicolaus Papa , ſuos una-
cum ipſis Legatos Epiſcopos & Literas ad Michaelem Im-
peratorem , Idibus Novembris ejuſdem anni 866. ſcriptas
miſit . At Michaele Imperatore die 24. Sept. anni ſequen-
tis 867. cæſo , Photius die ſequenti , hoc eſt 25. Sept.
dejectus eſt a Baſilio Macedone ; Sanctus autem Nicolaus
Papa die 13. Novembris ejuſdem anni 867. ad ſuperos mi-
gravit , quum fama vulgatum accepiſſet , Ignatium Pa-
triarcham Conſtantinopolitano redditum fuiſſe throno : id
quod tamen , etſi ſtatim ac Photius depoſitus fuit , a Ba-
ſilio Imperatore decretum fuiſſet , non eſt opere imple-
tum , niſi die 23. Novembris anni jam dicti 867.

Idem Nicolaus Papa in Reſponſis ad Conſulta Bulga-
rorum , ab ipſo in Bulgariam unacum Legatis menſe No-
vembri anni 866. directis , de ejus gentis ad fidem con-
ver-

verſione hæc habet, num. XVII. „ Igitur referentes, qualiter divina clementia Chriſtianam religionem percepitis, qualiterque populum veſtrum baptizari omnem feceritis; qualiter autem illi poſtquam baptizati fuere, inſurrexerint unanimiter cum magna ferocitate contra vos, dicentes, non bonam vos eis legem tradidiſſe, volentes etiam vos occidere, & Regem alium conſtituere; & qualiter vos divina cooperante potentia adverſus eos præparati, à maximo uſque ad modicum ſuperaveritis, & manibus veſtris detentos habueritis, qualiterque omnes Primates eorum atque majores cum omni prole ſua gladio fuerint interempti; mediocres vero ſeu minores nihil mali pertulerint. „ Hoc ipſum à Conſtantino Porphyrogenito aliiſque Græcis Scriptoribus narratur, quorum verba poſtea recitabo.

XXIV. Hermenricus Epiſcopus Pataviensis cum Presbyteris & Clericis à Ludovico Rege ad Bulgarorum Regem Boriſem ſeu Michaelem mittitur.

Anno 867. Fuldenſis: " Rex Ludovicus, Bulgarum petitionibus annuens, Ermenricum Epiſcopum cum Presbyteris & Diaconibus ad propagandam fidem catholicam præfatæ genti deſtinavit. Sed quum illuc perveniſſent, Epiſcopi à Pontifice Romano miſſi totam illam terram prædicando & baptizando jam tunc repleverant: quapropter iſti accepta à Rege licentia, redierunt in ſua. „ Sed hæc ad annum ſuperiorem referenda ſunt. Annaliſta Saxo apud Hanſiz German. Sacr. tom. I. p. 161. ad ann. 867. *Ludovicus Rex Germaniæ Epiſcoporum atque optimatum ſuorum conſilio, Hermenricum Archiepiſcopum cum aliis Epiſcopis, Presbyteris ac Diaconibus, ad gentem Bulgarorum, Catholicam fidem prædicare deſtinavit. Sed Romanorum Epiſcopi jam tunc totam terram illam prædicando & baptizando repleverunt. Illi uero accepta à Rege licentia, cum pace ad loca propria remearunt.* Hermenricus Epiſcopus Pataviensis, Hartuici ſucceſſor erat, de quo idem Hanſizius tom. cit. p. 160. à Ludovico Rege idcirco ad Bulgaros miſſus, quia *Mæſia* (ubi Bulgari degebant) *Diœceſis Laureacenſis portio ad curam Patauienſis Epiſcopi pertinere videbatur*. Sed quum is vidiſſet, ad eoſdem Bulgaros à Romano Pontifice jam miſſos Paulum Populonienſem & Formoſum Portuenſem Epiſcopos, meſſem

ſem ab aliis occupatam cernens, illud ſatius arbitratus eſt, falcem non immittere. Ad ſuam igitur Eccleſiam reverſus, Synodo Vormatienſi anno 868. habitæ interfuit & ſubſcripſit.

XXV. Nicolaus Papa Præſulibus Gallicarum præcipit, ut ſibi reſcribant de calumniis, quibus Græci Latinam Eccleſiam circa proceſſionem Spiritus Sancti, jejunium Sabbati, cœlibatum Presbyterorum, & alias obſervationes criminabantur.

Annaliſta Bertinianus: " Hincmari Clerici in menſe
" Auguſto (anni 867.) Romam venientes, Nicolaum Pa-
" pam jam valde infirmatum, & in contentione, quam
" contra Græcorum Imperatores Michaëlem & Baſilium,
" ſed & contra Orientales Epiſcopos habebat, magnopere
" laborantem invenerunt. Quapropter uſque ad menſem
" Octobrium ibidem ſunt immorati. Nicolaus vero Papa
" gratanter ſuſcipiens quæ Hincmarus ſcripſerat, ei de
" omnibus ſibi ſatisfactum eſſe reſcripſit. Sed & alteram
" Epiſtolam eidem, & ceteris Archiepiſcopis & Epiſcopis
" in Regno Caroli conſtitutis tranſmiſit, innoteſcens, præ-
" fatos Græcorum Imperatores, ſed et Orientales Epiſco-
" pos calumniari Sanctam Romanam Eccleſiam, imo om-
" nem Eccleſiam, quæ Latina utitur lingua: Quia jejuna-
" mus in Sabbatis. Quod Spiritum Sanctum ex Patre Fi-
" lioque procedere dicimus. Quia Presbyteros ſortiri
" conjuges prohibemus. Dicentes ipſi Græci, quod
" Chriſma ex aqua fluminis Latini conficiamus. Repre-
" hendentes nos Latinos, quod octo Hebdomadibus a
" caſei & ovorum eſu more ſuo non ceſſamus. Dicentes
" etiam, quod in Paſcha more Judæorum ſuper Altare
" pariter cum Dominico Corpore Agnum benedicamus &
" offeramus. Succenſentes etiam nos, quia Clerici apud
" nos Barbas ſuas radunt. Dicentes, quia Diaconus non
" ſuſcepto Presbyteratus officio apud nos Epiſcopus ordi-
" natur. De quibus omnibus per ſingulas Provincias a
" Metropolitanis cum eorum Coëpiſcopis ſibi reſcribi præ-
" cepit: alloquens eundem Hincmarum in Epiſtolæ fine
" hoc modo. Tua, inquit, frater Hincmare, caritas
" quum hanc Epiſtolam legerit, mox ut etiam ad Ar-
" chiepiſcopos qui in Regno filii noſtri Caroli glorioſi
" Regis conſiſtunt, deferatur, ſummopere agere ſtu-
" deat: & ut de his ſingulis in Diœceſibus propriis una
" cum Suffraganeis ſuis, in cujuſcumque Regno ſint con-
ſti-

„ ſtituti, convenienter tractare, & nobis quæ reperêrint, ſuggerere curent, eos incitare non negligant. Ita ut eorum omnium, quæ præſentis Epiſtolæ noſtræ circumſtantiæ continent, tu & ſtrenuus executor illic exiſtas, & apud nos verax & prudens Scriptorum tuorum ſerie relator invenîaris. Data x. Kal. Novembris Indict. 1. Quam Epiſtolam Hincmarus Idus Decembrias primæ Indictionis ſuſcipiens, in Corbonaco Palatio conſiſtenti Regi Carolo cum pluribus Epiſcopis relegit, & per alios Archiepiſcopos, ſicût in mandato acceperat, dirigere ſtuduit. Nicolaus Papa Idus proxime præcedentis menſis Novembris obiit, cui ſucceſſit Adrianus Papa electione Clericorum & conſenſu Ludovici Imperatoris, in Pontificatu. Quem Actardus Romam veniens cum ſupraſcriptis Epiſtolis, in Apoſtolica Sede jam ordinatum invenit. „ Hactenus Bertinianus. At vero Fuldenſis ad annum 868. (nimirum loco non ſuo) & Nicolai Papæ mortem, & ſcriptam ab eo Epiſtolam de calumniis Græcorum confert: *Nicolaus* (inquit) *Pontifex Romanus Epiſcopis Germaniæ duas deſtinavit Epiſtolas, unam quidem de factionibus Græcorum, alteram vero de Theutgaudi & Guntharii Epiſcoporum depoſitione*. cetera. Ita & Metenſis ad ann. 868. *Nicolaus Sanctiſſimus & beatiſſimus Papa poſt multos pro Chriſto labores, multa pro ſanctæ Eccleſiæ inviolabili ſtatu certamina, migravit ad cæleſtia Regna*. Quum certum ſit, ſanctum Pontificem die 13. Nov. anni 867. ad ſuperos migraſſe.

XXVI. *Photius auctor calumniarum in Latinam Eccleſiam: tum quia a Romano Pontifice depoſitus fuerat; tum, ut Bulgaros a Latinis averteret.*

Porro Calumniarum hujuſmodi in Romanam Eccleſiam auctor fuit Photius, qui quum anno 858. in ſedem Conſtantinopolitanam, depoſito S. Ignatio, intruſus fuiſſet, in Synodo Romana anno 863. anathematizatus, Eccleſiam Latinam calumniari, & Bulgaros a Sedis Romanæ ſubjectione anno 867. avertere ſatagebat: In Encyclica Epiſtola *ad Archiepiſcopales Thronos per Orientem obtinentes* ſic ſcribens: " Nondum gens illa (*Bulgarorum*) „ per Biennium rectam Chriſtianorum fidem amplectebatur, quum impii quidam homines & execrandi, portenta (vel quo illos titulo Chriſtianus inſigniat,) homines

„ mines e tenebris prorepentes (erant enim exorti ab
„ Occiduis partibus) heu quomodo reliqua perſequi po-
„ tero ? Iſti, inquam , in gentem (novella quorum pie-
„ tas & nuper conſtituta) tamquam fulgur , terræmotus ,
„ ſeu copioſa grando , aut , ut propius quod accedit ad
„ rei veritatem dicam , tamquam aper agreſtis , Vineam
„ Domini dilectam , nuper conſitam , pedibus & denti-
„ bus , hoc eſt , ſemitis quibuſdam politiæ turpis , &
„ dogmatum depravatorum , quæ illorum erat auda-
„ cia , deprædantes devaſtabant , omni cum fraudulentia
„ a ſanis & puris dogmatibus , & a fide inculpata Chri-
„ ſtianorum , eos ſubdole deducere & corrumpere cona-
„ bantur . In primis contra Eccleſiæ canones illicite ad
„ Sabbatorum jejunia traducebant . „ Refert poſtea qua-
tuor alia contra Latinos accuſationis capita, quæ in lau-
data S. Nicolai Papæ Epiſtola enumerantur : in quibus il-
lud etiam , quod *Chriſmate inunctos per Sacerdotes , de-
nuo inungere non dubitaverint* . Quam Photii , aliorum-
que Græcorum Schiſmaticorum veſaniam , non aliunde
erupiſſe , quam quia Bulgari ad Latinam confugiſſent Ec-
cleſiam,affirmat idem Nicolaus Papa in eadem ad Hincma-
rum Epiſtola , inquiens : " Invidia , quia Regem Bulga-
„ rorum , Michaëlem nomine , cum gente ſua , Chriſti
„ fide ſuſcepta , a Sede B. Petri inſtitutores & doctrinam
„ expetiiſſe audierunt . Volentes quippe , & nimium
„ anhelantes , eoſdem Bulgaros a B. Petri ſubjectione
„ ſubducere , ſuoque imperio ſub prætextu Chriſtianæ re-
„ ligionis callide ſubjugare , talia de Sancta Romana Ec-
„ cleſia non habente maculam neque rugam , aut aliquid
„ hujuſmodi , prædicant , quatenus illi , utpote adhuc
„ in fide rudes , hæc audientes, nos quaſi noxios & di-
„ verſarum hæreſeon ſqualore reſperſos , vitent , deje-
„ ctent , atque penitus deſerant[a]. „

Et vaferrimum quidem iſtud Græcorum conſilium non
in irritum cecidit : nam , ut mox patebit , ejectis Sacer-
dotibus Latinis , Bulgaros Conſtantinopolitanæ ſubjecerunt
Eccleſiæ . Sed nunc ad ea enarranda pergo , quæ in Fran-
corum Annalibus de Slavis reperiuntur .

XXVII.
Res Bulgarorum diverſis annis geſtæ, ab Annaliſta Metenſi ad ann. 868. uno tenore narrantur.

Anno 868. Annaliſta Metenſis. " His temporibus gens Bulgarum ferociſſima ac bellicoſa, relictis idolis, in
,, Chriſtum ex permaxima parte credidit, & abluta ſalutari Baptiſmatis unda, in religionem Chriſtianam tranſiit. Directi ſunt autem a Sede Apoſtolica ad eandem gentem Sacerdotes ac Viri religioſi, qui populum adhuc rudem divinis informarent præceptis, & incultam barbariem ſacris dogmatibus excolentes, Chriſto gratum præpararent habitaculum. Ludovicus Chriſtianiſſimus Rex, qui ſuper Germanos regnabat, non mediocre præbuit adjumentum. Ferunt autem de hujus gentis Rege, quod a tanta perfectione poſt perceptam Baptiſmi gratiam cœperit, ut diebus ornamentis regiis indutus coram populo procederet, noctibus vero ſacco veſtitus, latenter Eccleſiam intrans, ſuper pavimentum ipſius Baſilicæ, ſubſtrato tantum ſibi cilicio, proſtratus in oratione jaceret. Non poſt multum tempus divina inſpiratione commonitus, Regnum terrenum dimiſit, ut in cœlis æternaliter regnaret cum Chriſto. Et ordinato in loco ſuo in Regem majori filio ſuo, comam capitis depoſuit, habituque ſanctæ converſationis ſuſcepto Monachus effectus eſt; eleemoſynis, vigiliis, & orationibus die noctuque intentus. Interea filius ejus, quem Regem conſtituerat, longe a paterna intentione & operatione recedens, prædas cœpit agere, ebrietatibus, commeſſationibus & libidinibus vacare, & omni conamine ad Gentilitatis ritum populum noviter baptizatum revocare. Quod quum pater audiſſet, nimio zelo accenſus, ſacrum habitum depoſuit, & militiæ cingulum reſumpſit; & cultu regio indutus, adſociatis ſibi Deum timentibus, filium perſecutus eſt. Quem mox abſque difficultate cepit, oculoſque ejus effodit, & in carcerem miſit. Deinde convocato omni Regno ſuo, filium juniorem Regem conſtituit, interminatus coram omnibus, ſimilia fore paſſurum, ſi in aliquo a recta Chriſtianitate deviaret. His ita geſtis, depoſito cingulo, & reſumpto ſanctæ Religionis habitu, ad Monaſterium regreſſus, in ſancta converſatione reliquum vitæ præſentis tempus duxit. ,,

At

At hæc omnia non uno, eodemque anno geſta fuiſſe, mox demonſtrabo, ubi de Bulgaris ſermo erit.

XXVIII. Poſt ſolutam Raguſii obſidionem, Saracenis inde ejectis, Chrobati, & Serbli ſub Baſilio Macedone Orientis Imperatore ad obedientiam Græcanici Imperii redeunt, tum ii qui baptiſmum ejuraverant, tum qui nondum acceperant. Ex Constantino Porphyrogenito.

Ad hæc tempora (*a*) referendum eſt, quod Porphyrogenitus in vita Baſilii Macedonis num. 52. ad 55. Scylitzes pag. 40., & Cedrenus pag. 576. narrant de Raguſio a Saracenis obſeſſo, oppidis nonnullis Dalmatiæ captis, miſſoque ad expugnandum Barium navali exercitu " Eadem, ac reliqua ratione (*inquit*) etiam rebus Occidentis majorem in modum Michaele Imperatore, neglectis, totaque fere Italia, quanta novæ noſtræ Romæ ceſſerat, potiſſimaque Siciliæ parte, Carthaginienſium (*Saracenorum nempe Africæ*) armis debellata, atque barbaris vectigali facta. Ad hæc etiam, qui in Pannonia (*b*) & Dalmatia, ac qui ultra hos Scythæ, Chrobati ſcilicet, & Serbli, & Zachlumi, Terbuniatæ item, & Canalitæ, & Diocletiani, & Rentani, excuſſo Romani Imperii jugo, cui pridem ſuberant, ſui juris atque liberi facti, ſuis dumtaxat Regulis, ac Magiſtratibus parebant. Plerique vero majoris defectionis ſpecimine, etiam Baptiſmum ejuraverant, ut nullum erga Romanos amicitiæ, ac ſubjectionis pignus retinerent. Sic igitur Occidentis rebus (*ante annum 867.*) conſtitutis, inque eum modum per anarchiam laborantibus, ac perturbatis, arrepta Agareni Carthaginienſes occaſione, conjunctis viribus (*anno 867.*) expeditionem ſuſcipiunt: creatiſque ducibus, Soldano, (*c*) Samano, & Chalphuro, qui longe militiæ, bellicæque rei experientia tribulibus reliquis præſtare exiſtimabantur, ſex ſupra triginta naves in Dalmatiam miſerunt, quibus Dalmatarum plures urbes captæ ſunt, Butoma, Roſa, & inferius Decaterum. Sic quum ſecundis auris res hoſtibus ſuccederent, ad ipſam venerunt totius gentis Metropolim, quam Raguſium vocant, eamque ad

a Pagius id narrat ad num. 867. a annum 18. de Dalmatis ſcil. ab Imperio Orientali antea deficientibus, mox a Saracenis graviter afflictis, demum a Baſilio Imp. exercitu navali adjutis: deque Chrobatis per eund. Baſilium, Fidei & Imperio reſtitutis.

b Hoc ipſum legere eſt apud eund. Porphyrogenitum in lib. de Adminiſtr. Imper. cap. 29 & lib. 2 de Thematibus cap. 11.

c Pro *Samano*, Scylitzes, & Cedrenus habent, *Saba*.

„ longum tempus circumſederunt. Haud tamen facile expugnare potuerunt, iis qui intra mœnia erant, magno animo concertantibus: quippe quibus pro anima, ut ajunt, curſus agitaretur. Dum itaque Raguſini pro temporis diuturnitate malis conficerentur, atque ad incitas redacti eſſent, Legatos ad Imperatorem mittunt, neceſſitatis anguſtiis preſſi; quamquam non neſciebant, aliis potius rebus eum diſtineri; ſuppliciter rogantes, ut ipſorum miſertus, eis vindex foret, ac tueretur, qui jamjam in Infidelium, Chriſtumque negantium poteſtatem eſſent redigendi. Nondum Legati in Urbem venerant, ſed in itinere adhuc ſubſiſtebant, quum ignavus maluſque Imperator (*Michaël Balbus*) in humanis eſſe (*a*) deſiit, rerumque ſumma ad vigilem ſobriumque curatorem Baſilium per ejus exceſſum tranſivit: qui antea quoque ægre ferebat atque animo angebatur; tuncque Legatis diligenter auditis, ſuaque ipſius vulnera, eorum mala ducens, quos ejuſdem fidei fœdera ſociarent, in auxiliorum apparatu erat, quæ ſupplicibus mittenda deſtinabat: inſtructaque centum (*b*) navium claſſe, cunctiſque rite apparatis, ſingularis prudentiæ virum, experientiaque ſupra vulgi uſum præditum deligit Nicetam Patricium, cognomen-

„ to

a Cæſus fuit Michael Balbus die 24. Sept. anni 867.

b *Inſtructaque centum navium claſſe.* Ita Græci omnes ſcriptores. At Bertinianus Annaliſta ad annum 869. pro centum, habet quatercentum; *Interea Baſilius, quem Michael Græcorum Imperator ſibi in ſortem Imperii aſciverat, eundem Michaelem dolo interfecit* (anno ſcil. 867. non 869.) *& Imperium ſibi aſcivit. Qui Patricium ſuum* (Nicetam) *ad Bairam* (Barium) *cum cccc. navibus miſerat, ut & Ludovico contra Saracenos ferret ſuffragium, & filiam ipſius Ludovici a ſe deſponſatam de eodem Ludovico ſuſciperet, & illi in conjugio ſibi copulandam duceret. Sed quadam occaſione interveniente diſplicuit Ludovico dare filiam ſuam Patricio. Unde idem Patricius moleſtus Corinthum rediit; & revertente Ludovico ab obſidione Saracenorum de partibus Beneventanis, iidem Saraceni de Baira* (Bario) *egredientes, & hoſtem Ludovici poſt tergum ſequentes, pluſquam duo millia caballorum ipſius hoſtis prædati ſunt; & cum eiſdem caballis duos ex ſeipſis ordinantes cuneos, ad Eccleſiam S. Michaelis in Monte Gargano perrexerunt: & Clericos ejuſdem Eccleſiæ, multoſque alios qui ad orationem illuc convenerant, deprædantes, cum multa ſpolia ad ſua redierunt. Quod factum valde Imperatorem, atque Apoſtolicum, ſed & Romanos turbavit.* Idem tamen Bertinianus Tom. 3. Duchesnii p. 234. paulo ſuperius dixerat: " Sed, ut diceba-
„ tur, Ludovicus Imperator ab obſeſſione Saracenorum pro fratris ſui petitione non debuiſſet diſcedere, cui amplius quam ducentas naves Rex Græcorum in auxilium contra eoſdem Saracenos feſtinato mittebat „. Verum de his vide Erchempertum cum notis Peregrinii.

„ to Oorypham, rei navalis Drungarium, quem velut
„ ſulmen cuncta amburens ac proſternens, in hoſtes im-
„ mitteret. Agareni ut miſſos ad Imperatorem Lega-
„ tos auxilia rogaturos ex profugis acceperunt, tum quod
„ mittendas ſubſidio copias formidarent, obſidionem diri-
„ munt; indeque ſolventes, atque in Italiam (cui nunc
„ Longobardia (*a*) nomen eſt) transmittentes, Barenſem
„ arcem (*b*) expugnarunt; ibique habitantes, quum vi-
„ cinioribus quotidie ingruerent ac remotiora tentarent,
„ ſemperque ditioni ſuæ aliquid adjicerent, omnem Lon-
„ gobardiam (*c*) ad uſque præcelſa quondam prope gloria
„ Romam, ſubegerunt. Atque in hunc modum ſe res
„ Occidentis habebant. Quod (*d*) ita Dalmatarum auxi-
„ liis a Romanis geſtum erat, videntes quas paulo ſupe-
„ rius memoravi, nationes, Chrobati nimirum, & Ser-
„ bli, & reliqui, ejuſque qui tum rerum potiretur æqui-
„ tatem, in omnibuſque juſtitiam & virtutem audientes,
„ beneque ſubeſſe, quam periculoſe auſuque temerario
„ præeſſe ac imperare, pluris facientes; operam adhi-
„ bent, ut ad priſtinum redeant dominatum, iterumque
„ Romanis ſerviant. Quare & ipſi oratores mittunt ad
„ Imperatorem, tum ſcilicet, qui eadem ipſa integra-
„ que religione defecerant; tum qui excuſſa prima ſua
„ ſervitutē, ipſi ſponte Baptiſmum prorſus ejuraverant;
„ quamque utiles quandoque Romanis extitiſſent, oppor-
„ tune memorantes, roganteſque humaniſſimo Romanæ
„ potentiæ jugo ac illius ductori rectorique ſubjici. Ho-
„ rum votis ac petitioni, ut quæ niti ratione viderentur,
„ ſe facilem præbens Imperator (quippe qui etiam antea
„ pro

a Longobardia minor, ſive Apulia.

b Jam Barium occupaverant Saraceni, eamque urbem Ludovicus II. Auguſtus uſque ab anno 866. obſidione cingebat. Adeoque legendum ſic: *in Barenſem arcem ſe receperunt*: aut ſi mavis, *transfretarunt*.

c Hæc a Saracenis ab anno fere 843. uſque ad ann. 865. geſta fuerant: non autem poſt ſolutam Raguſii obſidionem (uti indicat Porphyrogenitus) gerebantur.

d ita interpretor: *Quod ita in Dalmatia auxilio Romanorum geſtum videntes*, &c. ſic Cedrenus: *At Chrobati, Servi reliquaeque Sybicæ, quas ſupra nominavimus, gentes, quum vidiſſent, quomodo miſſis a Romano Imperatore auxiliis res in Dalmatia acta eſſet, miſſis ad eum legatis, petunt rurſus ſub jugum Romanæ poteſtatis ſe recipi*, cetera.

„ pro illis animo angeretur atque doleret, velut ditionis „ ſuæ non modica acciſa parte raptaque ac diſcerpta) placide, quemadmodum humaniſſimus pater filium qui ſtulte „ imperium detrectarat, ductuſque pœnitentia redierat, „ ipſe quoque iſtos admiſit atque recepit. Ac ſtatim cum „ illis Sacerdotes, ſuoque nomine delegatum hominem „ miſit, ut ante alia ab ipſo animarum periculo eos eriperet, ac priſtinæ fidei reſtitueret, atque ex delictis, „ quæ vel ignorantia, vel dementia ac temeritate contraxerant, liberaret. Peracto autem religioſo iſtiuſmodi „ opere, cunctiſque divino Baptiſmate impartitis, atque „ Romanorum faſcibus inclinatis, hac parte redintegratus eſt Imperatoris principatus; cunctis humaniſſima „ ejus juſſione ex ſuis ejuſdemque gentis hominibus, magiſtratus rectoreſque, qui illis imperio præeſſent, accipientibus. Non enim ille magiſtratus illis præpoſitos „ venales habuit, ut inde eaque ratione, qui plus darent, exque ſubditis amplius meterent, illis præficeret; ſed qui ab eis ipſis electi eſſent ac velut ſuffragio „ creati, tamquam arbitros Magiſtratus paternaque benevolentia eos proſecuturos, eis pro imperio præeſſe prudenter conſtituit. „

XXIX. Refelluntur qui id Chrobatorum & Serblorum factum, tribuunt SS. Cyrillo & Methodio.

Joannes Lucius de Regno Dalmatiæ & Croatiæ lib. 2. cap. 3. exiſtimat, converſionem *Dalmatarum*, *Croatorum*, *Serblorum*, *&* *reliquorum*, qui adhuc Baptiſmo carebant, aut qui Baptiſmum ejuraverant, de qua loquitur Porphyrogenitus, adſcribendam eſſe Sanctis *Methodio*, *&* *Cyrillo*. Andreas quoque Dandulus in Chronico lib. 8. cap. 5. ſub Urſo Particiaco, qui ab anno 864. ad 881. Venetis Dux præfuit, ante ſuſceptum a Baſilio Macedone imperium, eorundem Dalmatarum converſionem poſt Bulgaros per Cyrillum factam refert (*a*), his verbis: *Eodem tempore Conſtantinus natione Theſſalonicus, cui Papa, Cyrillus nomen impoſuit, vir Catholicus, diviniſque ſcripturis eruditus, & in variis idiomatibus peritus, Regem Bulgarorum cum gente ſua ad fidem convertit, & acceptis a Sede* Apo-

a Edit. Murat. Tom. XII. Rer. Ital. pag. 182.

Apoſtolica Sacri Ordinis miniſtris, adeo Rex in fide ſolidatur, ut non multo poſt filio majore in Regem ordinato, ipſe abrenuncians ſæculo, factus ſit monachus. Sed quum filius ejus juveniliter agens, ad gentilitatem redire vellet, Regio cultu reſumpta & baltheo militari, filium cepit, & truſit in carcerem, effoſſis oculis ſibi, tribuens Regnum filio minori. Deinde autem ſacrum aſſumpſit habitum, & uſque ad mortem in eo permanſit. Hujus etiam B. Cyrilli prædicatione Svethopolis Rex Dalmatiæ, qui ab Oſtroillo germano Totilæ Regis Gothorum originem duxerat, cum toto populo ſuo fidem Catholicam ſuſcepit, & ab Honorio Cardinale Legato Apoſtolicæ Sedis, aſſiſtentibus orthodoxis Epiſcopis, & Apocriſariis Michaëlis imperatoris Conſtantinopolitani (de Michaële Balbo ſermo eſt) *a quo Regnum ſuum recognoſcebat, in Plano Dalmatiæ coronatus eſt, & Regnum ſuum in quatuor partes diviſit*. Et poſt Dalmatiæ deſcriptionem: *Hic Beatus Cyrillus pene omnium Sclavorum dictus eſt Apoſtolus, qui hos ad fidem reduxit, & Divinum Officium in Lingua Sclavonica eis tranſtulit*. Reliqua. Verum (præter quam quod) *Svethopolis Rex Dalmatiæ, & Totilas Rex Gothorum* perperam appellantur, quum hic *Hunnorum* Rex fuerit, qui ſunt a Gothis diverſi; & ille *Moraviæ*, non Dalmatiæ principatum tenuerit, neque a Cyrillo ipſe, ſed ejus pater Raſtizes ad Chriſti fidem adductus dicatur, ut infra oſtendam:) *Conſtantinus, ſive Cyrillus, & Methodius, ſanctiſſimi fratres, Slavorum Apoſtoli* (verba hæc ſunt Farlati Tom. 1. Illyrici ſacri p. 126. col. 2.) *apud Bulgaros quidem & Chazaros & Moravos Evangelio operam dediſſe leguntur; at Slavos Dalmatas ab avita ſuperſtitione ad Chriſti cultum avocaſſe, aut in Dalmatiam pedem intuliſſe, nuſquam in eorum Actis leguntur, in quibus ſcriptum invenio, poſt Moraviam Chriſtianis præceptis ac myſteriis imbutam, a Nicolao Pontifice Maximo Romam accitos eſſe, & Cyrillum quidem haud multo poſt diem ſuum obiiſſe; Methodium vero, Moravorum Archiepiſcopus creatus quum eſſet, rediiſſe in Moraviam*. Hæc Farlatus. Pagius autem ad annum 867. num. 21. recte obſervat: *Quum uterque ſanctus* (ideſt, Cyrillus

lus ac Methodius) *ipſo fine Pontificatus Nicolai , hoc ſcilicet anno , Romam venerit , & anno ſequenti in Moraviam miſſus ſit , de illis intelligi non poteſt Porphyrogenneta , qui loquitur de re , quæ ſerius non contigit , quam priori parte ſequentis anni* , ideſt , 868.

XXX. Animadverſiones ad narrationem Porphyrogeniti de Barii expugnatione, deque ſuppetiis a Baſilio Macedone Ludovico II. Auguſto miſſis.

Pergit Porphyrogenitus de ſubſidio ad expugnandum Barium a Baſilio miſſo. "Quod vero barbaris, qui ſic neglecto
„ ſegniterque adminiſtrato Imperio in Romanam ditionem
„ trajecerant , pulſique Raguſio fuerant , uti jam dictum
„ eſt , adhuc in Italia fixo pede , continue eam incurſa-
„ bant direque deſolabant , centum quinquaginta munitis
„ oppidis qua ſpontanea deditione , qua obſidione vique
„ in poteſtatem ſuam redactis ; audiens Imperator , valde
„ animo diſcruciabatur ; horumque ſolicitudine invigi-
„ lans , modum quærebat , quo facile vel hoſtes penitus
„ fundere liceret , vel a Romana ſaltem ditione abigere
„ ac propellere . Jam itaque quæ ante Raguſinorum cau-
„ ſa gentiſque omnis Dalmatarum miſſæ fuerant copiæ ,
„ Niceta Oorypha Patricio ductore , ut ſupra diximus ,
„ adverſus tantam Barbarorum multitudinem haud ſatis
„ pares exiſtimans ; ac vel maxime , quod in Mediterra-
„ neis haud raro manus conſerendæ eſſent , longiuſque a
„ mari abſcedendum , quod navalibus copiis haud condu-
„ ceret , nec certe ab illis præſtari poſſet ; alias vero
„ rurſus Byzantio copias mittere haud utile putans ob ex-
„ peditionis nimios ſumptus , & Orientalis tractus regio-
„ num neceſſitatem ; prudenti conſilio inito , ad Ludovi-
„ cum Franciæ Regem , & ad Romanum Antiſtitem Le-
„ gatos mittit , ut abs ſe miſſis copiis opem ferant , ac
„ cum eis adverſus Agarenos Barii ſedes habentes pugnam
„ inſtruant ; jubens , ut & quas paulo ante memoravi-
„ mus , Sclavenorum gentes inſtitutum ſuum juvent ,
„ tranſmiſſo Raguſii incolarum ope ſuiſque ipſorum navi-
„ giis , Dalmatarum mari . Hoc modo conjunctis viribus
„ ingens contractus eſt exercitus ; quodque Romanæ claſſi
„ præfectus longe omnibus ſolertia ac fortitudine præſta-
„ ret , Barium brevi capitur , oppidumque ipſum & ager,
„ omneſque captivi in Romanorum poteſtatem cedunt ,

„ ſuoſ-

„ ſuoſque regio cives ac colonos recipit. Rex Franciæ,
„ Soldanum illum ſubditoſque Saracenos, ſibi ipſe captivos
„ ſumens, Capuam adduxit, cujus illa ditionis erat,
„ ut & Beneventum. Huncque prima Imperatoris in Occidentem
„ expeditio nacta finem eſt, ejuſque ſpoliis ac
„ claritate Urbs Auguſta ornatur. Verum (*ut recte notat*
„ *Pagius ad ann.* 868. *num.* 22.) magis oratorie, quam
„ hiſtorice loquitur inclytus Imperator: Barii enim oppidi
„ munitiſſimi obſidio, hoc & ſequenti anno continuata,
„ nec illud ante annum 870. expugnatum. Præterea Ludovicus
„ II. Occidentis Imperator, quem ipſe deceſſorum
„ ſuorum more, vocat tantum τὸν Ῥῆγα φραγγίας,
„ ideſt, *Regem Franciæ*, jam ab anno 866. Barium obſidione
„ cingebat, & varia ex centum illis & quinquaginta
„ caſtris a Saracenis occupatis [*ſi quidem hic caſtrorum
„ numerus conſtat*] in poteſtatem redegerat, tam
„ hoc, quam duobus ſuperioribus annis. Inſuper Ludovicus
„ Auguſtus in Epiſtola ad Baſilium Imp. data, & a
„ Baronio anno 871. num. 51. & ſeqq. recitata, queritur,
„ domus Sclavorum ſuo imperio ſubditorum direptas
„ fuiſſe: *non enim congrue geſtum eſt, ut iiſdem Sclavinis
„ noſtris cum navibus ſuis apud Barim in procinctu
„ communis utilitatis conſiſtentibus, & nihil ſibi adverſi
„ imminere putantibus, tam impie domus quæque ſuæ diriperentur*.
„ Quare Sclavi ſeu Croati maritimi, Ludovico
„ Imperatori ſubditi, cum ſuis navibus ad Barium
„ oppugnandum cum ceteris Croatis & Dalmatis Baſilio
„ Imp. ſubditis convenerant: quod tamen Porphyrogenneta
„ Avo blandiens diſſimulat. Ludovicus Auguſtus in
„ eadem Epiſtola num. LXV. reſpondet hæc ad Baſilium
„ Imp. qui queſtus fuerat de paucitate Francorum in obſidione
„ Barii. *Quum diu demorante*, inquit, *ſtolo Fraternitatis
„ tuæ* (*ideſt, exercitu navali*) *& illius jam
„ minime præſtolaremur adventum, & in anno de obſidione
„ Bari nihil omnino fieri putaremus: omnes ad ſua
„ redire permiſeramus, his ſolum retentis, quos ad prohibitionem
„ recipiendorum alimentorum ſufficere credebamus.
„ Et hoc eſt, quod ſtolus inſperatus apparens,*

„ *nonniſi paucos noſtros invenerunt. Verumtamen iſti pauci,* „ *& adhuc pauciores, quibuſdam horum diverſo languore gravatis, effecti, antequam Baris caperetur, tres Ammiradus, qui totam Calabriam depopulabantur, & numeroſam multitudinem Saracenorum proſtraverunt, & magnam veſtratibus ſalutem divino beneficio contulerunt. Quare non ſolum Calabritanorum Iſmaëlitarum ingens ex tunc facta eſt diminutio, ſed & Barenſium potentatus omnino diſſolutio, ac per id ad capiendum facilis adinventio.* „ Hactenus Pagius. Huc accedit, quod & Græcorum ſtolus nihil prorſus contulit ad Barii expugnationem, & Barium a Francis expugnatum una cum agro & captivis, non ceſſit in Romanorum, ideſt, Græcorum, poteſtatem, ſed Beneventani Principatus ad ditionem rediit; quare concluditur, falſo dictum eſſe a Porphyrogenito: *Conjunctis viribus ingens contractus eſt exercitus; quodque Romanæ claſſi præfectus longe omnibus ſolertia ac fortitudine præſtaret, Barium brevi capitur, oppidumque ipſum, & ager, omneſque captivi in Romanorum poteſtatem cedunt.* Pagius quidem ad ann. 870. num. 31. Porphyrogenito fidem plus juſto adjungens, *quibus verbis* (inquit) *intelligimus, Barium communi fœdere inter utrumque Imperatorem inito obſeſſum, quod inde non minus Græcos quam Latinos Saraceni vexarent, & illud Græcis ceſſiſſe.* Atqui captum Barium non Græcis ceſſit, ſed Beneventano principi Adelgiſo: qui illud retinuit ab anno 870. uſque ad annum circiter 872. quando nimirum, reparatis a Saracenis viribus, *Atmagnus* [ut ſcribit Erchempertus num. 38.] *Tarentum intravit, & Rex effectus eſt; egreſſuſque, Beneventum graviter deprædavit, & Teleſam, & Alipham, tantamque victoriam adeptus eſt, ut Saugdanem jam ſæpedictum in poteſtatem ab Adelgiſo recolligeret: nam Annoſum & Abadelbach ante Apocriſarios illi miſerat. Hoc audientes qui Bari reſidebant, Gregorium Bajulum Imperialem Græcorum, qui tunc in Hidrunto degebat, cum multis exercitibus, adſciverunt, & Barim introduxerunt ob Saracenorum metum. Qui ſtatim apprehenſum Gauſt* (ideſt Caſtaldeum Bario per Adelgiſum

giſum præpoſitum) *illiuſque primores*, *Conſtantinopolim miſit*, *ut quibus jurejurando fidem dederat*. De navali autem Græcorum ſtolo, audiatur Ludovicus Auguſtus: *Obſtupeſcimus enim* [inquit in Epiſt. ad Baſilium Imp. data anno 871. num. 64.] *Obſtupeſcimus in iis, quæ Serenitas tua proſequitur, dicens, ſuis, ideſt, Græcis, Barim ex parte ſua debellantibus, noſtros vel ſolum intuitos, vel prandiis diſſolutos nullum auxilium præſtitiſſe; hancque ideo civitatem minime capi potuiſſe; quum noſtri, ſive intuendo tantum, ſive prandendo, ſive aliud quid agendo, Barim tamen, licet perpauci, & finetenus, impugnaſſe & ope divina cepiſſe dicantur; veſtri autem ſicut bruchi multitudine apparentes & ſicut locuſtæ primum impetum dantes, eo ipſo quo conatum ſuum in prima fronte monſtraverunt, puſillanimitate ſuperati, protinus infirmati ſunt, & more locuſtarum, repente quidem ſalierunt, ſed confeſtim, fatigati quaſi a niſibus volandi, deciderunt; ac per hoc neque intuendo, neque prandendo, neque bellando, quibuslibet inſignibus triumphi monſtratis, motu ſubitaneo & clandeſtino receſſerunt, & inefficaces, nonnullis e contra Chriſtianis ſolummodo captivatis, ad propria repedarunt*. De illo autem Niceta Duce, quem Porphyrogenitus *longe omnibus ſolertia ac fortitudine præſtitiſſe* prædicat, ſic ait idem Ludovicus Auguſtus in citata Epiſtola num. 66. *Ceterum Fraternitatis tuæ dilectionem rogamus, nullam Nicetæ Patricio moleſtiam irrogare, pro eo, quod noſtrum tam inſolenter offenderit animum: nam licet adeo protervus & contumax in noſtrum fuerit Imperium, ut fidelium quoque noſtrorum numeroſa multitudo in eum ſeveriore mente commoveretur, niſi a nobis, cauſa tui honoris pariter & amoris, præventa compeſceretur; tamen malum pro malo retribuere non tulimus, nec debemus. Et idcirco depoſcimus, ſiquid minarum ſuper ipſum proteſtatis tuæ fortaſſis imminet, celeri benignitatis tuæ manu pro noſtro removeatur amore*.

XXXI. Querela Ludovici Auguſti contra Baſilium Macedonem circa Sclavos ſuos ſubditos a Niceta Ooripha Patricio direptos, & circa Apocriſiarios Sedis Apoſtolicę non cuſtoditos.

Poſtremo Ludovicus in laudata Epiſtola dum Baſilium Imp. redarguit de Legatis Apoſtolicæ Sedis non cuſtoditis, exprobrat quoque eidem, quod Sclavini ſui a dicto Niceta Pa-

Patricio direpti eſſent. *Non autem tales Apocriſiarios Apoſtolicæ Sedis eſſe* (inquit num. 66.) *vel profeſſio docet, vel eruditio dictat, vel converſatio anteacta demonſtrat, quales illos ſcripta prædicant, quæ nobis Fraternitas tua direxit: electos enim, & approbatos eos tam Spiritualis Pater noſter ſummus Pontifex, quam Eccleſia per diuturna tempora ſcientes, & Eccleſiaſticæ correctionis negotia ſtrenue peragentes, ad preces ſublimis a Deo ſervandi Imperii tui, illos direxiſſe noſcuntur. Unde & decuerat excellentiam tuam ita munitos eos remittere, ut in nullos, vel piratarum, vel aliorum pravorum incurſus inciderent. Grave namque contra te ſuper hoc tam Spiritualis Patris noſtri Apoſtolici Papæ, quam totius Eccleſiæ Romanæ murmur accenditur, eo quod illos a Sede Apoſtolica tam deſiderabiliter expetieris, ſed tam improvida diſpenſatione remiſeris. Et Nicetas quidem Patricius, Hadriatici freti ſervator cum claſſibus deſtinatus, accepta quaſi per hujuſmodi rem occaſione, multas prædas ab ipſis Sclavinis abſtulit, & quibuſdam caſtris direptis, eorum homines captivos abduxit; nec tamen quæ præfati Venerabiles Apocriſiarii perdiderunt, hactenus reſtituta ſunt. Sane Spiritualem tuam nolumus ignorare Fraternitatem, ſuper caſtra noſtra deſtructa, tot populis Sclavoniæ noſtræ in captivitate ſine qualibet parcitate ſubtractis, ſupra quam dici poteſt animum noſtrum commotum. Non enim congrue geſtum eſt, ut iiſdem Sclavinis noſtris cum navibus ſuis apud Barim in procinctu communis utilitatis conſiſtentibus & nihil ſibi adverſi aliunde imminere putantibus, tam impie domus ſuæ quæque diriperentur; ſibique contingerent quæ ii ſi prænoſcerent, nequaquam prorſus incurrerent.*

XXXII. Subdola Græcorum ars, qua Bulgariam a Sancta Romana Eccleſia avulſam ſibi vindicarunt.

Quod de Apocriſiariis Sedis Apoſtolicæ dicitur, id ut intelligatur, res eſt ab anno uſque 869., quo illi ab Hadriano Papa hujus nominis ſecundo ad octavam Synodum miſſi fuerant, repetenda. Anaſtaſius in Hadriano" Poſt
,, hæc cum Epiſtolis deceſſoris ſui, ſicut ab eo fuerant or-
,, dinati, Donatum Epiſcopum Oſtienſem, & Marinum
,, Diaconum, Conſtantinopolim deſtinavit: quibus ejuſ-
,, dem Epiſtolas ſuo tantum nomine titulatas, ſed & com-
,, mo-

„ monitorium dedit. His autem & Stephanum Nepeſinum „ Epiſcopum ſociavit, eiſque præcepit, ut omne ſcandalum „ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſolerter ſopirent, & ſegregatis a Methodio & Ignatio ſub ſatisfactione libelli, quem „ de ſcrinio ſuſceperant, proprias Eccleſias redderent; „ Photianis vero ſub eadem & ſtrictiori ſatisfactione communicarent quidem, ſed Sacerdotium uſque ad recidivam Apoſtolicæ Sedis ſententiam, manente Sanctiſſimi „ Nicolai Papæ judicio, protelarent„ Habita Conſtantinopoli Synodus III. *Nonas Octobr. Indict.* 3. *anni* 869. & abſoluta *Prid. Kal. Mart. Indict.* 3. *anni* 870." Poſt diem tertium (*inquit Guillelmus Bibliothecarius in vita Hadriani II.*) quo ſacratiſſima Synodus cum ſuis ſubſcriptionibus omnino in codice conſummata redactaque ad omnem „ elegantiam in Eccleſia Sanctæ Sophiæ fuerat; ab Imperatore in domo quadam, Vicarii Patriarcharum, videlicet Apoſtolicæ Sedis, Alexandrini, Antiocheni, & Hieroſolymitani, ſimulque Patriarcha Ignatius, ubi cum aliquibus reſidebat, convocati ſedere jubentur, quo eas, „ quas Princeps Bulgarorum ei literas cum donis per Petrum alioſque direxerat, audirent. Quorum legationem, Imperatore potiſſimum annuente, ſuſcipiunt. Sicque poſt ſalutationem Petrus Bulgarorum Legatus exorditur: Dominus Michael Princeps Bulgarorum audiens, „ quod pro utilitate Sanctæ Dei Eccleſiæ ex diverſis partibus auctoritate Sedis Apoſtolicæ conveneritis, gratanter „ accepit: Vobiſque, qui ex Sede Apoſtolica miſſi eſtis, „ quia in veſtro tranſitu veſtris cum literis viſitare dignati eſtis, multiplices gratias agit. Legati Sanctæ Romanæ Eccleſiæ reſponderunt: Nos, quia vos filios Sanctæ „ Romanæ Eccleſiæ novimus, inſalutatos præterire neque „ debuimus, neque voluimus, quos nimirum Sancta Sedes Apoſtolica, ut propria membra, complectitur. Bulgarorum Legati dixerunt: Uſque hodie pagani fuimus, „ & nuper ad gratiam Chriſtianitatis acceſſimus. Ideoque „ ne in aliquo errare videamur, cui Eccleſiæ ſubdi debeamus, a vobis, qui vices ſummorum Patriarcharum geritis, noſſe deſideramus. Legati Eccleſiæ Romanæ reſpon-

„ ponderunt : Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cui per te, o Pe-
„ tre, tuus ſenior & Beato Apoſtolorum Principi Petro cum
„ omni gentis ſuæ populo ſe tradidit, a cujus ſucceſſore, vi-
„ delicet, egregio Papa Nicolao, & præcepta vivendi, &
„ Epiſcopos, & Presbyteros ſuſcipere meruit; vos per-
„ tinuiſſe, & pertinere debere, etiam in eo monſtratis,
„ quod poſtulatos noſtros Sacerdotes & ſuſcepiſtis, & de-
„ votione congrua retinetis. Bulgarorum Legati dixe-
„ runt: A Sancta Romana Eccleſia Sacerdotes nos petiiſ-
„ ſe, ſuſcepiſſe, hactenuſque habere nos confitemur, &
„ eis omnibus obedire decernimus. Verum, utrum Roma-
„ næ, an Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ rationabiliter ſubdi
„ debeamus, cum his Patriarcharum Vicariis definite. Le-
„ gati S. R. E. reſponderunt: Propter quæ Sancta Sedes
„ Apoſtolica cum Orientalibus definienda mandaverat, Do-
„ mino juvante finivimus. Cauſa autem veſtra non ſecus,
„ quam jam definita eſt, definienda. Quia nihil in manda-
„ tis accepimus, nihil definivimus, vel in præjudicium
„ S. R. E. definiendum cenſemus. Quinimmo quia omnis
„ veſtra patria noſtris Sacerdotibus ubique plena eſt, nul-
„ li vos, niſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ pertinere debere,
„ definitiva ſententia, quantum nobis eſt, promulgamus.
„ Vicarii Orientalium Patriarcharum Bulgaris dixerunt:
„ Quando vos illam patriam cepiſtis, cujus poteſtati ſub-
„ dita erat? Et utrum Latinos, an Græcos Sacerdotes ha-
„ buit, dicite. Legati Bulgarorum dixerunt: Nos illam
„ patriam a Græcorum poteſtate armis evicimus, in qua
„ non Latinos, ſed Græcos Sacerdotes reperimus. Vica-
„ rii Orientalium reſponderunt: Si Græcos Sacerdotes ibi
„ reperiſtis, manifeſtum eſt, quia ex ordinatione Conſtan-
„ tinopoleos illa patria fuit. Legati S. R. E. reſponderunt:
„ Sicut Bulgariæ nobis diverſo modo pertinere ordinatio-
„ nem nos dicentes, mendacium non loquimur: ita nimi-
„ rum eandem Bulgariam ex Græcorum Regno fuiſſe nun-
„ quam negamus. Sed intueri vos decet, quia aliud or-
„ dinant jura Sedium, aliud patiuntur diviſiones Regno-
„ rum. Nos de diviſione Regnorum non agimus, ſed de
„ jure Sedium loquimur. Vicarii Orientalium Patriarcha-
„ rum

Digitized by Google

„ rum dixerunt : Illud , quod vobis diverſo modo Bulga-
„ riam pertinere dicitis, addiſcere volumus. Legati S. R. E.
„ reſponderunt : Sedes Apoſtolica juxta quod in decretali-
„ bus Sanctiſſimorum Romanorum Præſulum doceri pote-
„ ritis , utramque Epirum , novam videlicet veteremque,
„ totamque Theſſaliam , & Dardaniam , in qua & Darda-
„ nia civitas hodie demonſtratur , cujus nunc patria ab his
„ Bulgaris Bulgaria nuncupatur , antiquitus canonice or-
„ dinavit , & obtinuit . Ac per hoc ordinationem , quam
„ tunc paganorum Bulgarorum irruptione amiſerat , non a
„ Conſtantinopolitana Eccleſia , ut modo fingitur , abſtu-
„ lit , ſed ab iis factis modo Chriſtianis recepit . Secun-
„ do modo , quia Bulgaris , qui jure gentili ſibi patriam
„ ſubjugantes , ecce per quot annos retinent , quod cœ-
„ perunt Sedis Apoſtolicæ ſemet (ut ſupra diximus) pa-
„ trocinio , ordinationique ſpecialiter committentes , no-
„ bis debent , nec immerito , ſubjici , quos ultronea
„ voluntate magiſtros elegerunt . Tertio modo , quia
„ eoſdem Bulgaros Sancta Sedes Apoſtolica juſſu quon-
„ dam Sanctiſſimi Papæ domini Nicolai , tam per aliquos
„ noſtrum , qui hic ſumus , illic multas Eccleſias dedi-
„ cantes , Sacerdotes creavimus ; quam per Paulum ,
„ Dominicum , Leopardum , ac Formoſum venerabiles
„ Epiſcopos , ſed & Grimoaldum Coëpiſcopum noſtrum ,
„ quem hactenus iſti Bulgari cum multis noſtris Sacerdoti-
„ bus , in conſpectu veſtro habere faſſi ſunt : a diverſis
„ erroribus ad Catholicæ fidei veritatem , multo ſudore ,
„ Chriſti gratia præduce , transferens , ecce ultra trien-
„ nium (a) tenuit & tenet , ordinat & diſponit . Ideoque
„ conſequens non eſt , ut ſine conſcientia Romani Pontifi-
„ cis Eccleſia Romana , de quibus præſentialiter veſtita
„ cernitur , ſpolietur . Vicarii Orientalium Patriarcharum
„ dixerunt : At quem iſtorum modorum modo diſpenſare
„ velitis , edicite . Legati S. R. E. reſponderunt : San-
„ cta

a *Ultra Triennium* . Exeunte anno 866. miſſi ſunt in Bulgariam a Nicolao Papa Legati Pontificii : die tertio autem Martii anni 87 . dicebant Legati Pontificii ad Græcos Præſules : *Ecce ultra triennium tenuit & tenet* . Veriſſime , ultra triennium.

Digitized by Google

„ cta Sedes Sedes Apoſtolica vos, quia revera inferiores
„ eſtis, ſuper ſua cauſa judices nec elegit, nec per nos
„ eligit: utpote quæ in omni Eccleſia ſola ſpecialiter fas
„ habeat judicandi: ſed neque nobis de hac cauſa ſenten-
„ tiam proferre commiſit. Quapropter & quod ab ea fa-
„ ciendum non ſuſcepimus, ejus cognitionis judicio, quæ
„ librorum multiplicitate ad defenſionem ſui multa pro-
„ ferre prævalet, ex integro reſervamus; a qua omnis
„ veſtra ſententia tanta facilitate reſpuitur, quanta levi-
„ tate profertur. Vicarii Orientalium Patriarcharum di-
„ xerunt: ſatis indecens eſt, ut vobis, qui Græcorum
„ Imperium detrectantes, Francorum fœderibus inhære-
„ tis, in Regno noſtri Principis ordinandi jura ſerventur.
„ Quapropter Bulgarorum patriam, quam ex Græcorum
„ poteſtate dudum fuiſſe, & Græcos Sacerdotes habuiſſe
„ comperimus; Sanctæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, a
„ qua per paganiſmum receſſerat, nunc per Chriſtianiſ-
„ mum reſtitui judicamus. Legati S. R. E. reclamantes
„ dixerunt: Sententiam, quam non electi, neque ad-
„ miſſi, ſive timore, ſive gratia, vel quidquid illud eſt,
„ modo præcipitaſtis, potius quam protuliſtis, auctoritate
„ Spiritus Sancti uſque ad definitionem Sanctæ Sedis Apo-
„ ſtolicæ omnino reſcindimus, ita ut nullo modo vel no-
„ men habere ſententiæ mereatur. Teque reum Patriar-
„ cham Ignatium auctoritate SanctorumApoſtolornm Prin-
„ cipum coram Deo ſuiſque Angelis omnibus præſentibus
„ conteſtamur,ut ſecundum hanc Epiſtolam Sanctiſſimi re-
„ ſtitutoris tui domni Hadriani Summi Pontificis, quam
„ tibi ecce offerimus, induſtria tua ab omni Bulgariæ or-
„ dinatione immunem te, nullum tuorum illuc mittendo,
„ cuſtodias; ne Sancta Sedes Apoſtolica, quæ tibi tua
„ reſtituit, per te ſua perdere videatur. Quin potius, ſi
„ (quod non credimus) juſtam te habere querimoniam
„ æſtimas, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ reſtitutrici tuæ ſo-
„ lemniter ſuggerere non omittas. Tunc Patriarcha Igna-
„ tius Epiſtolam ſuſcipiens, licet magnopere admonitus,
„ eam legere diſtuliſſet, reſpondit: Abſit a me, ut ego
„ his præſumptionibus contra decorem Sedis Apoſtolicæ
„ impli-

„ implicer; qui nec juveniliter ago, ut mihi ſubripi va-
„ leat; nec ita ſimiliter deliro, ut quod in aliis repre-
„ hendere debeo, ipſe committam. Hoc fine collocutio
„ illa finita eſt. „

XXXIII. Quo pacto Apocriſiarii Sedis Apoſtolicæ poſt Synodum octavam redeuntes, in Piratas inciderint.

De ſubdola Græcorum arte, qua Bulgariam a Sancta Romana Eccleſia avulſam ſibi vindicarunt, dicam poſtea. Nunc ad Apocriſiarios Sedis Apoſtolicæ regredior. Quo autem illi pacto in Piratas incurrerint, narrat Anaſtaſius Bibliothecarius in Præfat. ad octavam Synodum, ubi de libellis pœnitentium oblatis, & cuſtodum fraude ſublatis, mox per Baſilium Imp. reſtitutis, demum a piratis interceptis, ſic (a) ſcribit. *Notandum eſt, & memoriæ commendandum, quoniam libelli hujus tenorem beatæ record. Nicolaus Papa expoſuit; ſed quia tunc a prævaricatoribus non eſt admiſſus; rurſus ab Hadriano Papa, mutato nomine Pontificis, Conſtantinopolim eſt tranſmiſſus, ſecundum cujus formam omnes Archiepiſcopi & Metropolitani, & cæteri Epiſcopi Conſtantinopolitanæ diœceſeos, nec non etiam omnes Clerici vel in honorem, vel in communionem conſequendum, Chirographum Sedi Apoſtolicæ Græce ſcriptum fecere, & tum propriæ manus ſcripto, quam teſtium a ſe rogatorum teſtimonio & ſubſcriptione roboravere, nomina & tempus ſignantes, quo ſinguli Chirographum ſuum ſcribebant, & Sedis Apoſtolicæ Legatis porrigebant, ita ut nullus Antiſtitum vel reliquorum Clericorum fuerit in conventu receptus, qui non ſecundum exemplar hujus codicilli Chirographum ſcripſit, & Miſſis Sedis Apoſtolicæ, Eccleſiæ Romanæ nomine deferendum porrexit. Verum poſtquam omnes Chirographa ſua fecerunt, & teſtibus roborata tradiderunt; ſurrexerunt quidam eorum, & ad Sanctiſſimum Patriarcham Ignatium atque ad Baſilium pium Imperatorem accedentes, ſecreto dixerunt: non bene factum fuiſſe, quod Eccleſiam Conſtantinopolitanam tanta ſubjectione Romanæ ſubdi Eccleſiæ permiſerint; ita ut hanc ei tamquam dominæ ancillam tradiderint. Quibus verbis Imperator commotus, juſſit primoribus, qui*

(a) Vide Baron. ad ann. 869. a num. 81.

Vicariorum Apoſtolicæ Sedis obſequio deputati erant, ut quum illi ad aliquam Eccleſiam cum ſuis pergerent, ipſi manſionem eorum ingreſſi, Chirographa illa latenter auferrent. Nam eos palam ſcandalizare, penitus recuſabat. Quum ergo Vicarii, Donatus ſcilicet & Stephanus Epiſcopi, atque Marinus Diaconus ad collocutionem Patriarchæ perrexiſſent, cuſtodes fures facti, penetrantes domum, quamdam partem clanculo ex illis numeroſis chirographis abſtulere. Quo illi reverſi comperto, taliter inter alia Imperatori loquentes dixere: nos quidem Romam ob amiſſa Chirographa redire non audebimus; tu tamen inchoatæ pro Eccleſiæ ſtatu pietatis nihil omnino mercedis lucraberis. Nos autem (pergit Anaſtaſius de ſe ipſo dicens) *qui pro cauſa nuptialis contractus inter utrumque Imperatorem efficiendi aderamus, his ei verbis dicta tranſmiſimus: non decet Imperatoriam poteſtatem, aut ea facere, quæ deſtruenda ſunt, vel deſtruere, quæ non deſtruenda conſiſtunt. Quum ergo conſenſu tuo chirographa facta fuerint, ſi male conſenſiſti, palam pœnitentiam age; & quod feciſti, non clam, ſed palam deſtrue? Jam vero ſi bene feciſti, conſentiendo, ut Sedi Apoſtolicæ pro futura cautela fierent ab Epiſcopis Chirographa; quamobrem ea, pœnitens de bono, ſublata tegi conſentis? Jam vero ſi fateris, quod non voto tuo factum fuerit, ut auferrentur chirographa, reſpondemus: tum liquido patebit, voto tuo non fuiſſe tantum piaculum commiſſum, quum hos diſtringens, quos Vicariis pro cuſtodia dediſti, quæ ablata ſunt, eos reddere jure coëgeris. Neque enim alii debent reſtituere, vel corrigere, ſi quid Vicarii perdiderunt, vel ſiquid ſiniſtri perpeſſi ſunt, niſi illi, qui hos cum ſuis omnibus ad cuſtodiendum reverenter & ſalvandum inſigniter Imperatoria pietate receperunt. At vero Imperator his auditis, accerſivit Vicarios, & eis omnia Chirographa reddidit, ut nec unum ſaltem deeſſe putaretur, dicens: Ego quidem ut magiſtram Eccleſiaſticorum negotiorum Sedem Apoſtolicam per meos Legatos adii; & ideo veſtram præſentiam præſtolatus ſum, ut veſtro decreto & ſolertia, Eccleſia noſtra remedia ſanitatis reciperet, & nos non noſtris motibus,*

bus, ſed veſtræ ſententiæ pareremus. Ergo Chirographa, quæ a noſtris Sacerdotibus ac cunctis Clericis ſalubriter exegiſtis, recipite, & ſpiritali Patri noſtro ſanctiſſimo Papæ repræſentate: ita ut ſiquis eorum per abrupta vitiorum vel devia pravitatum ſolito incedere more tentaverit, his quodammodo ab eis refrænetur, & talibus loris ad rectum juſtitiæ tramitem revocetur. Quo facto Vicarii gaviſi libellos acceptos caute nobis deferendos tradiderunt: qui videlicet ut remeandi ad patriam iter arripuiſſe reperti ſumus, quia Dyrrhachio navigio venimus Sipontum, deinde terreno itinere Beneventum, poſthæc Romam, eoſdem libellos portantes. Miſſi vero Sedis Apoſtolicæ, Dyrrhachio ſimili modo navim ingreſſi, Anconam petebant. Sed in Sclavenorum (a) *piratas incurrentes, omnia quæ poſſidere videbantur, penitus amiſerunt, ſimul & Codicem Actionum præſentis Synodi. Verum ego, qui Romanæ Bibliothecæ curam gerebam, ſtudium habui a Conſtantinopoli mecum ipſius Synodi codicem deferendi, delatumque ſummo Pontifici repræſentavi. Ac per hoc factum eſt, ut Sedes Apoſtolica, Deo auctore, Codicem Synodi per nos ſuſciperet, & libellos Miſſis quidem a nobis redditos, ſed per nos ſalvatos haberet, quos nimirum ſi Miſſi penes ſe retinuiſſent, ut Codicem Synodi & cætera ſcripta, hos proculdubio perdidiſſent.* Hucuſque Anaſtaſius. Guillelmus Bibliothecarius idipſum ſcribit: *Sed Imperialis commotio* (inquit) *licet ſpem fronte ſimularet, augmentum ſuſcepit; Legatos tamen S. R. E. ad prandium convocans, donis optimis decoravit; eoſque Theodoſio Spathario non ea, qua congruebat, ſollicitudine, deducendi gratia, commendavit. A quo Dyrrhachium uſque perducti, negligenterque ſine ulla proviſione dimiſſi.* In vita Hadriani II. de iiſdem

---

a Farlatus Illyrici Sacri Tom. 1. pag. 220. *Narentanis quoque attribuendum cenſeo quod Anaſtaſius Bibliothecarius refert de Legatis Hadriani Pontificis; qui poſt octavam Oecumenicam Synodum, qua in Sedem Conſtantinopolitanam reſtitutus eſt Ignatius Photio expulſo, quum in Italiam Supero mari tranſmitterent, a Slavis piratis, in quos inciderant, capti ſunt, exutique rebus omnibus: ex quo factum eſt, ut Acta autographa ejuſdem concilii, quæ ſecum deferebant, intercideringt.* Atqui tum Narentani, tum alii Slavi Maritimæ Dalmatiæ, tunc temporis, Baſilio Imperatori parebant. Quamobrem Græcorum fraudi tribuendum eſt, quod ad piratas Slavos illi retulere.

iiſdem Legatis. *Poſt dies aliquot navigantes, in Sclavorum deducti manus, proh dolor! inciderunt. Bonis omnibus, ac authentico, in quo ſubſcriptiones omnium fuerunt, denudati ſunt; ipſique capite plexi eſſent, niſi ab his, qui ex illis aufugerant, timeretur. Tandem Apoſtolicis Imperialibuſque literis ab exilio liberati, undecimo Kalendarum Januariarum die, Indictione quarta* (exeuntis anni 870.) *Romam reverſi, omnia quæ ſuperius diximus, coram ſummo Pontifice & Proceribus retulere, nihil aliud ſcripturarum, quam librum Actionis Ignatii, & libellos, quos a Slavis receperant, & reliquos libellos, quos Supponi Archiminiſtro Imp. & Anaſtaſio prudentiſſimo Bibliothecario Sedis Apoſtolicæ, (cujus præſcientiæ ſolicitudine, ſalvos, & exemplar amiſſæ Synodi, quod ſibi ſcribendum impetraverat, Eccleſia Romana ſuſcepit:) dudum Conſtantinopoli commendaverant, oſtendere potuerunt.*

Baronius ad ann. 869. num. 86. hiſce narratis addit: " Ceterum in Hadriani Papæ Epiſtola ad Baſilium Imp. ,, data anno (*a*) ſequenti, nequaquam ex literis Imperatoris, ſed divino tantum auxilio liberatos Legatos aſſeritur. Imo non ſine magna Imperatoris culpa in tantum ,, diſcrimen incurriſſe Legatos, idem Hadrianus ſignificat, ſic inquiens in Epiſt. ad Baſil. Imp. data an. 871. ,, Apocriſarios quoque noſtros, ſuper quorum nihilominus ,, reverſione ſcripſiſtis, licet ſero, poſt multa tamen pericula, deprædationes, atque propriorum hominum trucidationem, nudos tandem recepimus, non cujuslibet ,, hominis fretos auxilio, ſed Dei ſolius præditos adminiculo. Unde audientes hæc univerſi gemunt: & quia iſti ,, pertulerunt, quæ ſub nullo piorum Principum quemquam ,, Sedis Apoſtolicæ Miſſum pertuliſſe recolunt, omnes ſtupefacti mirantur, fitque continui clamoris ab Eccleſia ,, noſtra murmur, quod ita diſpoſitionis veſtræ conſtitutio ,, improvide prodire potuerit, ut in barbarorum gladios, ,, nullo Imperii veſtri fulti præſidio, miſeranter inciderint;

a Hanc Epiſtolam recitat Baronius non anno 870. ſed 871. num. 10. & ſeq.

„ rint; præſertim quum hos, quos ab Apoſtolica Sede „ toto deſiderio poſtulaveratis, & ab ipſis Apoſtolorum „ Principum tectis per Legatos veſtros ſalvos acceperatis, „ ſalvos rurſus, diſpoſitis rite propter quæ miſſi fuerant, „ ad propria remittere, ſumma diligentia procurata de- „ bueritis; exemplo ſaltem provocati Michaëlis deceden- „ tis Imperatoris, qui quos ab Apoſtolica Sede ſuſcipere „ meruit, idoneo ſociato prævio, ut noſtræ illæſi præ- „ ſentarentur Eccleſiæ, ſolerti cura ſategit. „

Ex quibus omnibus non immerito colligitur, Græcorum opera, & ipſius fortaſſe Baſilii ſtudio aut ſaltem permiſſu factum eſſe, ut Sclavi, ſive Narentani ſive alii Chrobati, Imperio Orientali obnoxii, in navim, qua Legati Pontificii Dyrrhachio Anconam petebant, invaderent, ut eos ſcil. authenticis quos ferebant libellis ſpoliarent, quemadmodum idem ipſe Baſilius a cuſtodibus fieri juſſerat aut permiſerat, dum Chirographa clam ſubripuere, uti ſupra narratum eſt.

XXXIV. Carolomannus, Ludovicus, & Carolus Ludovici Regis Germaniæ filii cum Slavis Bohemis, & Sorabis, atque Siusliis, cum Raſtice Moraviæ Rege, & cum Zuentibaldo ejuſdè Raſticii filio, tribus cōparatis exercitibus congrediuntur, & victoriam reportant. Gundacharus qui ad Raſticen defecerat occiditur.

Anno 869. Fuldenſis. *Sclavi qui vocantur Behemi, terminos Bajoariorum crebris incurſionibus infeſtant, & quaſdam villas incendio tradentes, mulieres inde duxere captivas. Contra quos Ludovicus Rex tutores partium illarum interim miſit, donec ipſe opportuno tempore ſuorum vindicaturus injuriam in deſertores arma corriperet. Carolomannus exercitibus Raſtici bis numero congreſſus, victor extitit, prædam inde capiens non modicam, ſicut ipſe litteris ad patrem ſuum deſtinatis retulit. Sorabi, junctis ſibi Behemis, & cæteris circumcirca vicinis, antiquos terminos Thuringiorum tranſgredientes, plurima loca devaſtant, & quoſdam ſibi incaute congredientes interficiunt. Gundachar vaſſallus Carolomanni, qui multis perjuriis, & doloſis machinationibus, Ludovico Regi, ejuſque filiis ſæpe numero extitit infidelis, & proprium dominum derelinquens, ad Raſticen defecerat, contra patriam, more Catilinæ, dimicare volens, occiſus eſt. Hic Carolomanni ducibus ad locum certaminis appropinquantibus, dixiſſe fertur ad eos, quibus a Raſtiſo erat prælatus: Pugnate fortiter, veſtram Patriam tuentes. Ego enim in hoc certamine.*

mine vobis proficuus non ero, quoniam Sanctus Emmerammus, cæterique Sancti, in quorum reliquiis Ludovico Regi, filiiſque illius fidem me ſervaturum eſſe juravi, meum clypeum & haſtam tenentes, mea brachia iiſdem deprimunt, & me undique conſtrictum, quaſi loris ligatum retinent, itant nec manum quidem ad as mittere valeam. Dum hæc loqueretur, noſtris ſupervenientibus occubuit, Domino illi infidelitatis ſuæ condignam mercedem retribuente. Quod quum Regi relatum fuiſſet, omnes in commune laudare Dominum, ſignis etiam cunctarum in Reganesburg Eccleſiarum concrepantibus, pro interitu hoſtis extincti præcepit. Menſe vero Auguſto Rex Ludavicus collectis copiis in tres partes dimiſit exercitum. Æquivocum ſuum cum Thuringiis, & Saxonibus ad camprimendam Sorabum audaciam deſtinavit. Bajoarios vero Carolomanno in adjutorium fore præcepit, contra Zuentibaldum nepotem Raſtizi dimicare volentem. Ipſe autem Francos, & Alemannos ſecum retinuit adverſus Raſtizen pugnaturus. Quumque jam proficiſcendum eſſet, ægrotare coepit. Unde neceſſitate compulſus, Carolum filiorum ſuorum ultimum eidem exercitui præficit, Domino exitum rei commendans. Qui dum cum exercitu ſibi commiſſo in illam ineſſabilem Raſtizi munitionem & omnibus antiquiſſimis diſſimilem veniſſet, divino auxilio fretus, omnia mœnia regionis illius cremavit incendio, & abſcondita quæque in ſylvis, vel defoſſa in agris reperiens cum ſuis diripuit, omneſque ſibi congredientes fugere compulit, vel interfecit. Nec minus Carolomannus Regnum Zuentibaldi nepotis Roſtizi igne, & gladio depopulatur, vaſtataque omni regione, Carolus, & Carolomannus fratres convenerunt, de victoria ſibi cœlitus data gratulantes. Interea Ludovicus frater illorum cum Sorabis manum conferens, primo quidem quibuſdam occiſis, hoſtes terga vertere coëgit: deinde vero non modica ex eis multitudine proſtrata, & Behemis, qui a Sorabis mercede conducti fuerant, partim occiſis, partim turpiter ad ſua redeuntibus, cæteras in deditionem accepit. Bertinianus: Ludovicus Ludovici Germaniæ Regis filius cum Saxonibus Winidis, qui in Regionibus Saxonum ſunt, bellum committens, cum multa ſtrage hominum ex

utra-

Digitized by Google

utraque parte quoquo modo victoriam eſt adeptus.

XXXV. Raſtices Moravorum ſeu Vvinidorum Rex, dolo nepotis Zuentibaldi, capitur a Carolomanno, & ad Ludovicum patrem, Germaniæ Regem mittitur: qui illum excæcari, & in Monaſterium detrudi præcepit. Contentio Ludovici & Caroli filiorum cum Patre Ludovico, quod is erga Carolomannum inclinatiori eſſet animo.

Anno 870. Bertinianus. *Ludovicus Germaniæ Rex mox ut aliquantulum de morbo convaluit, ad Reginiſburg pergens, Raſtitium winidorum Regulum a Carolomanno per dolum nepotis ipſius Raſtitii captum, & aliquandiu in cuſtodia detentum, poſt judicium mortis excæcari, & in monaſterium mitti præcepit: ſuoſque filios Ludovicum, & Carolum ad ſe venire præcepit: qui ſentientes, ſatagente matre, inclinatiorem eſſe voluntatem patris erga Carolomannum, quam erga ſe, ad illum venire detractaverunt. Tandem interventu Legatorum Sedis Apoſtolicæ, inter patrem & filios utrinque factæ ſunt firmitates, ut uſque ad futurum menſem Majum, & ipſi ex parte patris ſecuri manere poſſent, & vaſtationem Regni, quam incæperant, dimitterent.* Fuldenſis. " Zuentibald nepos Raſtizi, propriis utilitatibus conſulens, ſe Carolomanno una cum Regno, quod „ tenebat, tradidit. Unde Raſtiz vehementer iratus, nepoti occulte ponit inſidias, & eum in convivio nihil mali ſuſpicantem jugulare diſponit. Sed gratia Dei a periculo mortis liberatus eſt. Nam antequam illi, qui eum necaturi erant, domum intrarent, ſurrexit de loco convivii, annnente ſibi quodam ejuſdem fraudis conſcio, & quaſi cum falconibus ludum exercens, præparatas devitavit inſidias. Raſtiz autem videns denudatum conſilium ſuum, nepotem cum militibus quaſi comprehenſurus inſequitur; ſed juſto judicio Dei captus eſt laqueo quem tetendit; nam ab eodem nepote ſuo comprehenditur, ligatur, & Carolomanno præſentatur: a quo ſub militibus illum ne elàberetur obſervantibus, in Bajoariam miſſus, uſque ad præſentiam Regis ſervandus in ergaſtulum retruditur. Carolomannus vero Regnum illius nullo reſiſtente ingreſſus, cunctas civitates, & caſtella in deditionem accepit, & ordinato Regno, atque per ſuos diſpoſito, ditatuſque gaza Regia, revertitur. *Et paulo poſt*. Ludovicus Rex circa Kal. Novemb. in Bajoariam profectus eſt, ibique cum ſuis colloquium habens, Raſtizen gravi catena ligatum ſibi præſentari juſſit, eumque Francorum judicio, & Bajoariorum, necnon Sclavornm, „ qui

„ qui de diverſis provinciis Regi munera deferentes ade-
„ rant, morte damnatum, luminibus tantum oculorum
„ privari præcepit

XXXVI. Bulgarorum Rex a Paulo Presbytero Romano ad Chriſt. [illegible], necnon a S. Methodio converſus, Epiſcopum, & Clericos a S. Romana Eccleſia poſtulat. Sed dolo Græcorũ ejectis Latinis Sacerdotibus, Bulgari Græcos recipiunt.

Abſoluta pridie Kalendarum Martiarum anni 870. Synodo Conſtantinopolitana, & Legatis Apoſtolicæ Sedis, ut ſupra dictum eſt, dimiſſis, Bulgari Græcos Sacerdotes, ejectis Romanis, receperunt. Anaſtaſius in præfat. ad VIII. Synodum. *Quum Rex Vulgarorum cum propria gente fidem ſuſcepiſſet per hominem Romanum, ideſt quemdam Presbyterum Paulum nomine, documentum, atque myſterium propoſitum habuit a Sede Apoſtolica, non modo fidei regulam, ſed & Sanctæ Legis ſumere diſciplinam: quod & fecit, non ſolum a præfato Presbytero, verum etiam per divinam revelationem inſtructus*. Pagius ad annum 867. num. IV. his verbis Anaſtaſii recitatis, addit num. V *Quare poſt hæc verba, quum Rex Vulgarorum cum propria gente fidem ſuſcepiſſet, ponenda interpunctio; alioquin verum non eſſet, Bulgarorum Principem Conſtantinopoli baptizatum fuiſſe: quod tamen in dubium revocari non poteſt, ut ex dictis anno ſuperiori etiam conſtat*. Verum, etſi Pagio, Græciſque Scriptoribus concedatur, Michaelem Bulgarorum Regem Conſtantinopoli fuiſſe baptizatum, non eſt tamen verbis Anaſtaſii vis inferenda, ſcribentis, *eum Regem cum ſua gente fidem ſuſcepiſſe per hominem Romanum*: loquitur enim Anaſtaſius de prima ejus Regis, ac gentis converſione, quæ certe per hominem Romanum, ideſt *Methodium*, contigit; non de ſuſcepto ſubinde baptiſmo, quod neque Conſtantinopoli factum eſt, uti mox patebit. Quid? ſi pro *Methodio*, apud Anaſtaſium *Pauli* nomen obrepſerit? nam Paulus, qui una cum Formoſo, in Bulgariam miſſus fuit, Epiſcopus Populonienſis erat, non Presbyter. Verum Anaſtaſii verba plana ſunt. Paulus Presbyter Romanus in Bulgaria degebat tum, quum Bogoris baptizatus eſt, quem proinde idem Bogoris una cum ſuis Legatis Romam miſit anno 866. Nicolaum Papam conſulturus de rebus Eccleſiaſticis Guillelmus Bibliothecarius in vita Hadriani II. *Superiore tempore* (anno ſcil. 866) *Formoſus Portuenſis, & Paulus Populonienſis Venerabiles Epiſcopi, qui cum cæteris juſſu Sanctiſſimi Pa-*

pæ

pæ Nicolai, *cauſa prædicationis*, *deſtinati fuerant*, *remeantes*, *de Chriſtianitate Bulgarum ac omnimoda ſubjectione*, *quâ ſpecialiter S. Romanæ Eccleſiæ devotiſſima colla ſubmiſerant*, *Sedem Apoſtolicam recrearunt*, *& Michaëlis Bulgarici Regis Legatum*, *Petrum nomine*, *ſummo Pontifici* (*a*) *præſentarunt* (anno nimirum 867.) *Qui Legatus cum donis regalibus*, *regias quoque literas obtulit*, *ſummum Præſulem ſummopere deprecantes*, *ut aut Marinum ſibi compertum Diaconum Archiepiſcopum conſecratum remitteret*, *aut aliquem ex Cardinalibus dumtaxat ſuæ Eccleſiæ*, *virum ſapientia*, *perſona*, *vitaque Archiepiſcopatu digniſſimum*, *Bulgaris eligendum dirigeret*, *quem poſt approbationem eorundem*, *denuo remeantem Archiepiſcopali miniſterio ſublimaret*. *Sed Marino Conſtantinopolitanum miſſaticum devotiſſime*, *ut diximus*, *fortito* (quem Hadrianus Papa, una cum Donato Oſtienſi, & Stephano Nepeſino Epiſcopis ad Synodum Conſtantinopolitanam anno 869. miſit) *Summus Pontifex Silveſtrum quemdam Bulgaris eligendum direxit*, *quem cum Leopardo Anconitano & Dominico Tarviſienſi Epiſcopis*, *ſimul & literas pro* *Ar-*

a Anaſtaſius hæc fuſius narrat in vita Nicolai I. *Porro*(inquiens) *a prænominato Rege Bulgarorum*, *Apoſtolici Miſſi pia mente*, *clariſſimaque devotione ſuſcepti*, *cœpere ſalutaribus edocere populum monitis*, *& a minimo uſque ad maximum ſacro fonte*, *Dei gratia*, *abluere*, *omnemque ritum Chriſtianæ fidei* (*ſicut a ſanctiſſimo Papa inſtructi fuerant*) *& conſuetudinem Bulgaris tradiderunt*. *Glorioſus autem Rex Fidei tanta cœpit flagrare monitis hu us pii Patris conſtantia*, *ut omnes a ſuo Regno pellens alienigenas* (Græcos ſcil. Sacerdotes, qui Bulgaros ſacro Chriſmate ungebant) *præfatorum Apoſtolicorum ſolummodo prædicatione ujus Miſſorum*, *paſcuis vitæ æternæ jugiter refici pia mente decrevit*: *unumque ex eis Formoſum vita & moribus Epiſcopum*, *ſibi dari*, *Archiepiſcopum expetierit*. *Tunc iterum idem Rex Legatos ſuos Romam direxit*, *& inter alia beatiſſimo Papæ idipſum ſuggerens*, *ab ejus ſanctitate gentis illius Presbyteros poſtulavit*. *Ipſe vero talibus Papa compertis*, *valde gaviſus eſt*, *& infinitas Deo laudes rependens*, *non paucos numero coram ſe probavis Presbyteros*, *& quos dignos reperis*, *prædicationis gratia in Bulgariam direxit*, *cum quibus Dominicum Trivenſem* (Tarviſinum) *& Grimoaldum Polimartienſem Epiſcopos deſtinavit*: *ut quia Formoſum ipſum plebem ſuam dimittere ſibi creditam non oportebat Epiſcopum*, *ex his Presbyteris ad Archiepiſcopatus dignitatem*, *qui dignus inveniretur*, *in nomine Domini tandem eligeretur*, *& Sedi conſecrandus Apoſtolicæ mitteretur*. *Inter hæc idem ſtatuit beatiſſimus Papa*, *ſolertiſſimuſque vitiorum corrector & Dei cultor*, *ut penetrantibus ipſam Bulgariam Epiſcopis Paulus*, *cujus ſupra mentionem fecimus*, *Populonienſis*, *ipſeque Grimoaldus Epiſcopi*, *in Bulgaria quidquid ad divinum miniſterium pro inſtitutione gentis illius pertineret*, *efficerent*. *& ſæpius dictus Formoſus & Dominicus Venerabiles Epiſcopi*, *iterum Conſtantinopolim pro ſchiſmate ibi exorto proficiſcerentur*. Quæ omnia ante cædem Michaelis Imperatoris, quæ anno 867. die 24. Septembris contigit, peracta fuiſſe, ſupra dictum eſt.

Digitized by Google

Archiepiſcopo, aut Formoſo Portuenſi Epiſcopo remittendo importuniſſime deprecantes remittentibus Bulgaris magna ſub velocitate, recepit. Quibus inter nonnulla reſcripſit, ut quemcumque nominatim devotio regalis exprimeret, eum ſine dubio Pontificalis proviſio Bulgaris Archiepiſcopum commodaret. At vero Bulgarum Rex expectationum moras diutius ferre non valens, ad Græcorum Imperatorem, qui notorum Theodoræ occaſione, alterna Regna ſibi alternatim rapere machinabantur, adductus, eundem Petrum, quem a Roma ſine deſiderii ſui effectu, ſero receperat, cum aliis a latere ſuo Conſtantinopolim [exeunte anno 869. aut ineunte 870.] *requiſitionis gratia, cui potiſſimum Bulgaria pertinere deberet, emiſit: ibique a Legatis noſtris, quod juri Romano pertinerent, ſunt convicti* [in ea collocutione, quæ poſt abſolutam Synodum, menſe Martio anni 870. facta eſt] *At poſtmodum per Orientales Conſtantinopolitanoſque donis, ac promiſſionibus perſuaſi, Græcos Sacerdotes, juxta quod Grimoaldus Epiſcopus qui ab his ſe repulſum fatetur, ſuſcipientes, noſtros ejiciunt, & per eundem Grimoaldum Epiſcopum, quia ſine conſcientia Sedis Apoſtolicæ commiſſum ſibi prædicationis officium deferens, Romam ditiſſimus remeavit, magnum Epiſtolæ volumen frivolis allegationibus, tamquam ſub prætextu deliberatæ ſententiæ Synodo præſidentium implicatum, Apoſtolicæ Sedi ſuper excuſatione ſua remiſit. In quo facto, quia Epiſcopus a Bulgaris expulſum, Epiſtola tacente, ſe aſſerit, & Presbyteri non ſe pulſos a Græcis, vel Bulgaris, ſed ab Epiſcopo circumventos; profecto dubium, quin mutuæ ſubſit proditionis imago, donec Chriſtus renum rimator, & cordium, in ſuorum ſervorum examine, hanc in lucem protulerit, non videtur.*

XXXVII. Hadriani II. Papæ querelæ de ſuis Legatis in Slavorum deprædationem incurrentibus, deque Latinis Epiſcopis, & Clericis à Bulgaria ejectis. An primus à Græcis ad Bulgaros miſſus Epiſcopus Theophylactus, an Gabriel?

Ignatius ab octava Synodo, favore Hadriani Romani Pontificis, in Sedem ſuam Conſtantinopolitanam reſtitutus, ſtatim poſt Legatorum Sedis Apoſtolicæ ex illa Urbe abſceſſum, auxilio Imperatoris unacum Legatis Bulgarorum, miſit in eam provinciam, tamquam ad Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diœceſim pertinentem, creatum à ſe Epiſcopum (*a*) unacum aliis Clericis Græcis, *Theophylactum* no-

a Baron. ad ann. 870. num. 54. & Pagius num. 11. Ignatius Bulgaris *Theophylactum*

nomine. Id quod quum Hadrianus Papa accepiſſet, hanc *excellentiæ veſtræ literis &c.* Queritur [illegible] Legatis in Slavorum deprædationem incurrentibus. Deinde aliam ſubjungit æque juſtam querelam, dicens:
„ Eſt præterea & aliud, quod prima pietatis veſtræ ope-
„ ra, vel circa Sedis Apoſtolicæ prioris benignitatis in-
„ dicia contra ſpem noſtram decoloraſſe convincitur, imo
„ funditus deſtruxiſſe probatur: videlicet, quia favore
„ veſtro frater & coëpiſcopus noſter Ignatius, Vulgarum
„ regioni conſecrare præſumpſit Antiſtitem. Unde mirati
„ ſumus, & quod à pia intentione veſtra retroverſi ſitis,
„ admodum obſtupuimus. Veruntamen ſaltem nunc jam
„ dictum reverentiſſimum Præſulem ab illius regiminis
„ diſpoſitione ſalubribus monitis quæſumus coerceret,
„ alioquin nec ipſe canonicam effugiet ultionem; nec hi
„ qui Præſulatus vel alterius officii ſibi nomen illic uſur-
„ pant, cum excommunicatione, qua jam tenentur ad-
„ ſtricti, etiam proprii gradus jactura carebunt,, In ea vero Epiſtola, quam ad Ignatium Patriarcham dedit, idem Hadrianus Papa lamentatur, omnes Latinos Epiſcopos & Clericos cum ignominia & contemtu è regione Bulgarorum expulſos fuiſſe. „ Scripſiſti (*inquit*) ut illa tua multa alia
„ omittimus) ut Presbyteri noſtri e Bulgarorum regio-
„ ne magno cum dedecore & contumelia ejicerentur, &
„ Epiſcopi cum non parva ignominia, nulla dignitatis
„ habita ratione, inde expellerentur, & hæc quidem
„ ſcribere auſus es, licet nullum hac de re coram no-
„ bis judicium habitum ſit. Neque enim ſuper hoc, ut
„ jus diceremus, fuimus acceſſiti. Sin autem dixeris,
„ priores nos Conſtantinopolitanæ Diœceſeos Presbyte-
„ ros in prædicta regione rem ſacram facere prohibuiſſe;
„ non inficias imus. Erant enim ex eorum numero, qui
„ cum Photio communicaverant, atque ejus ſocii: qui
„ non ſolum ne Sacerdotum munus exercerent in prædi-
„ cta regione Bulgarorum, interdiximus; verum etiam

 „ nunc

Archiepiſcopum hoc anno conſtituit. Eſt hic diverſus a Theophylacto Archiepiſcopo: qui claruit anno circiter 1080. de cujus operibus legendi Labbeus, & Oudinus.

„ nunc iterum interdicimus: Oportebat igitur, ut ratigione Bulgarorum patrares. „ Porphyrogenitus tamen in Baſilio Macedone, Avo ſuo, num. xcv. tacitis quæ Latinos inter & Græcos de Bulgarorum regimine verſabantur controverſiis, in Avi gratiam ſcribit: „ Ea gens (*ſcil.* „ *Bulgarorum*) etſi antea ad pietatem tranſiſſe viſa fue- „ rat, & Chriſtianorum ritus recepiſſe; adhuc tamen in bo- „ no inſtabilis ac quaſi volatica erat, velut folium quod „ facile levi aura quatitur atque movetur. Crebris ta- „ men Imperatoris hortamentis, ſplendidiſque acceptio- „ nibus ac cultu, nec non magnificis largitionibus ac mu- „ neribus Archiepiſcopum recipere ſuadetur, nec plures „ in provincia creari Epiſcopos, iiſque conſtipari abnuit. „ Horum opera, eorumque, quos ex montibus & caver- „ nis terræ religioſiſſimos monachos Imperator acciverat, „ inque eam meſſem deſtinaverat, avitis moribus valere „ juſſis, in Chriſti ſagenam quidquid Bulgaricæ gentis „ eſt, conceſſit „. Primi ad Bulgaros Archiepiſcopi miſſi nomen à Baronio, Pagio, & aliis dicitur fuiſſe *Theophylactus*: ſed nullo antiquo teſte. Si Photio fides eſt adjungenda, is fuit *Gabriel*. Nam in Pſeudoſynodo Photiana poſt mortem Ignatii anno 879. menſe circiter Novembri inchoata, ſubſcripſiſſe reperitur *Gabriel Achridæ* Γαβριὴλ Α'χρίδης ſed non inter metropolitas cenſetur, quia nempe Achridæ nondum Bulgarorum Archiepiſcopus conſiſtebat. Vide tom. xi. Concil. edit. Venet. anni 1730. pag. 339. lin. 20. Vereor tamen ut ea fere omnia Epiſcoporum nomina ſint a Photio conficta. De Georgio, cujus in epiſt. 75. Joannis Papæ fit mentio, dicam poſtea quum de Moravorum Antiſtite Methodio ſermo erit.

XXXVIII. Zuentibaldus, Raſticis nepos Moraviæ Rex infidelitatis crimine accuſatus, in cuſtodia detinetur. Moravi Sclavorum quendam Presbyterum ſibi Regem præficiunt putantes Zuentibaldum extinctum fuiſſe. Zuentibaldus abſolutus atque dimiſſus, armis in Bojoarios motis Carolomannum compellit, omnes obſides qui in ſuo Regno erant, ſibi reſtituere. Bohemos una cum Moravis in Bajoariam irrumpentes, per Arnum Epiſcopum, Ruodolfum Comitem aliaſque Ludovicus Rex comprimit.

Anno 871. Bertinianus Annaliſta. " Sicque ab invicem „ *Ludovicus & Carolus* in capite menſis Septembris ſepa- „ rati, quiſque ad ſua repedare curavit. Ludovicus „ ſcil. ad Rainisburg perrexit, quia maximum damnum „ à nepote Reſticii, qui Principatum Winidorum poſt „ eum ſuſceperat, habuit, intantum, ut Marchiones „ cum plurima turba ſuorum perdiderit, & terram quam

„ in

„ in præteritis annis obtinuerat, pernicioſe amiſerit.
„ *Fuldenſis*. Zuentibald nepos Raſtizi apud Carolomannum
„ infidelitatis crimine inſimulatus, in cuſtodiam miſſus
„ eſt. Sclavi autem Marahenſes Ducem ſuum periſſe pu-
„ tantes, quemdam Presbyterum ejus Ducis propinquum
„ nomine Sclagamarum (*a*) ſibi in Principem conſtituunt,
„ ei minantes interitum, niſi Ducatum ſuper eos ſuſcipe-
„ ret, qui eiſdem neceſſitate coactus aſſenſum præbens,
„ contra Engiſcalcum & Willihelmum Duces Carolomanni
„ prælia movere, & eos ex obſeſſis civitatibus expel-
„ lere nititur. Illi vero adverſus hoſtem pari intentione
„ dimicantes, & nonnullos de exercitu ejus proſternen-
„ tes, eum fugere compulerunt: *& poſt pauca*. Rex
„ Ludovicus menſe Junio ad Occidentem profectus, loca
„ ad ſe pertinentia peragravit. Interea Zuentibald, quum
„ nullus crimina quæ ei objecta fuerant probare potuiſ-
„ ſet, à Carolomanno dimiſſus, & muneribus regiis hono-
„ ratus in Regnum ſuum rediit, ducens ſecum Caroloman-
„ ni exercitum, quaſi Sclagamarum expugnaturus. Sic
„ enim per dolum Carolomanno promiſerat, ſi ei ad pa-
„ triam reditus concederetur. Sed ſicut ſolet incautos &
„ de ſe præſumentes ſequi ignominia, ſic illi contigit
„ exercitui. Nam Zuentibald ceteris caſtrametantibus,
„ Urbem antiquam Raſtizi ingreſſus eſt, ſtatimque Scla-
„ viſco more fidem mentitus, & juramenti ſui oblitus,
„ non ad expugnandum Sclagamarum, ſed ad ulciſcendam
„ contumeliam à Carolomanno ſibi illatam vires ſtudiumque
„ convertit. Denique Bajoarios nihil mali ſuſpicantes,
„ & minus ſe obſervantes, cum exercitu in caſtris aggreſ-
„ ſus eſt, & multos ex eis vivos comprehendit, ceteris
„ pene omnibus occiſis, exceptis his qui prius ſe pru-
„ denter de caſtris ſubtraxerant; omniſque Noricorum
„ lætitia de multis retro victoriis converſa eſt in luctum
„ & lamentationem. Quibus auditis, Carolomannus de
„ exercitus ſui interitu nimium conſternatus eſt, & ne-
„ ceſſitate compulſus, omnes obſides, qui in ſuo Regno
„ erant, juſſit colligi, & Zuentibaldo reddi, vixque unum
„ vi-

a Leg. *Slaumirum*.

„ virum Ratbodonem inde seminecem recepit. Et n...
„ Rex Ludovicus menſe Octobri cum ſuis colloquium ha-
„ buit in Franconofurt. Inde in Bajoariam profectus,
„ contra Behemos irruptionem inRegnum ſuum molientes,
„ tutores partium ſuarum miſit, Arnum (a) videlicet
„ Epiſcopum, & Ruodoldum Comitem, alioſque cum
„ eis. Adverſarii autem quendam locum vallo firmiſſi-
„ mum circumdederunt, iter anguſtum in ipſo aditu fa-
„ cientes, ad inſidias ſcil. illorum qui terminos obſerva-
„ bant,ut ſi forte aliquis ex illis illuc veniret,in ipſo angu-
„ ſto itinere nuſquam declinare valens occideretur. In-
„ terea Sclavi Marahenſes nuptias faciunt, ducentes cu-
„ juſdam Ducis filiam de Behemis. Quod quum ſupra-
„ dicti viri, ideſt, Arni, & alii qui cum eo erant, com-
„ periſſent, illico armati adverſarios ſequebantur. Illi
„ autem fugientes, ad vallum memoratum ignari vene-
„ runt, ibique propter loci anguſtiam, equis & armis
„ derelictis, vix nudi evaſerunt. Noſtrates vero ſu-
„ pervenientes 644. equos cum frænis & ſellis, atque
„ ejuſdem numeri ſcuta, quæ fugientes dimiſerant, in-
„ venerunt: & hæc nullo reſiſtente tollentes, ad caſtra
„ læti reverſi ſunt. *Sigebertus*. Ab exercitu Ludovici
Germanici vario eventu varia bella contra Sclavos ge-
runtur.

XXXIX. Ludovicus Germaniæ Rex conciliata inter filios ſuos pace, Thuringos & Saxones contra Sclavos Moravos mittit qui eos in fugam convertunt, eo quod nec Regem haberent neque inter ſe concordes eſſent. Alii de Francia ab eodem Ludovico contra Sclavos jam dictos, & alii contra Bohemos miſſi. proſternunt quinque eorum Duces, Sventislaum, Vvitislaum, Herimanum, Spoitimanum & Moyslavum. Zuentibaldus Moravorum Rex miſſo exercitu de Bajoariis victoriam reportat.

Anno 872. Fuldenſis.„ Menſe Januario circa Epipha-
„ niam, Baſilii Græcorum Imperatoris Legati cum mu-
„ neribus & Epiſtolis ad Ludovicum Regem Radasbo-
„ nam venerunt, atque ei inter cætera xenia, cryſtallum
„ miræ magnitudinis, auro gemmiſque pretioſis ornatum,
„ cum parte non modica ſalutiferæ Crucis obtulerunt.
„ Qui honorifice ſuſcepti, & congrua reſponſione acce-
„ pta, redierunt in ſua. Rex vero mediante Quadrageſi-
„ ma apud villam Foracheim generali conventu habito,
„ filios ſuos de Regni partitione inter ſe diſſidentes pa-
„ cificavit, & quam quiſque partem poſt obitum ſuum
„ tue-

a Synodo Vvormatienſi anno 868. habitæ Antiſtites e Bajoaria interfuere, *Adalvinus* Salisburgen. *Anno* Friſingen. & *Hermenricus* Patavien. Proinde pro *Arno*, legendum *Anno* Vide Hanſiz tom. 1. Germ. ſacr. pag. 161.

,, tueri deberet, liquido deſignavit. Ibi etiam Ludovi-
,, cus & Carolus filius ejus in conſpectu totius exercitus
,, fidem ſe illi ſervaturos eſſe omni tempore vitæ illorum,
,, juramento firmaverunt. Inde Rex in Bajoariam rever-
,, ſus, Paſcha celebravit. Menſe autem Majo miſit Thu-
,, ringos & Saxones contra Sclavos Marahenſes, qui quo-
,, niam Regem ſecum non habebant, & inter ſe concordes
,, eſſe nolebant, idcirco hoſtibus terga verterunt, & plu-
,, rimis ſuorum amiſſis, turpiter redierunt: ita ut qui-
,, dam Comites in illa expeditione fugientes, à mulieccu-
,, lis illius regionis verberati, & de equis in terram fu-
,, ſtibus dejecti referantur. Iterum quidam de Francia
,, mittuntur Carolomanno in auxilium contra Sclavos ſu-
,, pradictos: alii deſtinantur contra Behemos: qui Dei
,, adjutorio freti, Duces quinque, quorum iſta ſunt no-
,, mina, Zuventislav, Vvitislav, Heriman, Spoitiman,
,, Moyslav, cum maxima multitudine ſibi rebellare ni-
,, tentes, in fugam verterunt, & alios quidem occide-
,, runt, alios vero in fluvio Fuldaha ſubmerſerunt. Qui
,, autem evadere potuerunt, in civitate defecerunt. De-
,, inde parte non modica illius Provinciæ depopulata, in-
,, columes reverſi ſunt. In hac expeditione Luitbertus
,, Archiepiſcopus primatum tenuit. Hi vero qui Carolo-
,, manno miſſi ſunt in auxilium, ideſt, Aran Epiſcopus & Siga-
,, hardus Abbas Fuldenſis Monaſterii, quamvis fortiter
,, hoſtes premendo pugnaſſent, plurimis tamen ſuorum
,, amiſſis, cum magna difficultate regreſſi ſunt. Sed quum
,, Carolomannus cædes & incendia in Marahenſibus exer-
,, cuiſſet, Zuentibald miſſo clam exercitu copioſo, Ba-
,, joarios, qui ad tuendas naves in litore Iſtri fluminis
,, relicti fuerant, occupavit, & alios occidit, alios ne-
,, cavit in flumine, alios vero duxit captivos: nulluſque
,, inde, niſi Embrico Radasbonæ civitatis Epiſcopus eva-
,, ſit. *Bertini nus*. Ibique (*ideſt apud Silvacum*) Ada-
,, lardus ex parte Ludovici fratris ſui veniens, petiit, ut
,, cum eodem fratre ſuo Ludovico locuturus, ſecus Traje-
,, ctum veniret, quum idem Ludovicus ad Renisburg
,, poſt emiſſam hoſtem cum Carolomanno filio ſuo ad-
,, ver-

Digitized by Google

„ verſus VvinidosAquis rediret. *Et mox.* Prædictus autem „ Ludovicus Rex Germaniæ filios ſuos Ludovicum & „ Carolum ad ſe vocans ut eos cum Carolomanno pacifi- „ caret, doloſe illis jurare fecit. Sed & iidem filii ſui & „ homines eorum, doloſe nihilominus Ludovico ſacra- „ menta præbuerunt. Et volens item Ludovicus pater, ut „ ipſi filii ſui cum fratre illorum Carolomanno adverſus „ Vvinidos pergerent, obtinere non potuit. Unde ho- „ ſtem quammagnum potuit, cum Carolomanno direxit. Quinque illos Bohemorum Duces, Sventiſlavum ſcil., Vvitislavum, Herimanum, Spoitimanum, & Moyſlavum, qui anno 872. Bohemis præerant, apud Rerum Bohemicarum Scriptores, Coſmam Pragenſem, Æneam Silvium, Joannem Dubravium, & alios, fruſtra quæſieris. Proinde ante Borivojum, qui anno 894. baptizatus dicitur, ſunt omnino in hiſtoria Bohemica inſerendi.

XL.

Ludovicus Rex cum Zuentibaldo Moraviæ Rege pacem facit. Legatos Bohemorum in carcerem detrudit: ſuppetias Carolomanno filio adverſus Vvinidos mittit.

Anno 873. Bertinianus " Ludovicus Rex Germaniæ „ apud Mettis civitatem Placitum ſuum tenere diſponens, „ nuncium accepit, quod niſi citiſſime filio ſuo Carolo- „ manno in Monarchia(*a*) contra Vvinidos ſubveniret, illum „ ulterius non videret. Qui ſtatim reverſus, Reniſburch „ pergens, Carolomannum cæcum Liutberto Archiepiſco- „ po paſcendum in Monaſterio S. Albani apud Moguntiam „ commendavit; evidenti demonſtrans indicio, qualiter „ illi diſplicuerint mala, quæ iſdem Carolomannus in San- „ cta Dei Eccleſia, in populum Chriſtianum, & contra „ patrem ſuum egit, quandocumque vel ubicumque præ- „ valuit. Ad Reniſburch autem perveniens, per miſſos „ ſuos, Vvinidos ſub diverſis Principibus conſtitutos, mo- „ do quo potuit miſſos ſuſcipiens, conciliavit. Legatos „ autem ab illis qui Behim dicuntur, cum dolo miſſos ſuſci- „ piens, in carcerem miſit. *Fuldenſis.* Dum Rex Ludo- „ vicus in villa Biſeſtat, prope Vvormaciam Placitum habe- „ ret, quidam de Alemania nomine Berthrammus, qui ſu- „ periori anno in Marahenſibus Sclavis comprehenſus fue- „ rat, a Zventibaldo dimiſſus, venit ad Regem, & Legatio- „ nem ſibi ab eodem Duce injunctam retulit, ſicut prius ju- „ ra-

a Leg. *Marchia*.

,, ramento conſtrictus ſe facturum eſſe pollicitus eſt. Menſe
,, Novembri , Agathon Archiepiſcopus Baſilii Græcorum
,, Imperatoris Legatus ad renovandam priſtinam amicitiam,
,, cum epiſtolis & muneribus ad Ludovicum Regem Radaſ-
,, bonam venit . Quem Rex honorifice ſuſcepit & abſolvit .
,, Tacholfus Comes & Dux Sorabici limitis, menſe Augu-
,, ſto defunctus eſt .

Bertinianus iterum " Ludovicus Imperator Italiæ in **XLI. De Ludovico II. Auguſto, & Adelgiſo Beneventi Principe.**
,, Capua reſidens, mortuo jam Landberto Calvo (*qui Adel-*
,, *giſi partes tuebatur*) & pervento Patricio Imperatoris
,, cum hoſte (*ideſt exercitu*) in civitate quæ Hidrontus
,, dicitur, in auxilium Beneventanorum, qui cenſum, quem
,, Imperatoribus Franciæ eatenus dabant, illi (*Imperatori*
,, *Græcorum*) perſoluturos ſe promittebant; quoniam ali-
,, ter Adelgiſum obtinere non poterat, mandavit Apoſtoli-
,, co Joanni (VIII. *ſcilicet* , *qui Hadrianum* II. *an.* 872.
,, *mortuum* , XIX. *Kal. Januar. ejuſdem anni exeuntis ex-*
,, *ceperat*) compatri Adelgiſi , ut ad eum ad Campaniam
,, veniret , & ſibi Adelgiſum reconciliaret : volens oſten-
,, tare,quod quaſi intercedente B.Petri Vicario,ipſum Adel-
,, giſum reciperet,de quo juraverat,quod nunquam de illis
,, partibus rediturus eſſet , antequam illum caperet, quem
,, revera virtute ſua obtinere non poſſet ,, In chronico Ca-
venſi apud Pratillum Tom.4. Hiſt. Langob. p. 398. ad ann.
872. res aliter narratur: " Ludovicus Imp. contra Beneventi
,, civitatem minas multas ructabat. Quare Athelchiſus Prin-
,, ceps ad Joannem Apoſtolicum ſe commendavit , quate-
,, nus cum Auguſto pacem & amicitiam faceret : qui pro-
,, pe Beneventum adveniens , Athelchiſo veniam pro ſua
,, fœditate commiſſa a piiſſimo Imp. impetravit , & ſecum
,, Romam verſus progreſſi ſunt , ut veniam a B. Petro im-
,, petraret . ,, Sed primus error eſt in anno 872. quo non-
dum Ludovicus ad Beneventanas partes redierat . Alter
vero eſt error in perſona ejus , qui pro pace Joannem Pa-
pam interpellavit: qui ſane Ludovicus fuit, non Adelgiſus ,
auxilio Orientalium ſuffultus . Tertius error in adventu
Adelgiſi Romam . Annaliſta Bertinianus utpote antiquior ,
majorem fidem meretur , quam Cavenſis Chronographus,
qui circa ann. 1085. vivebat . Adelgiſus Beneventi Dux Lu-

 dovi-

Digitized by Google

dovicum Auguſtum anno 871. dolo detinuerat, nec niſi juramento præſtito, ſe nunquam cum exercitu in Beneventanam terram intraturum, dimiſerat. Id factum conſilio Seodani Saracenorum reguli, & impulſu Baſilii Græcorum Imperatoris narratur. In concilio Romano (*a*) a juramento quo ſe obligarat, fuit a Papa abſolutus. Ita Ludovicus cum exercitu in Campaniam perrexit, ubi ea contigerunt quæ ſunt paulo ſuperius narrata. Ergo ab ann. 873. Beneventani ad Imperatorem Græcorum defecerunt: eoque reſpicit Porphyrogenitus, dum lib. 2. de Them. cap. XI. ſcribit, " ex ,, eo tempore (*poſtquam ſcil. Raguſina obſidio ſoluta eſt*) ,, urbium illarum præfecti, [*idest Apuliæ, Samnii, & ,, Campaniæ*] Romanæ rei fideles perſtiterunt, eaſque in ,, Imperatoris obſequio conſervarunt: ,, Nimirum, non eodem illo anno 867. quo Saraceni obſidione Raguſii ſoluta, *ad propria*, hoc eſt, partim in Africam, partim Barium, unde venerant, *redierunt*; ſed ab anno uſque 871. quo Adelgiſus captum Ludovicum Auguſtum dimiſit, uſque ad annum 873. quo eodem Ludovico Auguſto in Beneventanas partes cum exercitu properante, Patricius a Baſilio Græcorum Imperatore in ſubſidium Adelgiſi miſſus, Hydruntum cum copiis Orientalibus pervenit, Beneventani aliique urbium illarum Italiæ principes, Græcorum Imperatori fidelitatem promiſerunt: quam tamen paulo poſt violarunt, uti ex Lupo Protoſpatha, Ignoto Barenſi, & aliis chronicis conſtat, noſque ſuo loco narravimus. Manſius v. cl. not. in ann. 873 ad num. 1. Criticæ Pagii " Ve- ,, reor (*inquit*) ne defectio illa Adelgiſi ad Græcos, ,, quam

a Baronius ad ann. 873. Joannis Octavi Papæ primum, confert Concilii Romani celebrationem, Romanamque Ludovici Auguſti profectionem: qui Romam veniſſe dicitur in vigilia Pentecoſtes, & in craſtinum coronatus ab Hadriano Papa: & exercitu collecto, Roma iterum in partes Beneventanas perrexiſſe, ex Annaliſta Bertiniano ad ann. 872. Pagius vero tum ad ann. 872. num. 4. tum ad ann. 873. num. 1. Romanam Ludovici profectionem confert ad ann. 872. ejuſque in partes Beneventanas ſive in Campaniam reditum ad annum 873. id quod & ego veriſſimum eſſe exiſtimo: at vero hoc duntaxat quæro a Pagio: ſi Ludovicus anno 871. menſe Auguſto ab Adelgiſo fuit captus; ſi dimiſſus, Vetulas ſe contulit, ibique per menſes fere XI. manſit: Si circa Pentecoſten Romæ fuit, id eſt anno 872. Si demum Joannes Papa VIII. anno 872. exeunte, id eſt die 14 Decembris Pontifex inauguratus eſt; ergo Ludovicus in Concilio Romano anni 872. non ab Joanne VIII. (uti ſcribit Regino) ſed ab Hadriano II. fuit a juramento abſolutus. Hinc recte Andr. Dandulus in Chron. lib. 8. cap. 5. part. 15. *Imperator vero poſt ignominioſam paſſionem Romam rediit, & coram Papa Adriano, præſente Senatu, caſum expoſuit; Tunc Adelgiſus a Senatu hoſtis judicatus eſt.*

,, quam ex Porphyrogenito hic Pagius memorat, Græca fi-
,, de aſſeratur; nam Anonymus Salernitanus a Muratorio
,, Rer. Ital. Tom. 2. Par. 2. col. 264. vulgatus cap. 123.
,, tradit, Græcos qui Hydronti & Barii continebantur, le-
,, gatos Beneventum (ubi Adelgiſus principabatur,) &
,, Salernum miſiſſe, auxilium poſtulantes, & utrinque ſpre-
,, tos fuiſſe. Ibi pariter cap. 122. legimus, Ludovicum
,, Beneventum fruſtra obſediſſe, adeoque coactum ad pro-
,, pria cum ignominia remeaſſe, conjuge & nata Capuæ re-
,, lictis: Hæc autem vix cohærere videntur cum reconci-
,, liatione, de qua hic Pagius. Neminem vero eſſe credo,
,, qui ſcriptoris hujus, utpote fere coævi, reſque regionis
,, ſuæ narrantis fidem, authoribus cæteris ſive recentiori-
,, bus, ſive patria remotioribus, non præferat.,, Verum hæc docti viri argumenta, meo judicio, parum aut nihil ad rem faciunt. Nam quod Salernitanus ait cap. 122. a Ludovico Beneventum fruſtra obſeſſum fuiſſe, æque ſtare poteſt, ſive dicatur Ludovicus cum Adelgiſo nunquam reconciliatus, ſive poſt illam obſeſſionem, quam incaſſum tentaverat, pacem cum Adelgiſo, opera Joannis Papæ, feciſſe: *volens ſcilicet oſtentare, quod quaſi intercedente B. Petri Vicario, ipſum Adelgiſum reciperet, quem revera virtute ſua obtinere non poſſet, uti ſcribit Bertinianus, quod ab Anonymo Salernitano ſiletur, non negatur*. Id vero, quod cap. 123. ex eodem Salernitano ſubjungitur, jam ſuperius a me eſt præoccupatum, quum dixi, fœdus a Beneventanis ad repellendam Ludovici Auguſti vim, cum Imperatore Græcorum tunc temporis initum, paulo poſt violatum fuiſſe. Cur enim Beneventani & Salernitani non eſſent alieno a Græcis animo, poſtquam hi, nimirum Græci, non contenti promiſſo ſibi ab Italiæ Principibus cenſu, in urbes eorum invaſere? *Anno* (inquit Lupus Protoſpatha) 875. *intraverunt Græci Barum menſe Decembri die Natalis Domini feria 3. & Gregorius Stratigo, qui & Bajulus dicebatur*. Et Erchempertus cap. 38. *Hoc audientes qui Bari reſidebant, Gregorium Bajulum Imperialem Græcorum, qui tunc in Hydronto degebat cum multis exercitibus, adſciverunt, & Barim introduxerunt, ob Saraceno-*

„ guitate remota crederet, quicquid verbis dicebat, ſa-
„ cramento firmabat, videlicet ut Zuentibald Regi fide-
„ lis permaneret cunctis diebus vitæ ſuæ, & cenſum a Re-
„ ge conſtitutum per annos ſingulos ſolveret, ſi ei tan-
„ tummodo quiete & pacifice a Rege vivere concedere-
„ tur. Behemorum quoque nuntia Rex audivit & abſolvit,
„ & poſthæc in Bajoariam venit ad Franconofurt. *Sigeber-*
„ *tus*. Normanni a Regno Ludovici Germanorum Regis
„ tributum exigentes, ab exercitu ejus graviter cæſi vin-
„ cuntur.

XLIII. Ludovico II. Augusto defuncto Carolus Calvus ejus patruus a Jo. VIII. Papa die 25. Decembris Imperator coronatur, fruſtra obnitente Ludovico Germaniæ Rege.

Anno 875. Ludovicus II. Imperator ſive die 12. ſive 13. Auguſti moritur, & Carolus Calvus, ejus patruus, (ut Annaliſta Bertinianus ſcribit) audita ejus morte, Romam ſe confert, ut a Pontifice coronaretur. Kalendis Septembribus iter ſuum incepit, & per S. Mauritii Monaſterium pergens, montem Jovis tranſiit, & Italiam ingreſſus fuit. Ludovicus Rex Germaniæ, frater ejus, filium ſuum Carolum in Italiam, ut fratri ſuo adverſaretur, tranſmiſit. Quem Carolus Rex fugam accipere, & inde abſcedere coëgit. Ludovicus autem Rex Germaniæ alium filium ſuum Carolomannum cum quibus potuit, in adverſitatem fratris ſui in Italiam direxit. Quod prænoſcens Carolus Rex obviam ei cum validiori manu perrexit. Et quia Carolomannus prænovit ſe patruo ſuo non poſſe reſiſtere, pacem petens, cum eo locutus fuit, & ſacramentis utrinque confirmatis, ad propria rediit. Carolus autem, quibuſdam de Primoribus ex Italia ad ſe non venientibus, pluribus autem receptis, Romam invitante Papa Joanne perrexit. Et XVI. Kal. Jan. ab eo cum gloria magna in Eccleſia S. Petri ſuſceptus eſt. Anno (a) Dom. 876. in die Nativitatis Domini, B. Petro multa, & pretioſa munera offerens, in Imperatorem unctus, & coronatus, atque Romanorum Imperator appellatus eſt. Annaliſta Fuldenſis, utpote Ludovico Germaniæ Regi addictus, de Caroli Calvi inauguratione ab Joanne Papa, Romæ facta ſic obloquitur ad ann. 875. *Quod quum Carolus Galliæ tyrannus comperiſſet* (mortuum ſcilicet

a Bertinianus a die 25. Decem. annum inchoat.

cet eſſe Ludovicum II. Imp.) *illico Regnum Italiæ invaſit, & omnes theſauros, quos invenire potuit, una manu collegit. Unde Ludovicus Rex iratus, Carolomannum cum exercitu per Bajoariam deſtinavit in Italiam: ipſe vero, juncto ſibi æquivoco ſuo, cum manu valida Regnum Caroli ingreſſus eſt, ut eum de Italia exire compelleret. Exercitus autem qui Regem ſequebatur, verſus ad prædam, cuncta quæ invenit diripuit, atque vaſtavit. Carolus vero audito Carolomanni adventu in Italiam, primo clauſis Alpium ſe defendere nititur, ſed nihil proficit. Carolomannus enim loca acceſſu difficilia cum ſuis præoccupavit. Ille autem dum negotium ferro decernendum timuiſſet (eſt enim lepore timidior) ad calliditatem ſolitam convertitur. Nam aurum, & argentum gemmaſque pretioſas infinitæ multitudinis Carolomanno obtulit, ut eum ſibi placare, & a paterna fidelitate ſegregare potuiſſet: juravitque ſe de Italia cito exiturum, & Ludovici fratris ſui judicio illud Regnum diſponendum ſervaturum, ſi Carolomannus inde diſcederet. Quo inde diſcedente, & promiſſionibus illius credente, ille quæcumque pollicitus eſt, mentitur, & quanta potuit velocitate Romam profectus eſt, omnemque Senatum populi Romani, more Jugurthino, corrupit, ſibique ſociavit: ita ut etiam Joannes Papa votis ejus annuens, corona capiti ejus impoſita, eum Imperatorem & Auguſtum appellare præcepiſſet. Qualiter autem Regnum illud poſtea cum ſuis diſpoſuerit, qualiterve cum theſauris quos tulerat, in Regnum ſuum redierit, quantaſque cædes, & incendia in itinere exercuerit, quia certum non habui latorem, ſcribere nolui. Melius eſt enim tacere, quam falſa loqui.*

XLIV. Ludovicus Rex Germaniæ moritur. Poſt reportatam de Carolo Calvo Imperatore victoriam Tres filii ejuſdem Ludovici, Carolomannus ſcilicet, Ludovicus & Carolus, Regnum paternum inter ſe dividunt. Carolomanno obtingit Bajoaria, Pannonia, Carinthia, & Regna Sclavorum, Bohemorum, & Moravorum. Ejuſdem Carolomanni adverſus Vvinidos expeditio.

Anno 876. Annaliſta Metenſis. *Ludovicus Germaniæ Rex filius Ludovici Pii apud Franconefurt Palatium diem clauſit extremum V. Kal. Septembris, ſepultuſque eſt in Monaſterio S. Nazarii, quod Laureſham nuncupatur.* Carolus Calvus Imperator, audita Ludovici Regis, fratris ſui, morte, cum omnibus viribus Regnum Germaniæ invadit. Ludovicus, ejuſdem Ludovici filius, exercitum ex Saxonia, Thuringia, & Orientali Francia congregat, tranſitoque Rheno, inito contra Carolum Calvum patruum certamine

mine in pago Meginenſi,non longe ab Andrenaco [a] caſtello, Reginarium Comitem, qui regium vexillum ferebat, primo impetu extinguit, confertiſſimæ acies a Ludovici ſociis irrumpuntur; exercitus Caroli graviter eſt cæſus, terga vertit, & Ludovici victoria fuit, Carolus videns ſuos fugere, & ipſe fuga vitam ſervavit. Acta eſt autem hæc ſtrages VIII. Idus Octobris. " Poſt hæc convenerunt tres fra-
,, tres, Ludovici filii, in loco qui dicitur Sualifelt, & ibi
,, diviſerunt paternum Regnum: Carolomannus ſortitus eſt
,, Bajoariam,Pannoniam, & Carnutum, quod corrupte Ca-
,, rantanum dicitur, necnon & Regna Sclavorum,Behemen-
,, ſium, & Marahenſium: Ludovicus Orientalem Franciam,
,, Thuringiam, Saxoniam, Freſiam, & partem Regni Lo-
,, tharii: Porro Carolo Alemannia in parte ceſſit, & ali-
,, quæ civitates ex Regno Lotharii. ,, Bertinianus poſt narratam victoriam a Ludovico contra Carolum Calvum reportatam " Ludovicus Ludovici quondam Regis filius
,, de Andrenaco per Sinciacum Aquis rediit, ibique tri-
,, bus diebus ſtetit, indeque obviam fratri ſuo Carolo apud
,, Confluentes venit: ubi ſimul locuti, Carolus verſus Met-
,, tis, indeque in Alemaniam infirmus rediit, & Ludovi-
,, cus ultra Rhenum perrexit: Carolomannus frater eorum,
,, nec ad eos, nec ad patruum ſuum Carolum Imperatorem,
,, ſicut ei mandaverat, venit, occupatus in belligeratione
,, contra Winidos. *Fuldenſis*. Sequenti autem menſe (*ideſt*
,, *poſt VIII. Idus Octob.*) Carolomannus & Ludovicus, atque
,, Carolus Ludovici Regis filii, in pago Recienſi convenien-
,, tes, paternum inter ſe Regnum diviſerunt, & ſibi invi-
,, cem fidelitatem ſervaturos eſſe ſacramento firmaverunt:
,, cujus ſacramenti textus Teutonica lingua conſcriptus, in
,, nonnullis locis habetur. ,, Marianus Scotus ad ann. 875. (loco nimirum non ſuo) " Deinde tres fratres in loco qui
,, dicitur Salefelt, inter ſe Regnum paternum diviſerunt.
,, Carolomannus Bojariam, Pannoniam, Carnutum, & Re-
,, gna

a Hildeinsheimen. *Anno 876. Bellum juxta Andarnacha inter Karolum, & Ludovicum fratris ſui Ludovici filium ſucceſſorem Regni*. Lambertus. *Pugna juxta Andernacha facta eſt inter Carolum, & Ludovicum Ludovici Regis filium*. Marianus Scotus: *in pago Meginenſe nomine Ripuaria non longe ab Andirnachin caſtello*.

„ gna Sclavorum Behemenſium . Ludovicus Orientalem „ Franciam &c. „ Dicere debuit, *Regna Sclavorum*, *&* *Behemenſium*, *&* *Marahenſium*. Nam Carolomanno ceſſere, tum Bohemi, tum Moravi, tum Slavi, qui trans Albim habitabant, quorum regionem deſcribit Helmoldus in Chronico Slavorum lib. 1. c. 1. & 2. Hos enim Slavos ditioni Regis Germaniæ, & Bajoariæ fuiſſe ſubjectos, idem Helmoldus cap. 7. demonſtrat, de Ludovico trium iſtorum Regum patre loquens: *Noſter autem Ludovicus* (Rex ſcilicet Germaniæ) *Northmannos fæderibus, ſive præliis hoc modo retinuit, ut quum Franciam totam vaſtaverint, Regno ejus vel minime nocuerint. Poſt cujus mortem effera barbaries laxis regnabat habenis. Nam Bohemi, Sorabi, Suſi* (Sluſi) *&* *cæteri Slavi, quos ipſe tributis ſubjecerat, tunc ſervitutis jugum excuſſerunt*.

XLV. De cauſa Formoſi Portuenſis a Jo. VIII. Papa dejecti.

Joannes VIII. Papa in Epiſtola, quæ eſt (*a*) ordine 319. dat. XI. Kal. Maji Indict. IX. anno Chriſti 876. Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Sacerdotibus, cunctiſque Judicibus, & univerſo populo, per omnes Gallias, & Germanias conſtitutis, ſcribit, „ Eccleſia Dei, quæ pe„ nes nos eſt, (*nimirum*, *S. R. Eccleſia*) zelo Chri„ ſtianæ religionis, inſtinctuque dilecti filii noſtri Sereniſ„ ſimi Imperatoris, imo ſpiramine Spiritus Sancti com„ monita, pro diverſis Eccleſiæ Dei referendis incommo„ dis, contra Gregorium Nomenculatorem & Georgium „ generum ejus, duo ſcil. iniquitatis vaſa, contra excelſi „ Dei religionem pugnantia, tam præterito menſe Fe„ bruario præſentis Nonæ Indictionis (*anni ſcil. 876.*) per „ Petrum Ven. Foroſemproniatem Epiſcopum, penes præ„ fatum ſpiritualem filium, lacrymabilem ſuggeſtionem „ depoſuit: quam noſtram quoque Pontificalem ſugge„ ſtionem pridie Kalend. Aprilis contra eoſdem per ſemetipſam offerre curavit. Quapropter nos per Zachariam „ & Gaidericum Venerabiles Epiſcopos, & Chriſtopho„ rum Sedis Apoſtolicæ Primiceriu n, eis ſuggeſtionum „ conteſtationem emiſimus, admonentes atque jubentes, „ ut

a Tom. 1. Concil. Labb. pag. 232.

Digitized by Google

,, ut ſi aliquid de conſcientiæ ſuæ puritate confiderent, ad
,, condictum venire ſtuderent examen. At illi mollibus
,, ſermonibus & exquiſitis adinventionibus, ſe quidem venturos,
,, & ad voluntatem noſtram cuncta ſe emendaturos
,, dixerunt: ſed de die in diem ſub obtentu ægritudinis
,, tamdiu judicii diem diſtulerunt, donec aut nos cum
,, fidelibus Eccleſiæ Dei potuiſſent perimere, aut Saracenos,
,, quos jam per ſuos familiariſſimos æque Saracenos
,, invitaverant, in Romanam urbem ad perditionem
,, omnium intromittere valuiſſent. Quumque nos contra
,, utramque fraudem juvante Domino præparatos vidiſſent,
,, & imminere ſibi judicii ſtatutum diem cognoſcerent,
,, decepti ſe cum quibuſdam ſuis complicibus, videlicet
,, Formoſo Epiſcopo, Stephano Secundicerio, & Sergio
,, Magiſtro militum, & Conſtantino Nomenculatoris filio,
,, quos non noſtræ conventionis judicium, ſed reatus propriæ
,, conſcientiæ ſtimulabat, contra ſalutem Reipublicæ
,, & Regni dilecti filii noſtri Caroli Sereniſſimi Principis,
,, cui ſemper infideles fuerunt, & cujus provectioni
,, ſemper detraxerunt, conſpirantes, neſcimus quo profecturi,
,, noctis ſilentio cum clandeſtinis clavibus Portas
,, Urbis, quæ vocatur Sancti Pancratii, aperuerunt, &
,, cum ſuis complicibus, cumque omnibus theſauris Sanctæ
,, Dei Eccleſiæ, Saracenis undique populantibus, diffugerunt:
,, portaſque patentes relinquentes, multis Margaritis
,, fugiendi, & Saracenis ingrediendi aditum, niſi
,, nos divina cuſtodia tueretur, proculdubio reliquerunt.
,, Itaque obſtupeſcentes in talibus, Dominicum & Grimoldum
,, Ven. Epiſcopos ad evocandum eos direximus:
,, Qui revertentes nunciaverunt ſibi a ſatellitibus ſuis fuiſſe
,, reſponſum, neſcire ſe, quonam profecti fuiſſent.
,, Judicio ſane in diem alterum protelato, quum eos iterum
,, Synodice ſimulque & legaliter quæreremus, & habere
,, minime valeremus, cum omni Dei Eccleſia in Baſilica
,, Sanctæ Dei genitricis, quæ ad Martyres vocatur,
,, Synodum vocavimus. Et poſt regulares allocutiones,
,, ſententias in eos protulimus, quarum exempla ſecundum
,, Eccleſiaſticum morem generalitati veſtræ direxi-

„ mus, ne vobis communicandi cum eis occaſionis aditus
„ tribuatur. Quæ ſcilicet ſententia ita ſe habet. Formo-
„ ſum Portuenſem Epiſcopum, qui a beatæ memoriæ
„ domno prædeceſſore noſtro Papa Nicolao in Bulgarorum
„ patriam deſtinatus, noviter in Chriſto regenerati Regis
„ (*Michaëlis*) animos adeo ſuis calliditatibus vitiavit,
„ ut terribilibus ſacramentis eum ſibi obſtrinxiſſe teſtatus
„ ſit, ne ſe vivo quemlibet Epiſcopum a Sede Apoſtolica ſu-
„ ſcepiſſet, ſeque eidem terribilibus nihilominus juramentis,
„ ut ad eum quantocius reverti debuiſſet, obſtrictum
„ fuiſſe profeſſus ſit, quique a nobis proficiſcendi illuc li-
„ centiam, literas, & neceſſaria adjutoria impetravit:
„ quoniam jamdudum a minori Eccleſia in majorem, vi-
„ delicet Sanctam Sedem Apoſtolicam, proſilire conatus,
„ plurimos ſibi conſolatores effecit, & nunc per reper-
„ tam hypocriſim retrorſum rediens, ſine licentia vel
„ conſcientia noſtra, propriam Paroeciam deſeruit, Urbe
„ diſceſſit, & contra ſalutem Reipublicæ dilectique fi-
„ lii noſtri Caroli a nobis electi & ordinati Principis cum
„ ſuis fautoribus conſpiravit: niſi amodo intra diem de-
„ cimum, ideſt, III. Kal. Maji, præſentis Nonæ Indi-
„ ctionis, præſentiam ſuam nobis ſatisfaciendo monſtra-
„ verit; Auctoritate Dei Omnipotentis, Sanctorumque
„ Apoſtolorum Principum Petri & Pauli, omni Eccleſia-
„ ſtica communione privatum eſſe decernimus. Decerni-
„ tis & vos ita? Reſponderunt omnes; Decernimus. Et
„ niſi poſt diem decimum quintum, ideſt, IV. Nonas
„ Maji, præſentis IX. Indictionis, reſipiſcens ſatisfactu-
„ rus nobis occurrerit, auctoritate & judicio Sancti Spi-
„ ritus, qui ſemper effugiet effictum, omni Sacerdotali
„ miniſterio penitus denudatum fore judicamus. Judica-
„ tis & vos ita? Reſponderunt omnes: Judicamus. Qui
„ ſi nec hujus dilationis miſeratione commotus, humi-
„ liter ſe poſt diem XX., ideſt VII. Idus ejuſdem Maji
„ menſis, præſentiæ noſtræ reddiderit, vel ſi in Eccleſia
„ Dei, in aliquo conturbare præſumpſerit, ſi contra
„ hanc communem omnium noſtrum ſententiam agere vel
„ reſultare tentaverit; Anathema ſit a Patre & Filio &
„ Spi-

,, Spiritu Sancto, numquamque in ulla Synodo recupe-
,, rationis ſpem aut ſatisfactionis aditum ſibi noverit re-
,, ſervatum. Gregorium Nomenculatorem, Theophyla-
,, cti quondam Nomenculatoris filium, qui jusjurandum
,, fidei ſuæ diverſo modo corrumpens, puritatem Sanctæ
,, Dei Eccleſiæ fraudulentiis, avaritiis, rapinis, cupi-
,, ditatibus, ſimulque calliditatibus, per octo ferme an-
,, norum curricula maculans, Summum Romanæ urbis
,, Pontificatum, conjurantibus ſibi dudum ſuis complicibus,
,, factioſe præripere affectavit; & de multis palam recita-
,, tis capitulis, tam primo penes dilectum filium noſtrum
,, Carolum Sereniſſimum Imperatorem, quam poſtea pe-
,, nes nos ad generalitatem Sanctæ Dei Eccleſiæ, per
,, nonnulla ſuggeſtionum capitula, noxius diffamatur, &
,, pro eiſdem criminibus a nobis per Zachariam & Gau-
,, dericum Ven. Epiſcopos, & Chriſtophorum Primice-
,, rium Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, cum fratre & genero,
,, ſuiſque complicibus, juridice conteſtatus, examini ſe
,, præſentandum fore, & cuncta, quæ Eccleſiis, vel
,, piis locis, aliiſque hominibus abſtulerat, ſub jurisju-
,, randi interpoſitione reſtituturum promiſit: deinde con-
,, ventum noſtrum de die in diem fraudulenter (uſque-
,, quo nos vel fideles hujus Eccleſiæ interimere, vel ho-
,, ſtes Chriſtiani nominis, ideſt, Saracenos, quos per
,, ſuos familiariſſimos Saracenos jam invitaverat, intra
,, Urbem introducere potuiſſet:) eluſit: & præfinitum
,, diem, quo canonice ſive legaliter audiri debuiſſet,
,, fraudulenter præripiens, cum Georgio & Sergio Ma-
,, giſtris militum, nec non & Stephano Secundicerio,
,, aliiſque ſuis complicibus, nocturno ſilentio, portas
,, hujus ſacræ Urbis, Saracenis circumquaque imminen-
,, tibus, cum clavibus adulterinis aperuit, ſeque contra
,, ſalutem Reip. ſimulque quietem Imperii præfati filii
,, noſtri Sereniſſimi Auguſti, contra leges conſpirando,
,, fraudulenter proripuit, & cum omnibus pene theſauris
,, Eccleſiæ Romanæ, dubium quo profecturus, exceſſit.
,, Simulque Stephanum Secundicerium, qui diverſas Ec-
,, cleſias ſpolians per avaritiam, turpiſque lucri compen-

 ,, dia,

„ dia, tributa vetera multiplicavit, & in omnibus per-
„ verſitatibus ſuperius nominatis fratri complex & con-
„ ſentaneus extitit: nec non & Georgium Gregorii Pri-
„ micerii filium, qui germani proprii concubinam ſubri-
„ piens, eum veneno necavit: deinde poſt execrabiles
„ Chriſtianis inceſtus, vivente nepote Sanctiſſimæ recor-
„ dationis Benedicti Papæ, cujus opibus de paupertate
„ ſurrexerat, præfati Nomenculatoris Gregorii filiæ ſe
„ fornicario more commiſcuit, propter quam pene pu-
„ blice jamdictam legitimam uxorem peremit. De cujus
„ homicidio, a Principibus adulterinos miſſos eruens,
„ adjudicante conſcio ſocero neſandus gener impunitus
„ exiliit. Quique poſt diverſa homicidia, deprædatio-
„ nis & malignitatis genera, tam Patriarchium, quam
„ Veſtiarium Sedis Apoſtolicæ ſibi commiſſum, non tan-
„ tum auro, argento, vel palliis, verum etiam æreis
„ ſignis vaſiſque privavit: & in omnibus impietatibus ſo-
„ cerum ſequens, imo præveniens, Saracenis undique
„ ſævientibus, Portas Urbis cum eo fraudulenter ape-
„ ruit, & cum ſibi conſpirantibus contra ſalutem Reip.
„ demigravit. Simulque Sergium Magiſtrum militum,
„ Theodori Magiſtri militum filium, qui reverendæ me-
„ moriæ domno Nicolao, cujus nepotem in conjugium
„ ſuſcipiens, ita ingratus ac inhumanus extiterat, ut vi-
„ vente eo & in extremis poſito, eidem theſauros ſuos
„ ad eleemoſynas faciendum cum præfatis ſuis complici-
„ bus abnegaſſet. Quique eadem ſua conjuge, propter
„ quam de maxima paupertate convaluerat, derelicta,
„ cum Valviſindula concubina, præſtito jurejurando ut
„ eam nuptialiter ſumeret, nuper effugit, & in omnibus
„ iniquitatibus cum nominatis ſuis complicibus conſpira-
„ vit. Sed & Conſtantinam præfati Gregorii Nomencula-
„ toris filiam, quæ primo per conſenſum patris, ſub con-
„ ditione jurisjurandi, legaliter Ceſſario Pipini poten-
„ tiſſimi Veſtararii filio copulata, dein conſumptis om-
„ nibus ſoceri ſui divitiis, viventem & valentem ſpon-
„ ſum ſuum ſine ulla legali diſquiſitione deſeruit, & ad
„ Gratiani, Gregorii Magiſtri militum filii, nuptias pu-
„ blice

„ blice convolavit: poſtremum cum alio fugere geſtiens, „ inceſtum commiſit, ex quo prægnans inventa, prædictum Gratianum Gregorii filium maritum ſuum relinquens, cum rapacibus, perjuris, ſacrilegis, mœchis, fornicatoribus, turpiter fornicatura diſceſſit. Niſi intra diem decimum, ideſt, III. Kal. Maji, præſentis Nonæ Indictionis, præſentiam ſuam nobis præſtati, videlicet, Gregorius, Stephanus, Georgius, & Sergius, ſimulque Conſtantina, congrue ſatisfacientes exhibuerint, auctoritate Dei Omnipotentis, Sanctorumque Apoſtolorum Principum Petri & Pauli, omni Chriſtiana communione privatos, cum omnibus communicatoribus & fautoribus ſuis permanere decernimus. Et niſi poſt diem quintumdecimum, ideſt, IV. Nonas Maji, jamdictæ præſentis Indictionis, ſimpliciter & humiliter nobis, imo Eccleſiæ Dei, ſæpedicti ſcil. Gregorius, Stephanus, Georgius & Conſtantina, purificaturi occurrerint, eos auctoritate & judicio S. Spiritus, cum cunctis ſibi communicantibus, perpetuo anathemate condemnamus. Hi vero, qui ab omni ſe ſocietate removentes, ad unitatem S. Apoſtolicæ Sedis redierint, communionis & benedictionis noſtræ gratiam ſibi reddendam eſſe confidant. His itaque auctoritate S. Spiritus promulgatis, omnium veſtrum generalitatem his Apoſtolicis literis exhortamur, ut has literas per omnes diœceſes veſtras publice relegentes, & ad vicinas Parœcias dirigentes, præfatorum depoſitorum, excommunicatorum, & anathematizatorum, conſortia, quaſi venenum peſtiferum, declinetis. *Cætera*. „ Cauſam damnationis Formoſi Portuenſis Epiſcopi neſcire ſe dicit Baronius ad ann. 876. §. 22. & ad ann. 883. §. 1. ait diverſam a diverſis tradi. Ex recitata vero Joannis VIII. Papæ Epiſtola, triplex fuiſſe agnoſcitur. Prima, quod a Nicolao I. in Bulgariam miſſus, Bulgarorum Regem ſacramento obſtrinxiſſet, ne alium Epiſcopum, ipſo ſuperſtite, a Sede Apoſtolica ſuſciperet. Deinde, quod contra præſcripta Canonum per ambitum ab Eccleſia Portuenſi ad Romanam proſilire conatus eſſet. Poſtremo, quod incon-

inconſulto Pontifice propriam deſeruiſſet Eccleſiam, & relicta Urbe, contra Reip. & Imperii ſalutem cum ſuis fautoribus conſpiraſſe crederetur. Hæc ab inimicis Formoſi, & in primis a Caroli Calvi fautoribus, contra Formoſum in Synodo Romana, menſe circiter Februarii anni 876. celebrata, objecta ſunt, eademque relecta in Synodo Pontigonenſi, quæ menſe Junio & Julio ejuſdem anni coram Carolo Calvo Imp. habita fuit, præſentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis Joanne Tuſcanenſi, Joanne Aretino, Leone Apocriſiario ac Nepote Apoſtolici, atque Petro Foroſempronienſi, Epiſcopis: in qua Synodo, x. *Kalend. Julii, Indict.* IX. *Lectæ ſunt Epiſtolæ a domno Apoſtolico miſſæ, & lecta eſt electio Domini Imperatoris, ab Epiſcopis & cæteris Italici Regni* (in Synodo Ticinenſi, menſe Februario Indictione IX. eodem anno 876.) *firmata, ſed & capitula, quæ in Palatio Ticinenſi conſtituit, ab omnibus* (Carolus Calvus) *confirmari fecit, quæ & Epiſcopis Ciſalpinis confirmare præcepit*. Et v. Idus Julii *convenientibus Epiſcopis, lecta eſt Epiſtola Apoſtolici de damnatione Formoſi Epiſcopi, Gregorii, & conſentientium eis: & præſentata ſunt Imperatori ab Apoſtolico miſſa dona, inter quæ fuere præcipua Sceptrum & Baculus aureus. Sed & Imperatrici dona ſunt ab eo miſſa, pallia, & armillæ cum gemmis*. Ex quibus vera Formoſi damnationis cauſa haud obſcure colligitur, nimirum, quod ipſe unacum nonnullis Romanis, quum eſſet proniore in Ludovicum Germaniæ Regem ejuſque filios animo, electioni Caroli Calvi ejuſque coronationi in Imperatorem ab Joanne VIII. Papa factæ adverſaretur. Hinc eadem damnatio dicitur a Carolo Calvo procurata, & Joannes ipſe Pontifex in ſuis literis clare proteſtatur, potiſſimam illius cauſam eſſe, *quod Formoſus ſine licentia vel conſcientia noſtra, propriam deſerens Parochiam, Urbe diſceſſit, & contra ſalutem Reip. dilectique filii noſtri Caroli a nobis electi & ordinati Principis cum ſuis fautoribus conſpiravit*. Exiſtimabat enim Pontifex, ſi Carolum Calvum Imperiali corona redimiret, magnum ab eo auxilium contra Saracenos Italiam agrumque Romanum popu-

populantes [a] ſibi adſuturum eſſe. Contra Formoſus, qui in Bulgaria, Regno Ludovici contigua, verſatus fuerat, ejuſdem Ludovici partes tuebatur, utpote quem viribus validiorem & Eccleſiæ utiliorem fore cenſebat: hinc idem ipſe Formoſus quum demum ad Romanam Cathedram anno 891. aſcendit, Arnulphum, Carolomanni filium, ejuſdem Ludovici nepotem, Auguſtum anno 896. coronavit. Ceterum quæ de Bulgarorum Rege dicuntur, ſacramentis obſtricto, ne alium Epiſcopum, Formoſo ſuperſtite, a Sede Apoſtolica ſuſciperet, deque eodem Formoſo Bulgariam ſine conſcientia Sedis Apoſtolicæ deſerente; ea corruunt; tum quia certum eſt Formoſum a Romano Pontifice fuiſſe e Bulgaria Romam (b) evocatum; tum etiam quia Formoſo adhuc in Bulgaria degente, miſſi ſunt in Bulgariam Epiſcopi Leopardus Anconitanus & Dominicus Tarviſienſis, necnon Silveſter a Bulgaris Archiepiſcopus eligendus: tum demum quia in vita Hadriani II. legitur, Bulgaros a Papa petiiſſe, ut aut Marinum Diaconum Archiepiſcopum conſecratum remitteret, aut aliquem ex Cardinalibus ſuæ Eccleſiæ Bulgaris eligendum dirigeret, quem poſt eorundem approbationem denuo remeantem, Archiepiſcopali dignitate exornaret: quumque nihil horum Pontifex feciſſet, eoſdem Bulgaros enixe flagitaſſe, ut Formoſum Epiſcopum Portuenſem ipſis remitteret; Regem denique Bulgarorum expectationum moras ferre non valentem, ad Græcos Legatum miſiſſe: atque ita contigiſſe, ut miſſo ſibi a Græcis Archiepiſcopo, Latini exinde ejicerentur. Quæ omnia oſtendunt, nullam fuiſſe, ad Bulgaros quod ſpectat, Formoſi culpam. Nam (ſicuti ex Gulielmo Bibliothecario in vita Hadria-

---

a Sed contrarium evenit: nam Carolus Calvus Imp. de nepotum ſuorum, Ludovici filiorum ditionibus invadendis, non vero de Italia defendenda cogitabat: ut recte ſcribit Pagius ad ann. 876. num. 1[illegible].

b Certe Formoſus Romæ degebat poſt menſem Julium anni 869. ex Annaliſta Bertiniano: qui narrato Hadriani Papæ & Lotharii Regis e Monte Caſſino Romam reditu, ſic pergit: *Nam idem Pontifex Formoſum Epiſcopum, & alium etiam cum eo Epiſcopum, in has Galliarum partes mittendos diſpoſuit; ut cum pluralitate Epiſcoporum de his quæ Lotharius petebat tractarent, & ibi Kalendis Martii quæ inventa forent in Synodo renunciarent, quam Romæ in ipſis Kalendis Martii denunciavit.*

Hadriani II. ſupra narratum eſt) abſoluta octava Synodo anno 870. *Per Orientales Conſtantinopolitanoſque Bulgari perſuaſi*, *Græcos Sacerdotes una cum Epiſcopo Theophylacto* (quem S. Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus ordinaverat) *ſuſcipientes*, *ejecerunt Latinos tum Epiſcopos tum Presbyteros*: Et Hadrianus ipſe Pontifex, qui certe rem in Bulgaria tunc geſtam optime noverat, nulla Formoſi facta mentione, culpam omnem in Græcos rejecit, qui Bulgaris Epiſcopum conſecrare præſumentes, Latinos e Bulgaria Sacerdotes expellendos curarunt. Anaſtaſius (*a*) quoque, & Gulielmus [*b*] Bibliothecarii, in vitis Nicolai I. & Hadriani II. ſummis Formoſum laudibus exornant, tametſi uterque (*c*) temporibus Joannis VIII. Papæ vixerit. Quare Joannes VIII. Papa, ni fallor, Grimoaldi Epiſcopi (qui a Græcis ſeu Bulgaris ſe repulſum atque e Bulgaria recedere, locumque Græcis Sacerdotibus dare coactum dictitabat, tametſi ſine conſcientia Sedis Apoſtolicæ commiſſum ſibi prædicationis munus deſerens, Romam ditiſſimus remeaverit) Grimoaldi, inquam, Epiſcopi fallaci ſuggeſtione deceptus, eum videtur Formoſo reatum tribuiſſe, quem Grimoaldo imputare debuerat. Quidquid tamen ſit de cauſis Joannem Papam impellentibus, ut Formoſum Synodo Romæ celebrata damnaret, atque in Galliam exulatum mitteret, devinctum prius jurejurando, ſe neque Romam, neque ad Eccleſiam ſuam Portuenſem rediturum; Marinus certe Pontifex, immediatus ipſius Joannis ſucceſſor, & Photium ab eodem Joanne in Conſtantinopolitanam Sedem reſtitutum, anathe-

---

a Anaſtaſ. *Et interim Sedis Apoſtolicæ miſſos, Paulum ſcil. Populonienſem, & Formoſum Portuenſem, magnæ ſanctitatis Epiſcopos, ſtatuens, eoſque monitis melliſluis atque doctrinis inſtruens ad prædicandum genti illi* (Bulgarorum) *eos ire decrevit.*

b Gulielm. *Superiore tempore Formoſus Portuenſis & Paulus Populonienſis, Venerabiles Epiſcopi, qui cum cæteris juſſu ſanctiſſimi Papæ Nicolai, cauſa prædicationis, deſtinati fuerant, remeantes, de Chriſtianitate Bulgarum ac omnimoda ſubjectione, qua ſpecialiter S. R. Eccleſiæ devotiſſima colla ſummiſerant, Sedem Apoſtolicam recrearunt.*

c Anaſtaſius anno circiter 877. Acta Concilii VIII. quæ ex Oriente redux ſecum detulerat, Joannis VIII. Papæ juſſu e Græco Latine reddit. Gulielmus autem vitam ſcripſit Hadriani II. qui ab anno 867, ad 872. ſedit.

themate perculit; & Formoſum ipſum, cui Joannes Papa Epiſcopatum abrogaverat, in locum ſuum reſtituit, facta poteſtate Romam repetendi. Hinc Baronius ad ann. 883. num. 1. *Marinus Papa* (inquit) *perperam facta Joannis Papæ reſcindens, inter alia Formoſum Epiſcopum Portuenſem reſtituit in Urbem & in Epiſcopatum, quem damnans Joannes jurare coëgerat, ſe nunquam repetiturum Epiſcopatum, ſed Laica communione contentum quieſcere. Sed ſicut cauſæ ignorantur* (a), *cur fuerit a Joanne depoſitus ab Epiſcopatu, aliis alias opinantibus; ita neſcitur reſtitutionis per Marinum factæ modus, an ſcilicet abſolutus fuerit a juramento vi extorto, atque declarata nulla Joannis Papæ ſententia fuerit. Sed illud valde indecens, quod ob reaſſumptum Epiſcopatum, in eundem nonnulli rerum geſtarum ignari temere obloquuntur: nam iſtum quidem (ſicut ſuperius ſuis locis vidimus) ſi quem alium unquam, præclara geſta commendant. Apoſtolatum hic a Sanctiſſimo Nicolao Papa accepit ad Bulgaros, ubi annis pluribus degens, gentem illam ad Chriſti fidem convertit, & magnam inde ſibi gloriam comparavit, aliiſque poſtea legationibus perfunctus honorificentiſſime majori gloria auctus eſt. Quod autem a Joanne fuerit condemnatus, haud adeo mirandum, quippe quod Joannes ipſe, ut vidiſti, magno ſuo dedecore averſari viſus eſt prædeceſſorum res bene diſpoſitas, reſtituendo Zachariam Anagniæ Epiſcopum, prævaricationis damnatum a Nicolao, laica tantum communione ab Hadriano donatum, quem & honorifico munere Bibliothecarii Apoſtolicæ Sedis auctum, conſiliarium ſuum fecit, & legationes credidit; quum & reſtituit Photium ab iiſdem prædeceſſoribus ſæpe damnatum. Fortaſſe accidit, ut non ferens Formoſi in ipſum iſthæc vel alia hujuſcemodi exprobrantis libertatem, ut rebellem habitum, quod ipſi reſtiterit, ex albo Epiſcoporum abraſerit. Marinus vero virum inſignem, & fulgentem inſignibus Apoſtolatus, & aliarum Legationum* me-

a Satis notæ ſunt ex ſupra dictis.

meritis ornamentis, ſed obrutum ignominia, (ut par erat) erutum in ſtatum priſtinum revocaverit. Sic igitur quod apud Zachariam prophetam eſt de Zorobabel: quum veſtimenta ſordida ſublata ſunt ab eo, poſitaque eſt Cidaris munda ſuper caput ejus, Formoſus Epiſcopus per Marinum Pontificem eſt conſecutus.

PARS

Digitized by Google

PARS SECUNDA

De Russis, Bulgaris, et Moravis.

CAPUT I.

Ruſſi ad Chriſti fidem ſub Baſilio Macedone Imperatore convertuntur, & a S. Ignatio Patriarcha Epiſcopum accipiunt.

I. Regni Francorum Orientalium poſt mortem Ludovici Regis inter tres ipſius filios diviſio. Carolomanno præter Bajoariam, Pannonia, Carinthia, Bohemia & Moravia obtigit.

DIviſo (ut ſupra dictum eſt) poſt Ludovici Germaniæ Regis obitum inter tres ipſius filios Regno, *Carolomannus* Bajoariam, Pannoniam, Carinthiam, Bohemiam, & Moraviam accepit: *Ludovicus* Franciam, Thuringiam, Saxoniam, Friſiam, & partem Lotharingiæ: Carolus partem Alemanniæ & Lotharingiæ. Hanſizius Carolomannum laudat, tamquam plurium ædium ſacrarum in Diœceſi Patavienſi fundatorem. *Hic Princeps* [inquit Tom. 1. German. Sacr. pag. 163.] *longe pientiſſimus Diœceſim Patavienſem pluribus ædium ſacrarum monimentis ornavit, celebri cum primis cœnobio Sacerdotum ad OEtingam Villam regiam e fundamentis extructo; cui per diploma datum anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto (an ſeptimo?)* VI. *Kal. Martii contulit Abbatiam Mataſeenſem cum Capella Otingenſi, & prædio ad Bouche. Actum Matachovæ curte regia. Sed illud, ut*

dixi, *memorandum*, *quod eo fere tempore contigit a nobis dudum indicatum*, *ut corpus S. Maximiliani una cum corpore S. Felicitatis*, *ex æde veteri Mateſcenſi in novæ ædificationis Baſilicam ad Otingas*, *idem Carolomannus transferri curaret*; *quam ſolemnitatem vix erat*, *ut non Epiſcopi quoque præſentes honeſtarent*. Engelmarus tunc temporis Patavienſis atque Laureacenſis Epiſcopus erat: cujus cum Methodio Moravorum Apoſtolo contentiones ibidem ab Hanſizio narrantur: *Dietmarus* autem, ſive *Theodmarus*, Juvavienſium ſeu Salisburgenſium Antiſtes habebatur, de quo idem Hanſizius Tom. 2. pag. 138. *Contigit ſubinde Carolomannum*, *qui in Carantanis verſabatur*, *pronunciari a patre*, *Bojariæ Regem ſub anni 875. finem*. *Qui ſibi continuo ſacrorum judiciorum præſidem ſeu Archicapellanum adoptavit Theodmarum*, *ut conſtat ex Placitis*, *quæ ad vicem Theodmari Archicapellani a Cancellariis aut notariis recognita ſunt*. Qui Theodmarus, accepto a Jo. VIII. Papa Pallio [uti conſtat ex Epiſt. ejuſdem Pontificis Dat. *menſe Novembr. Indict.* XI. h. e. anno Chr. 877.) auctoritate Metropolitana jam fretus, tanto impenſius cauſam agere cœpit adverſus Methodium, qui jam non Maravenſium modo, ſed etiam Pannoniorum ſe Metropolitam ferebat. Sed de his poſtea.

II. Ruſſi ſub Baſilio Macedone a S. Ignatio Patriarcha CP. ad fidem converſi, Epiſcopum accipiunt, ex Porphyrogenito.

Interim dum Chriſtiana fides in Pannonia, & Moravia floreret, contigit, ut *Ruſſi* quoque eandem acciperent. Conſtantinus Porphyrogenitus in vita Avi Baſilii Macedonis Conſtantinopolitani Auguſti num. 96. hanc Ruſſorum ad ChriſtianaSacra converſionis occaſionem fuiſſe ſcribit,,Genti
,, Ruſſorum neſcienti manſueſcere, ullive cedere, atque
,, a Dei ſenſu, & pietate remotiſſimæ, auri, argentique
,, ac ſericarum veſtium affluenti largitione, in foedus per-
,, tractæ, initiſque cum ea induciis, ac pace firmata, di-
,, vini quoque Baptiſmatis participes fieri perſuaſit, (*nempe*
,, *Baſilius Imperator*)ac Archiepiſcopum ab Ignatio Patriar-
,, cha ordinatum ut ſuſciperent, effecit. Is ad dictæ gen-
,, tis provinciam quum veniſſet, ex tali eventu illuſtrique
,, facinore, illius ſibi animos faciles reddidit. Gentis enim
,, Princeps, ſubditæ plebis coacto cœtu, cum Senatori-
,, bus

„ bus ſuis , ac proceribus præſidebat , qui & falſæ Religio-
„ ni ob longam conſuetudinem proclivius reliquis adhære-
„ bant : deque ſua , ac Chriſtianorum fide deliberantibus,
„ in conventum vocatur qui ad eos recens Epiſcopus vene-
„ rat, ac quænam ipſe profiteretur, eoſque docturus eſſet ,
„ ex illo ſciſcitabantur. Eo ſacrum divini Evangelii librum
„ protendente, ac quædam Salvatoris noſtri miracula , Dei-
„ que in veteri Teſtamento prodigia exponente; ſtatim Ruſſi
„ ſubdiderunt: Niſi nos etiam ejuſmodi aliquid viderimus,
„ ac potiſſimum quale in trium Puerorum camino accidiſſe
„ dicis , nullam prorſus tibi fidem habebimus , nec tuis
„ verbis animum aureſque noſtras ultra accommodabimus .
„ Præſul vero de illius promiſſionis veritate fretus , qui
„ ait : Siquid petieritis in nomine meo , accipietis : &c.:
„ Qui credit in me , opera quæ ego facio , & ille faciet ,
„ & majora his faciet ; tum nimirum , quum non oſten-
„ tationis cauſa , ſed ad ſalutem animarum hæc quæ fiunt,
„ ſunt futura ; ait ad eos : etſi non licet Dominum Deum
„ tentare ; ſi tamen ex animo ſtatuiſtis ad Deum accedere;
„ quod libuerit hoc & petite ; omninoque Deus præſtabit
„ propter fidem veſtram , etſi nos deſpicabiles & minimi
„ ſumus . Petiere, ipſum fidei Chriſtianæ librum (divinum
„ ſcilicet ſacrumque Evangelium) in rogum injici ab eis
„ accenſum ; ac , ſi quidem librum nihil flamma læſerit
„ aut exuſſerit , ad Deum acceſſuros , qui ab illo præ-
„ dicaretur . Quibus ſic dictis , ac Sacerdote oculos ac
„ manus ad Deum levante atque dicente : Clarifica no-
„ men ſanctum tuum Jeſu Chriſte Deus noſter etiamnum
„ in oculis gentis hujus univerſæ : Sancti Evangelii liber in
„ rogum ignis conjectus eſt . Nec paucis decurſis horis ,
„ ac rogo exinde extincto , inventum eſt ſacrum volumen
„ illæſum , nec edacis flammæ vi ulla violatum, nulla ejus
„ ab igne noxa , aut diminutione ; ut ne fimbriæ quidem
„ librum claudentes , ullam aut corruptionem aut labem
„ ſenſerint . Quo viſo Barbari , ac miraculi magnitudine
„ in ſtuporem acti, omni ſublata hæſitatione, Baptiſmo intin-
„ gi coeperunt .

III. Quid de ea Ruſſorum converſione alii Hiſtorici Græci?

Idem Porphyrogenitus , nullo mediante , antea præ-
miſe-

miſerat num. 95. Archiepiſcopum a Baſilio Imp. Bulgaris miſſum, cujus verba ad annum 870. ſupra recitavi. Hoc ipſum ſcribunt Scylitzes Curopalates pag. 44. Cedrenus pag. 589. & Zonaras pag. 173. qui tamen omnes, nomen Ignatii Patriarchæ, a quo Archiepiſcopus juſſu Baſilii Auguſti ad Ruſſos miſſus dicitur, ſilentio premunt. Inſtar omnium accipe Zonaræ verba. " Pace cum gente Ruſſica ,, facta, effecit (*Baſilius Imperator*) ut illa in cognitio- ,, nem arcanorum noſtrorum perveniret: & quum ſe ba- ,, ptizari velle promiſiſſent, Pontificem (a) eis dedit. Cæ- ,, terum a ſua religione ad noſtram tranſituri, tergiverſa- ,, bantur, & dubitabant: ac, niſi miraculum viderimus, in- ,, quiunt Pontifici, qualia tu multa a Chriſto facta eſſe do- ,, ces, nunquam tuam doctrinam amplectemur. Tum is: ,, Petite, inquit, quod vultis. At illi dixerunt: Liber, ,, qui de Chriſto docet, eſt in ignem conjiciendus: qui ſi ,, inviolatus manſerit, argumento nobis erit, vere Deum ,, eſſe qui a te prædicatur. Aſſenſo Epiſcopo, rogus eſt ,, accenſus. Pontifex quum manibus & oculis in coelum ,, ſublatis dixiſſet: Glorifica nomen tuum Chriſte Deus: ,, Sacrum Evangelium in rogum imponit, quod diu in flam- ,, ma relictum, illæſum manſit. Eo miraculo Barbari ob- ,, ſtupefacti, prædicationi crediderunt, & ut ſacro Ba- ,, ptiſmate initiarentur, flagitarunt.

IV. Pagius id Ruſſorum factum ad annum 876. vel ſequentem confert.

Pagius ad ann. 876. num. 19. *Hoc*, inquit, *vel ſequenti anno Archiepiſcopus eſt Ruſſis a S. Ignatio datus*. Quumque verba Porphyrogeniti a nobis ſupra relata exhibuiſſet, ſubjungit: *Idem narrant Curopalates, & Cedrenus, qui jam ſcripſerant, Ruſſos Michaele imperante fidem ſuſcepiſſe: Quod fraudi fuit viris doctiſſimis, qui exiſtimarunt, Ruſſos, qui hoc tempore baptiſmum ſuſcepere, diverſos non eſſe a Ruſſis, qui ſub imperio Michaelis Theodoræ filii ſacro Lavacro tincti ſunt; quum tamen priores ſub Michaele, poſteriores ſub Baſilio Chriſtiani facti fuerint: illi Photio Sedem Conſtantinopolitanam regente, iſti S. Ignatio in Patriar-*

(a) Græc. tex. Ἀρχιερεὺς αὐτοῖς ἐστάλη παρὰ τοῦ αὐτοκράτορος, Pontifex ad eos miſſus eſt ab Imperatore.

triarchatum reſtituto. Priores Epiſcopum ad ſe miſſum ſtatim recepere, ut anno 861. demonſtravimus; poſteriores vero Archiepiſcopum a S. Ignatio ordinatum nonniſi poſt inſigne miraculum admiſere, ut mox narravimus. Iſti itaque Ruſſi ab illis diverſi exſtitere, illiſque vicini. Ruſſorum enim nomen, ſicuti & gens, late extendebatur. Sæculo decimo omnes citeriores, & ulteriores Ruſſi unico Principi, cujus Metropolis Kiovia, *parebant; ideoque Ruſſi, qui hoc anno fidem amplexi ſunt, eandem poſtea anno incerto abjecere; quum anno 988. quo Ruſſia Chriſtiana facta, nulli ibi Chriſtiani, præter Helenam Reginam, inventi fuerint. Porro hoc, vel ſequenti anno Archiepiſcopum Ruthenis ab Ignatio datum fuiſſe, ex eo liquet, quod Nicetas in vita S. Ignatii prodat, initio reſtitutionis Photii in Patriarchatum Conſtantinopolitanum, Baſilium Imperatorem amiſiſſe Conſtantinum minorem natu filium, & Porphyrogenneta de ejuſdem morte ſermonem faciat, ſtatim ac inſtitutionem præfati Archiepiſcopi narravit. Baronius anno 886. num. 6. poſtquam Baſilii Imp. mortem retulit, verba Curopalates de Ruſſorum converſione refert, incertus, quo Imperii ejus anno illa acciderit.*

V. Pagii ſententia examinatur: ſimulque oſtenditur, Ruſſos ſub Michaele quidem Balbo Conſtantinopolim obſediſſe; at ſub Baſilio Macedone circa ann. 871. Epiſcopum accepiſſe.

Hactenus Pagius. cui primum aſſentiri nequeo, quoad annum dati Ruſſis Archiepiſcopi: nam verum quidem eſt, id factum & a Niceta, & a Porphyrogenito referri ante amiſſum a Baſilio Imp. Conſtantinum natu majorem filium, qui obiit anno Chr. 879. uti Baronius, & Pagius affirmant; ſed æque verum eſt, idem ipſum factum a Porphyrogenito, Curopalate, Cedreno, immediate ſubjungi Epiſcopo Bulgaris dato: id quod quum poſt abſolutam Synodum octavam anno 870. exeunte, aut ineunte 871. contigerit, Epiſcopus quoque Ruſſis circa eundem annum miſſus fuerit, oportet. Quod vero idem Pagius, tam hic ad ann. 876. quam ſupra ad ann. 861. aſſerit, ſub Imperio Michaelis Theodoræ filii a Photio miſſum fuiſſe prioribus Ruſſis Epiſcopum, Ruſſoſque iſtos ab iis qui ſub Baſilio Antiſtitem ab Ignatio accepere, eſſe diverſos; in hoc ego ut cum docto viro ſentiam, nullam invenio idoneam auctoritatem Nam quæ incertus Porphyrogeniti continuator, Simeon Logotheta, & Cedrenus ſcribunt,

bunt de Ruſſis anno 860. in Byzantium invadentibus, urbemque (Michaele in expeditione adverſus Iſmaëlitas occupato) obſidentibus: quod ſcilicet ii, *Photio Deum exorante, domum redierint, nec multo poſt, Legatis in Urbem miſſis, divinum efflagitantes Baptiſmum, etiam impetraverint*: hæc, inquam, quum definitum tempus non ſignent, recte a Porphyrogenito ad ætatem avi ſui Baſilii referuntur, ita ut non duplex fuerit Ruſſorum, uti vult Pagius, converſio, altera ſcilicet ſub Michaele, altera ſub Baſilio; ſed una dumtaxat, eorum nempe Ruſſornm, qui quum ſub Michaele Urbem obſidione cinxiſſent, poſtea ſub Baſilio Legatis miſſis Epiſcopum & Baptiſmum accepere. Certe Zonaras p. 161. de illa Ruſſorum ſub Michaele Imp. in Urbem Byzantinam irruptione loquens, nihil de Epiſcopo tunc temporis ad eos miſſo addit: *Gens Scythica Ruſſi* (inquit) *Tauri montis accola, claſſe Euxinum pontum aggreſſa, ipſi Byzantino agro minabatur; ſed conſilium ei non ſucceſſit, divina providentia impeditum, quæ effecit, ut invita, vel potius iram numinis experta, rebus infectis diſcedere cogeretur*. Hoc ipſum legere eſt apud Leonem Grammaticum in Michaele Theodoræ filio pag. 463. cujus hæc ſunt verba de Ruſſis. *Porro Imperator, Ooripha præfecto, ut eam cuſtodiret, in Urbe relicto, adverſus Agarenos expeditionem ſuſcepit. Ooriphas, Imperatore nondum longe poſito, neque eorum quæ meditabatur & in mente habebat, quidquam exequuto, impiorum Ruſſorum ad Nigrum fluvium profectorum adventum nunciat. Imperator arreptæ viæ poenitens, expeditionem remittit, nihil regium, vel generoſum exequutus. Ruſſi Hierum uſque penetrantes, plurimam Chriſtianorum cædem ediderunt, & innoxium effuderunt ſanguinem. Erant illis navigia ducenta, quibus Urbem circumdederunt, & civibus terrorem incuſſerunt ingentem. Urbem verſus appellens Imperator, vix potuit pertranſire, & ingredi: & exinde cum Patriarcha Photio ad Sanctæ Dei genitricis Templum Blachernenſe acceſſit, ubi divinum numen placare contendunt. Deinde cum hymnorum cantibus ſacram Deiparæ Veſtem efferentes, extremo maris littori eam admove-*

Digitized by Google

moverunt, magnaque prius data aëris tranquillitate, conſeſtim ventorum impetus vehemens excitatus, & in mari prius pacatiſſimo fluctuum inſultus ad invicem facti ſunt ingentes, adeo ut impiorum Ruſſorum navigia confringerentur, paucis eorum periculo ereptis. Eadem fere verba de Ruſſis leguntur apud Simeonem Logothetam ad annum Michaelis ſolius imperantis nonum num. 37. pag. 446. & apud Georgium Monachum in Michaele Theodoræ filio num. 21. pag. 536. nulla ſcilicet facta miſſi ad Ruſſos Epiſcopi, aut accepti ab illis Baptiſmi mentione. Quod argumento eſt, Curopalatam & Cedrenum, qui pag. 30. & 551. ſcripſerunt, Ruſſos, Michaele imperante, poſtquam Conſtantinopolim fruſtra obſediſſent, domum reverſos, Legatis in Urbem miſſis, divinum baptiſmum petiiſſe & impetraſſe; uno tenore res diverſis annis a Ruſſis geſtas complexos fuiſſe: ita ut obſidio quidem, qua Conſtantinopolim cinxere, ſub Michaele contigerit; Baptiſmus vero illorum uſque ad tempora Baſilii Auguſti dilatus ſit.

VI. Quonam anno ſcripta ſit Photii Epiſtola ad Patriarchales Sedes Orientis, in qua Photius meminit Ruſſorum converſionis?

Ad confirmandam tamen Pagii opinionem facere videtur *Epiſtola* Photii (*a*) *ad Patriarchales Sedes Orientis*, a Baronio edita ad ann. 863. a num. 34. cujus initium: *Photius miſeratione divina Archiepiſcopus Conſtantinopoleos novæ Romæ & œcumenicus Patriarcha. Humani generis hoſtis nondum videtur noſtris malis ſatis contentus.* In hac enim Epiſtola num. 41. diſerta ſit Ruſſorum converſionis mentio in hæc verba: " Non enim (*b*) ſola gens

 ,, iſta

a Encyclica Photii Epiſtola ad Archiepiſcopales thronos per Orientem obtinentes, in editione Montacutii eſt ordine 2.

b Montacutius Photii verba Latine ſic reddit p. 58. *Certe non modo gens univerſa antiquam ſuam impietatem pro fide in Chriſto commutavit; ſed inſuper, quod multorum vocibus decantatur, quum poſt ſe omnes, quod crudelitatem attinet & ſanguinis fundendi cupiditatem, in ſecundis reliquerint, & illud quod vocatur Rhos, apud eos ita obtinuerit, ut Romani imperii ſubditos ſibi quaquaverſum proximos, in ſervitutem redigerent, atque animis ultra modum elatis manus injicerent violentas; illi ipſi in præſenti ſinceram & impermiſtam religionem Chriſti pure profitentes, pro paganica impietate illa, qua prius poſſeſſi detinebantur, in numero ſemet & ordine repoſuerant ſubditorum; adeo ut quum non ita pridem prædarentur noſtra cum audacia ſumma, nunc ſatis habeant, ſi acquieſcant. Et eo quidem uſque fidei amor & zelus intendit (de qua re cum Paulo dixerim: Benedictus ſit in ſæcula Deus:) ut Paſtorem & Epiſcopum ſibi propoſitum admittant, & Chriſtianos ritus religionis ſedulo ſuſcipiant, & amplexentur libentiſſime.*

,, iſta (*Bulgarorum*) a priore ſua impietate ad Chriſti ,, fidem converſa eſt ; verum etiam, quod apud multos ,, ſæpenumero eſt dictitatum, gens illa, quæ crudelitate ,, ac cædibus omnes ſuperat, qui Rutheni dicuntur quique infinitos populos ſibi ſubjecerunt, & propterea ,, multum elati adverſus Romanum Imperium manus injecerunt, nihilominus etiam iſti puram & immaculatam Chriſtianorum religionem, depoſita ſua illa ethnica & impia ſuperſtitione, quam antea ſequebantur, ,, noſtram fidem ſuſceperunt; ſubditorum loco & clientum humane nobiſcum ſe habentes, pro illa ſua priore adverſus nos deprædatione; & pro magna illa ſua audacia, ita eos fidei deſiderium & zelus accendit, ut ,, iterum Paulus clamare videatur: Benedictus Deus in ,, ſæcula. Epiſcopum enim & Paſtorem receperunt, & ,, Chriſtianorum ſacra magno ſtudio & diligentia venerantur. ,, Hanc autem encyclicam Photii Epiſtolam anno 867. fuiſſe datam, colligitur ex Epiſtola (*a*) S. Nicolai I. Papæ, Hincmaro & cæteris Archiepiſcopis & Epiſcopis in Regno Caroli glorioſi Regis Eccleſias conſtitutas regentibus, data x. Kal. Novembris Indict. 1. hoc eſt, die 23. Octobr. anno 867. in qua Epiſtola Nicolaus Pontifex accuſationum capita a Græcis contra Latinos evulgata dum refert ac refellit, clare demonſtrat, memoratam Photii Epiſtolam a ſe deſignari: ac proinde Ruſſorum converſionem, cujus in eadem Photiana Epiſtola fit mentio, ſub Michaele Imp. contigiſſe, annumque 867. anteceſſiſſe: adeoque eſſe ab altera Ruſſorum converſione diverſam, quæ ſub Baſilio Imp. & Ignatio Patriarcha poſt eum annum facta perhibetur.

VII. Oſtenditur, S. Nicolaum Papam in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ anno 867. data, non illam Photianam Epiſtolam, ſed aliam ſub nomine Impp. Michaelis & Baſilii evulgatam reſpexiſſe.

Verum ſi attentius ad laudatam Nicolai Pontificis Epiſtolam animum advertamus, facile perſpiciemus, eumdem Pontificem non ad Photianam illam Epiſtolam reſpexiſſe, ſed ad alias ejuſdem farinæ literas, nominibus Imperatorum Michaelis & Baſilii inſcriptas. Hos enim Imperatores, non Photium, Nicolaus Papa illatarum in Lati-

a Edita eſt Baron. ad ann. 867. a num. 42. ad 62.

Latinos calumniarum auctores facit apud Baron. ann. 867. num. 43. inquiens: " Verumtamen inter alia, quæ nos immenſis laboribus inſerunt, illa nos præcipue commovere videntur, quæ nobis, imo univerſæ Occiduæ parti a Græcorum Imperatoribus Michaele & Baſilio, & ab iis, qui ſibi parent, nequiter ingeruntur. Hi enim odio & invidia contra nos inflammati, quæ inferius annotabimus, nobis quaſi crimina hæreſeos impingere moliuntur. Odio quidem, quia Photii adulteri & invaſoris Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ atque Neophyti a depoſitis & anathematizatis factam promotionem non approbaverimus; fratris ſcil. & comminiſtri Ignatii ejuſdem Eccleſiæ Patriarchæ dejectionem, utpote a ſubjectis & ab imperiali potentia factam, nullo ſuſcipientes aſſenſu. Invidia vero, quia Regem Bulgarorum, Michaelem nomine, cum gente ſua, Chriſti fide ſuſcepta, a Sede B. Petri inſtitutores & doctrinam expetiiſſe audierunt: volentes quippe & nimium anhelantes, eoſdem Bulgaros a B. Petri ſubjectione ſubducere, ſuoque Imperio ſub prætextu Chriſtianæ religionis, callide ſubjugare, talia de Sancta Romana Eccleſia, non habente maculam neque rugam aut aliquid hujuſmodi, prædicant, quatenus illi, utpote adhuc in fide rudes, hæc audientes, nos quaſi noxios & diverſarum hæreſeon ſquallore reſperſos vitent, dejectent, atque penitus deſerant.„ Pergit Nicolaus Papa enarrans, quo pacto legatos ſuos tum ad Bulgarorum Regem, tum ad Imperatores Michaelem & Baſilium miſerit, & quomodo iſti Sanctam Romanam Eccleſiam calumniis impetierint. " Videbatur (inquit num. 47.) nobis iter navale ſatis difficile, & propter eorundem Græcorum expertas inſidias valde cavendum. Quum in his itaque anxietatibus undique coarctaremur, & ingentibus premeremur anguſtiis: ecce ſubito Legati jamfati Regis Bulgarorum nobis adeſſe nunciantur. Unde quis eſt, qui dicere poſſit, quanto gaudio & quanta exultatione ſimus repleti, eo quod & ſalubrem eorum converſionem per divitias bonitatis Dei cognovimus. & quia

„ illos doctrinam B. Petri Apoſtoli, Sediſque ejus exquiſiſſe comperimus, qui licet longe poſiti corpore, nobis tamen facti ſunt fide præſentes; ſed & quia per eorum Regnum, facilem ac terrenum Miſſis noſtris ad terram Græcorum acceſſum patere perſpeximus. Ordinatis igitur tam quæ Bulgarorum gentis congruere fidei rudimentis agnovimus; quam quæ Conſtantinopolim mittere diſpoſueramus, Miſſos quoque noſtros cum Legatis jam nominati Regis per ipſius tranſituros regionem direximus. Quos Imperatores Græcorum non ſolum recipere minime conſenſere; verum etiam vehementer averſati Bulgaros, animos commovere, eo quod per ſuam eos terram tranſire permiſerint, niſi quod eos, ſi per ſibi ſubjectas regiones tranſiiſſent, illis periculis traderent, quibus prædicti Urbis hæretici Principes ſæpe Sedis Apoſtolicæ Legatos pro cauſa fidei vel correctionis Eccleſiaſticæ deſtinatos tradidiſſe legimus. Præterea cum Bulgarorum Rege demorantibus, & ad Urbem Conſtantinopolitanam iiſdem noſtris accedere Miſſis conantibus, iidem Imperatores Epiſtolam ſuam (*a*), ipſi Regi Bulgarorum tranſmiſere: quam ille accipiens,

„ nobis

---

a Quum accepiſſet Photius, Nicolaum Papam ad Conſulta Bulgarorum Epiſtolam Reſponſa cvi. complectentem tranſmiſiſſe, quæ Tom. 8. concil. Labb. pag. 516. edita eſt: ſuam & ipſe ad Michaelem eorundem Bulgarorum Principem direxit Epiſtolam, τί ἐςιν ἔργον ἄρχοντος, *Quid ſit officium Principis*: quam Richardus Montacutius Londini 1651. pag. 1. Græce & Latine edidit: Ubi eum Principem dum vocat, Καλὸν ἄγαλμα τῶν ἐμῶν πόνων, *laborum meorum eximium ornamentum*: &, τῶν ἐμῶν πνευματικῶν ὠδίνων εὐγενὲς καὶ γνήσιον γέννημα, *partus mei ſpiritualis veram & genuinum genema*, ſeu, veram, & genuinam prolem, ſplendide, ut ſolet, mentitur: non enim Photio prædicante, Michael ille Bulgarorum Princeps ad fidem converſus eſt, neque a Photio idem Princeps Conſtantinopoli baptizatus fuit; ſed, ut refert Jo. Curopalates aliique Græci ſcriptores, *Principis Soror captiva Conſtantinopolim abducta, fit Chriſtiana, & poſtea domum reverſa, fratri Chriſtianorum myſterium commendat, & fidei ſemen in ejus cor ſpargit. Cumque deinceps Bulgari ab ingenti fame premerentur, ad Deum Chriſtianorum per preces Princeps confugit, idque genti ſibi ſubditæ, ut faceret, imperat. Impetrato auxilio, a Methodio baptizatur, poſtquam is depicta Chriſti univerſos homines judicantis imagine Principem eum induxiſſet, ut illico ſuam ejuraret ſuperſtitionem*. Non igitur a Photio, neque Conſtantinopoli, is Princeps baptizatus fuit, neque ab Epiſcopo per Photium miſſo; ſed aut per Paulum Romanum Presbyterum, de quo Anaſtaſius Bibliothecarius loquitur, aut per alium quemcumque Sacerdotem Græcum, ſive is Methodius pictor fuerit, qui poſtea Moravorum Epiſcopus eſt inſtitutus, ſive alius: quemadmodum ſuo loco demonſtrabitur.

„ nobis per Legatos noſtros deferri devota mente decre-
„ vit. Accipientibus itaque nobis, & perſcrutantibus
„ tandem cum aliis ſcriptis Epiſtolam, non hanc ſæpeme-
„ morati Principes dictantes, niſi in lacu blaſphemiæ
„ tinxiſſe calamum, & luto erroris uſi pro atramento fuiſ-
„ ſe, proculdubio potuere. Conantur enim tam noſtram
„ ſpecialiter, quam omnem generaliter quæ lingua Latina
„ utitur, Eccleſiam reprehendere, quod jejunamus in
„ ſabbatis: quod Spiritum Sanctum a Patre & Filio pro-
„ cedere dicimus." Cetera. Non negaverim, eas literas calumniis in Sanctam Romanam Eccleſiam refertas, quæ nomen Imperatorum Michaelis & Baſilii præferebant, a Photio Sedis Conſtantinopolitanæ invaſore procuratas, aut, ſi mavis, dictatas fuiſſe; eodem nempe modo, quo olim *Ecthesis* Heraclii, ac *Typus* Conſtantis, ſuggeſtione Byzantinorum Præſulum, prodierant: Verum, alias eas fuiſſe oportet ab Epiſtola Photio tributa, quæ apud Montacutium p. 47. ſic inſcribitur: *Encyclica Epiſtola ad Archiepiſcopales Thronos per Orientem obtinentes, Alexandrinum ſcilicet, & cæteros, in qua de capitibus quibuſdam dubiis ſolutiones meditatur, & quod non licet dicere, Spiritum procedere a Patre & a Filio, ſed e Patre ſolo*. Si enim Photii nomen eæ Literæ, de quibus agit Nicolaus Papa, geſſiſſent, illas utique idem Nicolaus Photio, non Imperatoribus Michaëli & Baſilio tribuiſſet; Photium inſuper earum auctorem, præter invaſionis Conſtantinopolitanæ Sedis, hoc etiam blasphemi & calumniatoris nomine notaſſet.

VIII. Quienus refellitur, qui exiſtimat, Ruſſos, de quibus eſt ſermo, non alios a Chazaris fuiſſe.

Quienus tom. 1. *Orientis Chriſtiani*, *in Præfat. de Patriarchatu Conſtantinopolitano* cap. 15. *de Bulgarica Diœceſi altera*, num. 5. pag. 108. exiſtimat hanc Photii encyclicam contra Latinos anno 866. ſcriptam; Ruſſos autem, qui a Photio dicuntur gentilem Deique neſciam opinionem cum pura & immaculata Chriſtiana religione commutaſſe, & Epiſcopum ſuſcepiſſe, affirmat illos ipſos populos fuiſſe, *quos Chazaros alioqui vocabant*, *Cherſoneſi Tauricæ accolas*; quos, ambo (*inquit*) vitæ SS. Moraviæ Apoſtolorum Cyrilli & Methodii ſcriptores Latini,

Mi-

Digitized by Google

Michaële Theophili & Theodoræ filio Imperatore, ab eodem Cyrillo, cui tunc Conſtantino nomen erat, ad Chriſti fidem adductos tradunt. Quam proinde Ruſſorum ſive (ut vult) Chazarorum converſionem, concludit, male a Græcis auctoribus illi tempori aſſignari, quo Baſilius Macedo, perempto Michaële, ſolus imperabat. Tria hæc falſa. Falſum primo, quod Photius encyclicam anno 866. ſcripſerit: quum Legatos Pontificios redarguat, qui anno 867. in Bulgariam abiere. Falſum ſecundo, quod Chazari a Cyrillo converſi, iidem ſint ac Ruſſi, de quibus hic eſt ſermo. Falſum tertio, quod Græci ſcriptores de Ruſſis loquentes, Chazaros intellexerint.

IX. Demonſtratur Photianam ad Orientales Patriarchas Epiſtolam poſt annum 867. ſcriptam fuiſſe.

Quod autem Photius eam, quæ *ad Orientales Archiepiſcopos* directa dicitur, Epiſtolam non anno 863. uti Baronio viſum, ſed poſt annum 867. conſcripſerit, non uno colligitur indicio. Nam primum in ea Photius mentionem facit Epiſcoporum, quos Nicolaus Papa ad Bulgaros miſit, una cum reſponſis ad conſulta Bulgarorum: qui Legati in Bulgariam venientes, non ſolum ea Bulgaris prædicarunt dogmata, quæ ab eodem Pontifice prædicare juſſi fuerant, ſed etiam chriſmate inunctos per Sacerdotes Photianos, denuo chriſmate inunxerunt. Sic enim ſcribit Photius num. 3. & ſeq. (ut Montacutii verſione utar:) *Sed & inſuper barbara Bulgarorum gens, & Chriſto inviſa & infeſta, in tantam manſuctudinem & Dei cognitionem convertitur, ut a patriis diabolicisque orgiis recedentes, & paganicæ ſuperſtitionis errorem excutientes, præter omnem exſpectationem in fidem Chriſtianam inſiti tranſierunt. Sed o improbum, invidum, Deo inviſum conſilium & inceptum! Talis enim narratio, Evangelii vel boni nuncii argumentum quæ futura eſſet, in dejectionem vultus commutatur: delectatio & gaudium in luctum & lamentum abiere. Nondum enim gens illa per biennium rectam Chriſtianorum religionem amplexabatur, quum impii quidam homines & exſecrandi, portenta [vel quo illos titulo Chriſtianus inſigniat?] homines e tenebris prorepentes [erant enim exorti ab Occiduis partibus] heu quomodo reliqua perſequi potero? Iſti, inquam,*

in

in gentem, novella quorum pietas, & nuper conſtituta, tamquam fulgur, terræmotus, ſeu copioſa grando, aut ut propius quod accedit ad rei veritatem dicam, tamquam aper agreſtis, Vineam Domini dilectam, nuper conſitam, inſilientes, pedibus & dentibus, hoc eſt ſemitis quibuſdam politiæ turpis, & dogmatum depravatorum, quæ illorum erat audacia, deprædantes, devaſtabant; omni cum fraudulentia a ſanis & puris dogmatibus & a fide inculpata Chriſtianorum, eos ſubdole deducere & corrumpere conabantur. In primis contra Eccleſiæ canones, illicite ad Sabbatorum jejunia traducebant..... Sed & chriſmate inunctos per Sacerdotes, denuo chriſmate inungere non dubitabant: quum ſe Epiſcopos prædicarent, & Presbyterorum chriſma inutile quiddam ac fruſtra factum comminiſcerentur..... Præter memoratas abſurditates, ſanctum & ſacrum Symbolum, quod ab omnibus œcumenicorum conciliorum calculis confirmatur, & vim obtinet irreſiſtibilem, ſenſibus ſpuriis, verbis adſcititiis, quæ ſumma fuit ipſorum audacia, conabantur adulterare. O machinationes Diabolicas! Spiritum Sanctum novo more comminiſcebantur, non de ſolo Patre, ſed etiam Filio procedere.... Hanc impietatem tenebrarum illi Epiſcopi (nam ſe Epiſcopos præferebant) una cum illicitis & illegitimis aliis apud gentem Bulgaricam diſſeminabant. Harum rerum fama pervenit ad aures noſtras; vulnerati ſumus lethali vulnere per media viſcera noſtra, non ſecus quam ſi coram & ſub aſpectu ſuo viderit quiſpiam ventris ſui fœtus a ſerpentibus & belluis huc illuc diſcerptos & direptos circumraptari. Qui enim ſtudium, labores, ſudores, in illorum regenerationem & baptiſmum contuleramus, non ſine ratione dolorem inſufferendum & calamitatem tulerimus, partus noſtros deperditos cernentes. Atque eodem modo de hoc triſti caſu condoluimus, quo gaudio majori perfundebamur, quum liberatos eoſdem primum a vetuſto paganiſmi errore videremus. Atqui Paulus Populonienſis & Formoſus Portuenſis Epiſcopi, (quos Photius reprehendit,) a Nicolao Papa ad Bulgariam non ſunt miſſi, niſi exeunte anno 866.

no 866. uti ad oram (*a*) demonſtro : neque ii in Bulgariam ante initium anni 867. pervenire potuerunt, atque ibi illa omnia, quæ Photius commemorat, cum Bulgaris peragere, neque eorum notitia ad Photium potuit meare ante exitum anni 867. Nullus præterea alius Latinus Epiſcopus, ante prædictos Formoſum & Paulum, in Bulgaria extitit, uti idem Nicolaus Papa ſignificat in Reſponſis ad Bulgarorum conſulta [quæ ſcripta fuiſſe *Idibus Novemb. Ind. XV* hoc eſt, 13. Novembris anno 866., ex iis quoque conſtat, quæ ad oram adnotavi] quum ait cap. 106. *Verumtamen in his omnibus aderit miſericordia Dei Miſſis noſtris, & futuro Epiſcopo veſtro, qui vos inſtruant, & quid agere debeatis, abundanter erudiant*. Et inferius: *Quum autem Epiſcopum, Deo concedente, ad Præſulatus noſtri miniſterium habueritis, ille vos docebit omnia, quæ ad officium ſuum pertinent; & ſi quæ ſunt, quæ non capiet, ab Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſuſcipiet*.

X. Eminentiſſimi Baronii ſententia expenditur, exiſtimantis Photianam illam Epiſtolam ann. 863. exaratam, cum quum Photius Schiſmaticas Guntharii & Theutgaudi literas accepit.

Jam ergo ſatis clare, ut exiſtimo, oſtenditur, Photianam illam Epiſtolam non fuiſſe ante finem anni 867. ſcriptam: quare vir eruditiſſimus Baronius allucinatus mihi videtur, dum ad annum 863. a num. XXI. relata ſententia, quam Nicolaus Papa in Guntharium ac Theutgaudum Epiſcopos in Synodo Romana tulerat, de iiſdem perfidis Epiſcopis num. XXVII. ſic proſequitur: " Perditiſſimi autem
„ Epiſcopi illi duo, quum deſperatam reſtitutionem viderent, ſchiſmaticis adhæſerunt, quos ſcirent infenſiſſimo
„ eſſe odio in Nicolaum, nempe Photio, ejuſque ſectariis. Ad Photium enim miſerunt Epiſtolam hanc, quam
„ ad Nicolaum ab ipſis ſcriptam ex Synodo confinxerunt,
„ ca-

a Regis Bulgarorum nuper ad Chriſtifidem converſi Legati Romam venere menſe Auguſto Indict. XIV. hoc eſt anno Chr. 866. Anaſtaſius in vita Nicolai I.

Nicolaus Papa eos dimiſit, datis Reſponſis ad eorum conſulta, miſſiſque una cum ipſis Paulo & Formoſo Epiſcopis, nec non directis Conſtantinopolim aliis ſuis Legatis, *Idibus Novembris Indict.* XV. hoc eſt, die 13. Nov. anni 866. uti patet ex literis a ipſo Nicolao ſcriptis, quas Legatos ſuos juſſit ad Michaelem Imp. ad Photium, ad Bardam Cæſarem: ad Ignatium Patriarcham: ad Theodoram Auguſtam: & ad Eudoxiam Auguſtam deferre. Tom. 8. Concil. Labb. Epiſt. Nicol. Papæ num. IX. pag. 326. num. XI. p. 371. n. XII p. 377. n. XIII. p. 381. num. XIV. p. 384. & num. XV. p. 389. quæ datæ dicuntur *Idibus Novembris Indictione* XV.

„ calumniis, mendaciis, atque blaſphemiis refertam, ſpi-
„ ritu plane ſatanico elaboratam, quæ ab eodem veteris
„ Chronici Auctore a Pithœo editi ſic recitatur. *Nicolao*
„ *Pontifici, Guntharius atque Theutgaudus. Patres Epiſ-*
„ *copi, & fratres* [a] *Coepiſcopi ad Te nos direxerunt.* Ce-
„ tera. Hucuſque Epiſtola Schiſmaticorum (*pergit Baronius*)
„ qui (ut dictum eſt,) Schiſmaticis illis ſe conjunxerunt,
„ qui erant ſub dominio Orientis Imperatoris, Photii red-
„ diti communicatores, ad quem ſcribentes, has confictas
„ ex Synodo literas miſere. *Mox num.* 33. Ita quidem
„ mens perditorum furore percita dictam Epiſtolam miſit
„ ad Photium & per ipſum ad alias Orientales Eccleſias.
„ Hac igitur, quam multo pretio redemiſſet, arrepta Pho-

[a] Summa audaciſſimæ & calumnioſæ hujus Epiſtolæ hæc eſt. 1. Ab Epiſcopis miſſos ſe dicunt ad Papam Nicolaum, ſeque ſponte veniſſe, ut ipſum conſulerent, ut perſcrutatis omnibus, quid inde ſentiret, & quid vellet, ſibi ſignificaret. 2. Sed nos (inquiunt) per tres hebdomadas tuum expectantes reſponſum, nihil certitudinis, nihilque doctrinæ nobis expreſſiſti. Tantum quodam die in publico dixiſti, nos excuſabiles apparere & innocentes, juxta aſſertiones noſtri libelli. 3. Ad ultimum autem nos evocati, ad tuam præſentiam deducti ſumus, nihil adverſitatis ſuſpicantes, ibique obſeratis oſtiis, facta more latrocinali conſpiratione, ex Clericis & Laicis turba collecta, & permixta, nos violenter inter tantos opprimere ſtuduiſti; longa ſcilicet intercapedine a noſtris, a Clericis, a Laicis ſeparatos, atque ſine Synodo, atque ſine Canonico examine, nullo accuſante, nullo teſtificante, nullaque diſputationis diſcretione dirimente, vel auctoritatum vel probatione convincente, abſque noſtri oris confeſſione, abſentibus aliis Metropolitanis, & Diœceſanis, & Epiſcopis, & compatribus noſtris, extra omnium omnino conſenſum, tui ſolius arbitrio & tyrannico furore, nosmet damnare voluiſti: ſubito quadam tibi chartula, & improviſe porrecta, lectoris officium aſſumens, aſſiſtente lateri tuo Anaſtaſio olim Presbytero ambitus damnato & depoſito & anathematizato, cujus ſcelerato miniſterio tuus præcipitatur furor. 4. Ergo tuam pravam ſententiam a zelo rectitudinis alienam, inuſitatam & irrationabilem, canonicis legibus contrariam, nequaquam recipimus; imo eum omni tuo fraterno, quaſi nefas atque maledictum fruſtra prolatum contemnimus atque abjicimus, Tibique anathematizatorum & religionis ſacræ abjectorum & contemptorum fautori & communicatori, revera communicare nolumus, contenti Eccleſiæ communione & fraterna ſocietate, quam tu arroganter, te exaltans, deſpicis, teque ab ea elationis tumore indignum faciens, ſegregas. 5. Igitur ex tuæ levitatis temeritate propria tibi met ſententia anathematis plagam inflixiſti, exclamans: Qui præcepta Apoſtolica non ſervat, anathema ſit: quæ multipliciter violare & violaſſe dignoſceris, divinas leges ſimul & ſacros canones calcans, & quantum in te eſt, evacuans; prædeceſſorum tuorum Pontificum veſtigia ſequi nolens. Nunc ergo qui fraudulentiam tuam, & calliditatem experti ſumus, indignationem quoque tumidumque potentatum agnoſcimus: nihil tibi tuæque ſuperbiæ cedimus, qua nos ad vota noſtrorum, quibus fauces inimicorum obruere feſtinabas, ſentientes nos non tuos eſſe, ut retractas & extollis, Clericos, quos ut fratres & Coepiſcopos recognoſcere, ſi elatio permitteret, debueras: Et hæc tibi noſtri ordinis non inſcii, nimium tua improbitate compulſi, reſpondemus, non quaſi ad illatam nobis contumeliam provocati, ſed contra tuam iniquitatem Eccleſiaſtico zelo accenſi, nec noſtræ utilitatis perſonam attendentes, ſed omnem noſtri ordinis univerſitatem, cui vim inferre conaris, præ oculis habentes.

Digitized by Google

„ tius occaſione ; mox ſcripſit ad Patriarcham Alexandri-
„ num Epiſtolam de cogenda adverſus Nicolaum Papam
„ & Latinam Eccleſiam Synodo Œcumenica . Ea quidem
„ Epiſtola integra habetur in pervetuſto Codice , carie
„ pene conſumpto , Bibliothecæ Vallicellanæ in Urbe ;
„ eadem vero in Codice Collegii Græcorum Romæ exi-
„ ſtentis habetur carens fine , decurtata illis , quibus agi-
„ tur de Legatione Epiſcoporum Latinorum adverſus Ni-
„ colaum Pontificem , eademque nomine Siſinii Patriarchæ
„ Conſtantinopolitani , ea nimirum ratione , quod Siſinius
„ ipſa uſus ; ea abſtulit , quæ tunc ad rem minime ſpectare
„ viderentur , de accuſationibus Latinorum quorumdam
„ Epiſcoporum adverſus Nicolaum Pontificem . Cæterum
„ Photii , & non Siſinii Epiſtolam eſſe , quæ in ea tractan-
„ tur de Bulgaris & Ruthenis ad fidem converſis , perſpi-
„ cua luce demonſtrant . „ Anno igitur 863. perditiſſimos
Epiſcopos Guntharium & Theutgaudum miſiſſe Epiſtolam
illam ad Photium , & Photium ſcripſiſſe encyclias ad Ale-
xandrinum alioſque Orientis Archiepiſcopos literas , arbi-
tratur Baronius , eo potiſſimum ductus argumento , quod
Photius in ſuis Encycliis apud eund. Baron. ad ann. 863.
num. 42. Schiſmaticorum illorum Præſulum Epiſtolam com-
memorat in hæc verba : " Ex partibus enim Italiæ Synodi-
„ ca quædam Epiſtola ad nos allata eſt , ſexcenta conti-
„ nens mala & delicta , quæ adverſus proprium ipſorum
„ Epiſcopum , illi qui Italiam incolunt , conqueruntur .
„ Sexcentas enim obteſtationes cum magna iræ Dei com-
„ minatione nobis adhibent , ne ipſos prætermittamus ita
„ miſere perditos , & tanta & adeo gravi tyrannide op-
„ preſſos ; Sacerdotales præterea leges & omnes Eccleſia-
„ ſticas regulas conculcatas narrant . Quæ jamdiu a Mona-
„ chis & Presbyteris inde confugientibus ad omnium aures
„ devenerunt : inter quos Baſilius fuit & Zoſimus & Metro-
„ phanes , & cum ipſis alii multi , qui hujuſmodi tyranni-
„ dem deplorabant , & ad Eccleſiarum defenſionem nos
„ vocabant multis cum lacrymis . Nunc vero (ut ſupe-
„ rius dixi) diverſæ literæ diverſorum inde venerunt hu-
„ juſmodi tragœdiæ & ſexcentorum malorum plenæ , qua-
„ rum

,, rum exempla , juxta eorum preces & obteſtationes (ad
,, univerſas enim Patriarchales Sedes illas dari cum hor-
,, rendis obteſtationibus nos rogarunt , ut ipſæmet literæ
,, quum legentur , manifeſtum vobis facient) his noſtris
,, literis adjecimus , ut de his rebus etiam Sancta univer-
,, ſali Synodo congregata , quæ placuerint Deo , communi
,, ſententia confirmentur , & magna pax Eccleſiæ Chriſti
,, reſtituatur . Nec enim ſolum veſtram beatitudinem ad
,, hoc advocamus , verum etiam alias Patriarchales &
,, Apoſtolicas Sedes , ex quibus quidem alii jam adſunt ,
,, alii vero brevi affuturi expectantur .

XI. Montacutius Photii laudator, & Eminentiſſimi Baronii calumniator, confutatur.

Montacutius in not. ad iſtam Photii Epiſtolam pag. 64. duo aſſerit a veritate longe aliena : primum ſcilicet , non Guntharium & Theutgaudum (uti Baronius affirmat) ſed Zachariam , & Rothaldum , auctores fuiſſe earum literarum , quas ex Italia ſibi miſſas Photius commemorat : deinde modeſtiam Photii ſummis laudibus extollit , eo quod ſuppreſſo Nicolai Papæ nomine, dixerit, Italos illos Epiſcopos adverſus *proprium Epiſcopum* ſcripſiſſe ; Sic enim ad hæc verba cap. 37. Photianæ Epiſtolæ : " Quum præcipue
,, ab Italiæ partibus, *συνοδική τις ἐπιστολὴ* , Synodalis ad nos
,, Epiſtola venerit , accuſationibus infandis repleta , quas
,, contra proprium ipſorum Epiſcopum Itali ad nos cum
,, multiplici condemnatione & juramentis non parvis tranſ-
,, miſerant ; ,, Sic , inquam , adnotat pag. 64. " Intelli-
,, gere poteſt Nicolai Papæ Epiſtolam , vel ad Photium
,, ipſum , vel encyclicam aliquam , quam ad omnes Pa-
,, triarchales Eccleſias ſcripſit e concilio . Nam per illa
,, tempora Pontifices non de plenitudine poteſtatis,ſed cum
,, Concilio tractabant res Eccleſiæ , & de nomine Concilii
,, ſcribebant paſſim ad Epiſcopos . Sed Photius intelligit
,, literas nec a Concilio , nec a Nicolao , ſed ab Italicis
,, quibuſdam contra Nicolaum ſcriptas , & per Monachos
,, Zoſimum, Metrophanem, ac Baſilium allatas. Qui autem
,, ſcripſerant , aut conſenſerant , *οἱ κοινοὶ* . Præcipui autem
,, autores erant Zacharias & Rothaldus , miſſi ex Italia
,, Conſtantinopolim in cauſa Photii : Baronius hic ſcilicet ,
,, quia omnia *εὖ καὶ καλῶς* de Nicolao , homine imperioſiſſi-

„ mo, cujus tyrannidem Italici illi ferre non poterant. Do-
„ lendum eſt autem Epiſtolas iſtas non extare . Photius
„ non meminit; noluit enim morbum illum depalare: unde
„ patet , non fuiſſe illum tam inimico animo in ſive Nico-
„ laum,ſive Romanam Eccleſiam,quam paſſim Baronius tra-
„ gice exaggerat.„Rodoaldus Portuenſis & Zacharias Anagninus Epiſcopi a Nicolao Papa pro cauſa S.Ignatii an.860. in Orientem miſſi,minis & muneribus excitati, quum ad Photii partes tranſiiſſent, & exauctorationi S. Ignatii anno 861. manus dediſſent,Romam quidem reverſus anno 862. Zacharias,& in Synodo coram Pontifice prævaricationem confeſſus, depoſitus eſt : cauſa Rodoaldi, qui moras in Galliis trahebat , alteri Synodo reſervata: qui quum poſtea Romam anno 864. veniſſet , rurſumque ex Urbe fugiſſet , eodem anno (*a*) a Nicolao Papa ſententiam depoſitionis tulit : non tamen aut ipſe Rodoaldus aut Zacharias ullam ad Photium adverſus Nicolaum Papam Epiſtolam dediſſe leguntur . Contra , Guntharius Colonienſis & Theutgaudus Trevirenſis Archiepiſcopi , eo quod in Synodo Metenſi tam ipſi , quam Rodoaldus Portuenſis Epiſcopus , & Joannes Ficoclenſis , Apoſtolicæ Sedis Legati , menſe Junio anni 863. corrupti muneribus , Epiſtolas Nicolai Papæ occultantes , nihil de his quæ ſibi commendata fuerant , egerunt , ſed e contrario , repudium Theutpergæ Reginæ a Lothario factum , & ſuperinductionem Waldradæ concubinæ probarunt , in Synodo Romana ſunt depoſiti . Annaliſta a Pithœo editus apud [*b*] Baron. ann. 863. num. xx. *Hoc anno* 863. *In Regno quoque Lotharii pro eo quod dimiſſa uxore legitima alteram duxit , Synodus in Metis congregata eſt omnium Epiſcoporum ejus , præter Hungarium Trajectenſem quem ægritudo detinuit . Aderant & Miſſi Nicolai* (*c*) *Romani Pontificis ob eundem cauſam diligenter inveſtigandam , directi . In quo negotio ventilato , Rex factum ſuum , propter quod arguebatur , conſilio & auctorita-*

a Vide Epiſt. vii. Nicolai PP. ad Orientales apud Baron. ad ann. 864. a num. 2 ad 4.
b Hoc ipſum haber Bertinianus apud Pagium ann. 863. num 3.
c Radoaldus ſcil. Portuenſis , & Jo. Ficoclenſis : ut ſcribit Bertinianus Annaliſta .

-ritate Epiſcoporum ſe feciſſe teſtatus eſt. Quod illi non inficiantes, quaſdam aſſertiones rationum veriſimilium, quibus geſtæ rei qualitatem munire niſi ſunt; oppoſuerunt, eaſque literis comprehenſas, ut Legati Apoſtolici ſuggeſſerunt, per Guntharium Agrippinæ Coloniæ, & Theutungaudum Trevirenſem Galliæ Belgicæ Archiepiſcopos, Apoſtolicæ Sedis Pontifici probandas tranſmiſerunt. Qui convocato Romanæ Sedis Epiſcoporum Concilio, & Metenſem anathematizavit (a) Synodum, & ad ſe miſſos Epiſcopos depoſuit, & communione privavit, juſte quidem & canonice, ut ſcriptis ſuis ipſe teſtatur; injuſte vero, ſicut illi ſcriptis & aſſertionibus firmare conantur. Hanc igitur Guntharius & Theutgaudus ſententiam quum accepiſſent, exeuntes ab Urbe, ad Ludovicum II. Imp. Beneven-

---

a Nicolaus PP. in Epiſt. ad Germaniæ Epiſcopos. *Igitur decernente nobiſcum Sancta Synodo in præſentia depoſiti, (Theutgaudus & Guntharius) & ab officio Sacerdotali excommunicati neque a regimine Epiſcopatus alienati indubitanter exiſtunt.* Sententiam in Synodo Romana adverſus Metenſe conciliabulum & adverſus Theutgaudum & Guntharium Epiſcopos a Nicolao Papa anno 863. prolatam vide apud Baron. num. 33. Damnatio vero Rodoaldi & Joannis Legator. dilata eſt in annum 864. quo Romam venerunt. Zacharias, & Theutgaudus anno 867. ab Hadriano Nicolai ſucceſſore recepti ſunt. Gulielmus in vita ejuſdem Hadriani. *Itaque Sabbato peractis rite orationibus, vigiliis, & eleemoſynis, Dominico ſecundum morem, idem Ven. Sacerdos* (Hadrianus) *ab univerſitate ad Eccleſiam S. Petri Apoſtolorum Principis ductus, XIX. Kal. Januar. Indict. 1. Anno præfati Anguſti XIX.* (ex quo regnare cum patre cœperat) *per Epiſcopos reverentiſſimos, ſcilicet Petrum Gavenſem* (Baron. in marg. Cavenſem: ſed legendum, Gobenſem, ideſt Gabiotum Epiſcopum) *Leonem Silvæ Candidæ, deinde tertio loco Donatum Oſtienſem, quia Epiſcopus Albanenſis obierat, Formoſus vero Portuenſis a Beatiſſimo Papa Nicolao ad prædicationem & inſtructionem Bulgarorum deſtinatus extiterat* (ergo Rodoaldus aut certe obierat: aut eo depoſito, Formoſus a Nicolao Papa ad Portuenſem Eccleſiam promotus fuerat:) *benedictionem Summi Pontificis, ad conſolationem videlicet multorum Sanctæ Dei Eccleſiæ filiorum, qui factioſorum tyrannide liberius ſolito ſæviente, inter unius deceſſionem & alterius ſubſtitutionem Pontificis, diverſis agebantur exiliis, variiſque afficiebantur incommodis, ſuſcipere meruit in nomine Domini. Siquidem ad celebritatem Miſſæ ipſius tam incredibilis extitit multitudo, ut certatim de manu ejus omnibus communicare nitentibus; Theutgaudus Trevirorum Archiepiſcopus, & Zacharias Anagninus Epiſcopus, qui a domno Nicolao Sacerdotio denudati, etiam communione caruerant, ſimulque Anaſtaſius, qui dudum a Leone, Benedictoque Pontificibus Presbyterio denudatus, inter Laicos communicare ſoli us erat, Eccleſiaſticam communionem ſub congrua ſatisfactione receperunt.* Idem Guntharius anno 869. ab eodem Hadriano PP. communionem accepit. Bertinianus Analiſta apud Pagium ad ann. 868. n. x. *Sed & ſui* (nemp: Lotharii Regis) *fautores cum eo ab ipſo Papa percepere communionem. Inter quos & Guntharius, auctor & inceptor hujus publici adulterii, communionem inter Laicos ab ipſo Hadriano Papa accepit, data illi prius coram omnibus profeſſione, quæ ita habetur. Profiteor ego Guntharius &c. Ego Guntharius huic profeſſioni a me factæ manu propria ſubſcripſi. Data Kal. Julii indict. 2. in Eccleſia S. Salvatoris, quæ eſt in Monaſterio S. Benedicti in Caſino.*

Digitized by Google

ventum eodem anno 864. perrexerunt, eumque innumeris calumniis in Nicolaum jactatis, magnopere in eum commoverunt: qui quum ei per literas perſuadere non potuiſſet, ut eos abſolutos ſuis redderet Eccleſiis, in Urbem ipſe cum ſuis ſe contulit, & indignas Catholico Imperatore adverſus Nicolaum exercuit contentiones: quem quum adamante duriorem eſſet expertus, re infecta reverſus eſt Beneventum. Tum vero illi Epiſcopi, deſperatam ſuam reſtitutionem videntes, eam quam ſupra recitavi, Epiſtolam, calumniis plenam, capitibus quinque comprehenſam, tamquam ex Synodo ſcriptam confingentes, ad Nicolaum Papam tranſmiſerunt, ejuſque exemplar per Baſilium, Zoſimum ac Metrophanem Monachos ad Photium direxerunt. Diſcat igitur Montacutius & Epiſtolam iſtam Schiſmatico furore conſcriptam extare, & ejus auctores non Zachariam & Rothaldum, ſed Guntharium & Theutgaudum eſſe, & Baronium iſthæc omnia adverſus Sanctiſſimum Nicolaum geſta nequaquam ſilere. Quod autem Photius de infami illa Epiſtola loquens, *Nicolai Papæ* nomen tacuerit, non id egit (ut putat Montacutius) quod in eundem Nicolaum & Romanam Eccleſiam inimico non eſſet animo, ſed ne ab ipſis Orientalibus, ad quos ſcribebat, Patriarchis reprehenderetur, qui omnes (uti ex Actis Synodi VIII. conſtat) & pro Nicolao Papa, & pro S Ignatio ſteterunt. Quin & illos ipſos Monachos, qui Guntharii ac Theutgaudi literas ad Photium detulerant, Hadrianus Pontifex, Nicolai ſucceſſor, ex Oriente ſibi remittendos curavit, quemadmodum apparet ex ejuſdem Epiſtola ad Baſilium Imp. anno 869. data [a] in qua ait: " Porro divi-
„ nitus protectum Imperium tuum precamur, ut Baſilium,
„ Petrum, Zoſimum, & alterum Baſilium, qui ſcelerum
„ ſuorum conſcii, & cupiditatis ardore ſuccenſi, propoſi-
„ tum deſeruerunt, & ſine commendatitiis literis Con-
„ ſtantinopolim properaverunt, ad nos per præſentes Apo-
„ ſtolicæ Sedis Miſſos remittat, quatenus dum profeſſionem
„ & lo-

[a] Cujus initium: *Legationis excellentia tua præſtantiſsimos gerulos*. Tom. 8. Concil. Labb. pag. 980.

„ & loca, quæ propter Deum primitus elegerunt, repetierint, & tibi cœleſte prœmium conferatur, & illis ſuarum lucrum animarum, divinitate propitia, concedatur. „ Alias autem, ſi Sanctorum Patrum regulæ calcari minime vel contemni tentantur, eos impune profecto nullus penes ſe retinere prorſus audebit: apud nos quippe a rudimentis ablactati, & Sanctæ ſunt converſationis habitum conſecuti, quin & in Monaſteriis noſtris officium Presbyteratus adepti: interim tamen eos, quod ſint excommunicati, donec ad nos redierint, tamquam ſacrorum violatores canonum, cognoſcere volumus.

XII. Ex iis, quæ Photius de rebus ante annum 867. geſtis in ſua Epiſtola commemorat, non recte infertur, eam quoque ab ipſo Epiſtolam ante annum 867. evulgatam fuiſſe.

Hæc obiter dicta ſunto, ut intelligatur, quam injuſte cauſam Photii tueatur Montacutius, qui tamen in notis ad eandem ipſam Photii Epiſtolam, eum hæreſeos arguere non dubitat, dum contra Latinos Spiritum Sanctum a ſolo Patre, non a Filio procedere aſſerit. Nunc a Montacutio ad eminum Baronium redeo. Photius quidem in ſua Encyclica Epiſtola, res anno 863. per Guntharium & Theutgaudum in Italia geſtas, ſuppreſſis eorum nominibus, commemorat; literas etiam ab ipſis per Monachos illos ad ſe tranſmiſſas adverſus Nicolaum Pontificem deſignat: at non eſt neceſſe, ut eodem anno ipſe quoque Photius ſuam illam Encyclicam ſcripſerit; imo longe poſtea id peregerit oportet, quum in eadem Epiſtola de Epiſcopis in Bulgariam ab eodem Nicolao nonniſi exeunte anno 866. miſſis conqueratur.

XIII. Photiani conciliabuli perſonæ confictæ: & Acta reprobata.

Huc accedit, quod in VIII. Synodo, Actione VIII. quæ die 5. Novembr. Ind. 3. anno 869. habita eſt, dicuntur (*a*) introducti in Synodum Petrus & Baſilius, quos Photius finxerat in ſuo Conciliabulo attuliſſe libellos ab urbe Roma adverſus Nicolaum Pontificem: qui interrogati, negaverunt omnino. Sed & falſarius ille, qui in eodem Conciliabulo ſuppoſuerat Leontium quemdam ſubſcribentem tamquam Apocriſiarium Patriarchæ Alexandrini: introductus iſte in medium, negavit omnino ſe fuiſſe Apocriſiarium, vel ſubſcripſiſſe, ſed tantum ab eodem Patriarcha literas accepiſſe ad Imperatorem. Præterea Actio-

a Vide Baron. ad ann. 869. num. 41.

Actione I. ejuſdem Synodi celebrata die 5. Octobris, Ind. 3. anno Chr. 869. ab Apoſtolicæ Sedis Legatis juſſæ ſunt legi Legatorum Patriarchalium Sedium Orientis literæ, quas ab ipſarum Patriarchis accepiſſent. Venerant hi ante annum integrum. Interrogati autem, cur venientes [a] Conſtantinopolim, Photium non convenerint, ſed ut execrabilem habuerint: reſponderunt & probaverunt, quod nunquam ab ulla Patriarchalium Sedium Orientalium eum receptum certo ſcirent, ſed & damnatum a Romano Pontifice. Ex quorum reſponſione redargutum eſt falſitatis ipſum Conciliabulum Photii adverſus Romanum Pontificem Nicolaum, cui, mentitus fuit, interfuiſſe & ſubſcripſiſſe Legatos Sedium Patriarchalium Orientis. Denique Actione 2. habita die 7. Octobris, ejuſdem anni 869. Epiſcopi, qui olim vel a S. Methodio vel ab Ignatio ordinati, lapſi deſciverant ab eodem Ignatio, ſecuti Photium alienæ Sedis invaſorem; juſſi ſunt ingredi Synodum, & legi ab eis oblatus libellus, in quo, præter alia, dicebant, ab eodem Photio mendaciter aſſertum, Sedes Patriarchales cum ipſo ſentire in depoſitione Ignatii Patriarchæ: ſicut etiam quum in Nicolaum Papam jaculatus eſſet anathema, mentitus eſt, Sedes Patriarchales ab ipſo ſtare. Quale autem & quantum fuerit Conciliabulum illud, ad quod Photius in Encyclica ſua Patriarchas Orientis evocare ſe dicit, quodque ſe celebraſſe adverſus Nicolaum Papam mentitur, audiatur Nicetas (b) in vita S. Ignatii: " Tunc igitur Imperator (*Michael Theodoræ filius*) ad regiam urbem quamprimum revertitur, & quum „ eſſet (c) Pentecoſte, Baſilium Patricium & Excubitorem „ ſtemmate ornans, Imperatorem illum proclamat. Photius vero verſutus multa adverſus Nicolaum Papam doloſe ſcribens, quum nihil aliud adverſus eum efficere „ poſ-

a Baron. ibid. num. 15. & 22.

b Apud Baron. ad ann 867. num. 84.

c Baronius exiſtimat, Baſilii inaugurationem factam fuiſſe anno 867. in die Pentecoſtes, adeoque *Indict.* xv. *die* 18. *Maji*. At Porphyrogenitus, Curopalates & alii, eam contigiſſe ſcribunt *Indict.* xiv. *die* 26. *Maji*, ac proinde anno 866. non 867. id quod & Pagius confirmat ad ann. 867. num. 10.

„ poſſet, perſuadet Michaëli Imperatori multis rationibus „ Synodum congregare, & Nicolaum damnare, atque „ omnes qui cum illo communicarent, ut hoc pacto pro „ ea damnatione, quam Nicolaus adverſus eum miſerat, „ vices redderet. Congregatis(*a*) igitur generoſus ille Pho- „ tius omnibus ſuis Epiſcopis & quibuſdam ſordidis homu- „ ncionibus & turpibus, nec non quaſi Legatis quibuſdam „ Patriarcharum Orientalium, in medium adductis, & fa- „ cta Pſeudoſynodo, Nicolaum Papam nulla ratione, ana- „ themate (ut ipſe putabat) damnavit. Magnis etiam mu- „ neribus præcipue Regem Franciæ Doliechum (*ſic Græci* „ *Ludovicum appellant*) & Engilbernam (*Engilbergam*) „ ejus uxorem ſibi propitios reddens, eos Imperatores in „ urbe Conſtantinopolitana ſe proclamaturum polliceba- „ tur, ſi ipſi opem ferrent in hac re adeo abſurda & inju- „ ſta, ut ſanctum illum virum Nicolaum ab Eccleſia vi „ ejicerent. Qui quum hoc illis polliceretur, verbo ci- „ tius inſanus Photius omnia fruſtra tentabat. Hinc ſub- „ ſcriptiones fiebant, & clamores, Canonicorum hominum „ & politicorum, nec non Metropolitarum omnia erant „ plena, & omnia iis quæ in ſcena fiunt, turpiora & magis „ deridenda. „ De eadem Pſeudoſynodo Photiana Me- trophanes Smyrnæ Metropolita in literis ad Manuelem Pa- tricium hæc habet: " Quum intellexiſſet (Photius) legatos „ Pontificis Romani in Bulgariam miſſos, Confirmationem „ ejus reprobaſſe, omneſque Bulgariæ principes & ſubje- „ ctos chriſmate iterum inunxiſſe; tum vero velut oeſtro „ percitus, œcumenicam Synodum confinxit. Cui confictæ „ Synodo, qui tum imperitabant, Michaëlem & Baſilium „ noſtrum Præſides induxit: Orientis etiam trium Patriar- „ charum Vicarios ac totum Senatum Palatinum, & Con- „ ſtantinopolitanæ Sedis Epiſcopos; necnon accuſatores

a Conciliabulum tamen ſuum Photius non anno 866. ſed 867. congregavit; quum ſcilicet Legati Pontificii ad Michaelem, nonniſi exeunte anno 866. miſſi, redire Romam coacti fuiſſent: qui cum Conſtantinopolim ire vellent, in finibus Bulgariæ a Theodoro Marchæ illius cuſtode detenti perque dies 40. illic reſidentes, ut cognoverunt, quia hoc Imperator Græcorum fieri juſſerat, terga verterunt, & Romam hæc eadem nunciantes coacti reverſi ſunt. Vide Pagium ad ann. 867. n. 21.

,, inſtituit, qui Nicolai Papæ ſcelera videlicet exponerent, ,, & deplorarent, judiciumque Synodi implorarent, te- ,, ſteſque adhibuit, qui accuſatorum calumnias confirma- ,, rent. Atque ipſe quidem ficta erga Papam pietate reſ- ,, pondebat, non eſſe abſentem judicandum: interimque ,, orationes contra Papam aſſidentium ſibi Antiſtitum, qua- ,, ſi repugnantium ſibi, inferebat; quibus ſcilicet victus, ,, accuſationes admiſerit, cauſamque cognoſcere coepe- ,, rit. Itaque tandem ſexcentis obrutum falſis criminibus, ,, Nicolaum damnat, atque anathemata in illum & com- ,, municantes cum illo conjicit; confictis omnium, qui ,, per ejus ſcilicet ſomnia erant in Conciliabulo, ſubſcrip- ,, tionibus, Imperatorum nempe duorum, & trium Vica- ,, riorum Orientis, totius Senatus, & Hegumenorum, ,, & Clericorum. ,, Anaſtaſius vero Bibliothecarius (a) in Præfat. ad Synodum VIII. " Et (quod horribilius ,, eſt) Conciliabulum præſidente Michaële Imperatore ,, *Photius* colligit; falſos homines quaſi Vicarios Orien- ,, talium Sedium format, accuſatores muneribus armat ,, & mendaciis conſtruit, teſtes eos adſciſcit quos & ,, accuſatores opponit. Judices nonnunquam & in ac- ,, cuſati perſonam admittit, exceſſus quoſdam quaſi ,, præfati Summi Pontificis fingit, impingit, & ſicut ,, putabat, damnatione ſimul & anathemate punit: ,, cunctis qui aderant, exceptis perpaucis, & his fauto- ,, ribus impietatis, clamantibus non eſſe juſtum, in Sum- ,, mum & primum Pontificem, & præcipue ab inferiori, ,, quomodolibet ſententiam proferendi; quum id nec Ca- ,, non quiſquam admittat, nec aliqua Eccleſiæ conſuetu- ,, do fieri doceat. Verum iſte falſarius falſorum exceſſuum ,, adverſus inſontem abſentem & invictum, mendacem ,, Codicem compilat, mille circiter Antiſtitum ſubſcriptio- ,, nes falſas interſerit, ſibi nemine prorſus conſentiente ,, vel conſcribente ex illa numeroſa Epiſcoporum multitu- ,, dine, niſi uno & viginti Præſulibus.,, Et poſt pauca, ubi de Legatis Byzantio Romam miſſis poſt Michaëlis Au-

a Tom. 8. Concil. Labb. pag. 965.

Auguſti cædem agit, ſic pergit de Codice Photiani Conciliabuli. " Mittitur itaque Romam, a parte quidem
,, Ignatii, Joannes Metropolita Silæi, qui & Perges Pam-
,, phyliæ præerat Eccleſiæ: a parte vero Photii, Petrus
,, Metropolita Sardenſis, qui contra Ignatium cum jam
,, memorato Gregorio (*Syracuſano*) auctor factus fuerat
,, Eccleſiaſticæ ſciſſionis: porro a Principe (*Baſilio Imp.*)
,, deſtinatur regius Spatharius Baſilius nomine, qui inter
,, utramque partem coram Sede Apoſtolica medius habere-
,, tur, & fidelis eorum quæ Sedes eadem decreviſſet, au-
,, ditor & nuncius. Sed Petrus quidem, licet nova navi,
,, & quam ipſe ſibi elegerat, veheretur, naufragium ſi-
,, mul & mortis periculum pertulit; & qui navim Chriſti,
,, hoc eſt, Eccleſiam ſciderat, navis ſuæ ſciſſionem non
,, inconvenienter incurrit. Ceteri ſane Legati Romam
,, pervenientes, Epiſtolas & profanum Codicem, in quo
,, continebantur geſta Conciliabuli, quæ Photius adver-
,, ſus Apoſtolicæ memoriæ Papam Nicolaum falſo fuerat
,, commentatus, atque omnia, quæ crebro memorato exi-
,, mio Præſuli deſtinata fuerant, quia ille ad meliorem vi-
,, tam migraverat, tibi præclaro ſucceſſori ejus, Domine
,, junior Hadriane, Præſul eximie, Sedis Apoſtolicæ gu-
,, bernacula egregie moderanti præſentant: qui accingens
,, ſicut vir lumbos tuos, & Danielis pueri ſpiritum ſumens,
,, & nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram a via regia decli-
,, nans, quæ ille decreverat, decreviſti, & quæ ſtatuerat
,, ſtatuiſti; atque omne providi patris edictum pius hæres
,, executus, injurias propriæ Sedis protinus vindicaſti.
,, Nam Synodo (*a*) mox apud B. Petrum collecta, profa-
,, num Codicem illum cremari cenſuiſti, & ita fieri apud
,, Conſtantinopolim, ſi quæ exemplaria ejus ibidem inve-
,, nirentur, jure mandaſti: quod & factum eſt: & aucto-
,, rem ejus pro tanta temeritate denuo damnans, hujus

a Concilium Romanum contra Photium ab Hadriano II. coactum anno 868. vide Pagium num. 6. Formoſus Portuenſis ei concilio interfuit. Tom. 8. Concil. Labb. pag. 1090. poſt allocutionem ſecundam Hadriani Papæ. *Honorandum Concilium per Formoſum Epiſcopum Sanctæ Portuenſis Eccleſiæ exclamavit in hæc verba: Pia conſideratio Summi Pontificis: juxta ſententiam univerſalis Eccleſiæ Præſulis omnibus placet &c.*

„ paria occultantes cenſura ſimili ſequeſtraſti . „ Hujus Romanæ Synodi anno 868. ſub Hadriano Secundo habitæ Acta & decreta recitantur Act. VII. Concilii (*a*) octavi, ubi cap. 1. *de profano Conſtantinopoli conciliabulo congregato penitus abolendo*, Pontifex ſic ſtatuit : " Conciliabulum „ vanitatis a Photio , & hujus fautore , Michaële videlicet, tyrannice imperante, Conſtantinopoli nuper adverſus Apoſtolicæ Sedis reverentiam & privilegium congregatum , utpote veritatis inimicum , & omni falſitate repletum , quin & ſibi conſentientium animas interficiens , „ Epheſino latrocinio comparandum fore ſtatuimus , & ipſius execranda geſta , quibuſcumque habeantur monumentis inſerta , ſummi judicis D. N. I. C. ſanctorumque „ Apoſtolorum principum Petri & Pauli , noſtræquæ „ mediocritatis auctoritate , penitus abolenda decernimus; „ ita ut igni voranda tradantur , & anathemate perpetuo „ percellantur . Similiter de ceteris ſcripturis , quæ, viris „ jam nominatis auctoribus , contra eandem Sedem tempore diverſo ſunt editæ , gerendum modis omnibus deſinimus. „Et cap.5. de iis qui geſtorum illius conciliabuli ſcripta non produnt , ſed defendunt . " Ergo quamdiu poſt „ notitiam hujus Apoſtolicæ ſanctionis ſibi perlata monumenta vel exemplaria geſtorum ipſius execrandi conciliabuli penes ſe quiſquam retinens celaverit , vel defenderit , & non potius propalaverit , vel igni tradiderit , „ tamdiu anathemate conſtrictus , communionis Chriſti „ munere careat , quinimo , ſi Clericus eſt , qui poſtmodum hæc vel celare vel defendere convictus fuerit, gradum quo potiebatur amittat . Similiter & de illo ſtatuimus, qui hæc occultare putatur, & ipſe hinc impetitus „ nec reſpondere , nec decretis Apoſtolicæ Sedis in hac „ parte parere conſenſerit , quæ non ſolum de Conſtantinopolitanis , ſed & Alexandrinis , Antiochenis , Hieroſolymitanis,atque de omnibus omnino fidelibus Apoſtolica „ ſanctione decernimus. „ Hoc ipſum Actione VIII. Concilii octavi factum eſt , ut ſcilicet omnia Photii ſcripta igni tra-

a Tom. 8. Concil. Labb. pag. 1085. ad 1096.

traderentur. " Jubente (*a*) Baſilio Chriſto amico & magno
,, Imperatore, poſitum eſt in medio Synodi vas æneum ad
,, id aptum, plenum igne: & delati ſunt in marſupio a
,, Theophylacto Reverendiſſimo Diacono & Referendario
,, omnes Tomi chirographorum, qui exacti ſunt a Photio
,, ab omni ſacrato catalogo, & ordine Clericorum, tam
,, magnæ Eccleſiæ, quam earum quæ foris ſunt, quamque
,, etiam a magnis & parvis, & omnibus Senatoriæ dignita-
,, tis, & cunctis aliis tam illuſtribus, quam ignobilibus, at-
,, que iis, qui omni arte ac diſciplina & diverſo ſtudio eſſe
,, videbantur, uſque ad pellarios, & piſces vendentes, &
,, lignarios, & acus facientes: inſuper & libri qui ficte
,, conſcripti ſunt contra beatiſſimum Nicolaum Papam, &
,, geſtorum relationes ac Synodos, quæ contra Sanctiſſimum
,, Patriarcham Ignatium factæ ſunt a Photio. Et accipiens
,, Georgius Reverendiſſimus Orphanotrophus ſingulos li-
,, bellos & tomos, tribuit hominibus utrorumque Sanctiſſi-
,, morum Vicariorum, qui miſerunt omnia in ignem, &
,, cremata ſunt, & redacta in nihilum.

XIV. Demonſtratur a Photianam illam ad Orientales Patriarchas Epiſtolam poſt annum 869. conſcriptam, aut potius confictam.

Quum itaque ex actis Synodi octavæ conſtet, primo, Photium in ſuo conciliabulo & ſubſcriptiones Epiſcoporum, & nomina, ac perſonas Legatorum Sedium Patriarchalium Orientis confinxiſſe; Secundo, Legatos, ſeu Vicarios (*b*) Orientis, ideſt Antiocheni, & Hieroſolymitani Patriar-

---

a Tom. 8. Concil. Labb. pag. 1101.

b Act. 1. Synodi octavæ, Tom. 8. Concil. Labb. pag. 991. habetur definitio Metropolitæ Tyri tenentis locum Patriarchæ Antiocheni, & Eliæ Vicarii Patriarchæ Hieroſolymitani, facta Conſtantinopoli, ubi per biennium morati fuerant, priuſquam Legati Sedis Apoſtolicæ perveniſſent. Ad iſtos Orientis Vicarios quum dictum fuiſſet (pag. 995.) *Et vos tempus multum feciſtis, hic expectantes a Roma Vicarios; quomodo prope habentes Photium, non quæſiſtis & vidiſtis: & ita condemnaſtis eum?* Reſponderunt: *Quum Romana Eccleſia prima Sedes Photium non receperit, neque tres Orientis throni, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus: non opus erat eum in quæſtionem & judicium denuo vocari; ubi & nos minime male fecimus, quum a Romana Eccleſia & Orientis Eccleſiis non receptum, ad inquiſitionem non adduximus: clara enim illius cauſa erat & damnatio. Et nos quando Conſtantinopolim venimus, & quando adhuc exulabat Ignatius, Patriarcham eum, quamvis ſuo pulſum ſolio, agnovimus.* Cætera. Vide tam in Latina Anaſtaſii interpretatione pag. 996. quam in Græco textu pag. 1287. Anaſtaſius ad ea verba Vicariorum Orientis: *Quoniam vero multa facta eſt tarditas, & ſuſpicamur ex Agarenorum tyrannica poteſtate propter tantam moram multas nobis ſuperventuras calamitates atque neceſſitates, imo vero & noſtrum totum genus Chriſtianorum propter talem cauſam ſummittendum variis tentationibus; nequaquam eos, qui a Roma venire putabantur, exſpectare juſtum putavimus: ſed &*

Patriarcharum, qui fere per biennium Conſtantinopoli morabantur, in Synodo octava die 5. Octobris Anni 869. affirmaſſe, Photium a Nicolai Papę temporibus uſque ad eum annum a tribus Orientis Thronis, videlicet Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano, ſemper damnatum fuiſſe, & nunquam receptum; nullas præterea ab ipſo accepiſſe, aut ad ipſum dediſſe litteras: adeoque nullam ab iis factam mentionem encyclicæ illius Photianæ Epiſtolæ, quæ ad Patriarchales Orientis Sedes data confingitur; quum hæc, inquam, ex Actis Octavæ Synodi, tam ab Anaſtaſio in Latinum converſis, quam Græcis quæ extant, conſtent; conſequens eſt, illam Photianam Epiſtolam ab eodem impoſtore Photio conſcriptam, aut potius confictam fuiſſe poſt annum 869. Alioquin ſi ante eum annum fuiſſet ſcripta, aut Legati Sedium Orientalium mentionem ejus feciſſent; aut una cum reliquis Photianis ſcriptis, Actione octava ipſius octavæ Synodi, flammis tradita, lucem nunquam vidiſſet, ſicuti Pſeudoſynodi illius Photianæ geſtorum abolita eſt memoria.

XV. Concluditur conficta a Photio fuiſſe quæcumque in illa Epiſtola narrat, præſertim de Armeniis, Bulgaris & Ruſſis ad Chriſti fidem converſis; deque Latinis contra Romanum Pontificem ad ſe confugientibus.

Quapropter (ut nunc tandem ad id, quod demonſtrandum aſſumſi, redeam) Auctor(a) Admonitionis ad Lectorem de

ſuperfluum & ſupervacuum arbitramur eſſe: præſertim quum ea, quæ Romæ regulariter ac Synodice geſta ſunt, præ manibus habeamus, ita ut hinc conſtet una nobiſcum eſſe Beatiſſimum Papam Nicolaum per literarum ſuarum voces, adhuc etiam & ſucceſſorem ejus beatiſſimum Hadrianum Papam per proprias Epiſtolas: ad hæc, inquam, verba Anaſtaſius pag. 994. lit. b. hanc adnotationem appoſuit: *Quando hæc iſti dicebant, annum integrum Conſtantinopoli morantes habebant*. Baronius ad ann. 869. n. xv. pro annum integrum, habet fere biennium: ſic: *Venerunt hi ante ferme biennium, ut in Actione v. inferius enarratur*: Nam Thomas & Elias, Vicarii Orientalium Sedium p. 1042. ajunt: *Nobis autem pervenientibus & degentibus hic per duos circiter annos, anticipantibus Sanctiſſimos vicarios Senioris Romæ, impoſuit* (Baſilius Imp.) *ſuper colla noſtra Encolpium ſuum &c.* Ex quibus colligitur, Vicarios Orientis uſque ab ineunte fere anno 868. Conſtantinopolim veniſſe; nec tamen commentitiam illam Photianam encyclicam ad illos miſſam fuiſſe; alioquin illius meminiſſent: neque ad Photium ullas ab iis datas fuiſſe literas. Sic enim memorati Vicarii Orientis pergunt pag. 1042. *Ego autem quoniam Dei gratia per omnes ſeptem annos Syncellus ſum Hieroſolymitanorum Eccleſiæ, ſcio plane, quia neque literas ſuſcepimus, neque remiſimus penitus ei. Sed & iſte Sanctiſſimus Thomas Metropolita Tyri quid locutus fuerit, frequenter audiſtis; ſimiliter & nunc affirmans dicit, quod Sedes Antiochena neque ſuſceperit literas a Photio, neque remiſerit unquam: & multo ante Sanctæ Romanorum Eccleſiæ ſuper ipſo decretum didiciſtis, & agnoviſtis, quod Beatiſſimus Papa Nicolaus promulgavit, & conſequenter ſucceſſor ejus Hadrianus. Hoc autem in præcedentibus noſtris & prædiximus & demonſtravimus: & ob hoc etiam nunc dico coram eo, & in facie ipſius, videntibus oculis ejus & audientibus auribus ipſius.*

a Tom. 8. Concil. Labb. pag. 1439.

de Pſeudoſynodo Photii, recte obſervat, commentitia prorſus eſſe quæcumque in Encyclica illa Photiana aſſeruntur. Addunt præterea (*loquitur de Græcis Photiano Schiſmati*
,, *addictis*) Addunt præterea Photiani, a Photio multos
,, hæreticos, & barbaras gentes ad fidem Catholicam eſſe
,, traductas. Teſtes (*inquiunt*) ſunt Armeniorum Pro-
,, vincia, & Meſopotamia, & integræ nationes barbaræ. Per
,, barbaras autem nationes videntur intelligere Bulgaros,
,, & Ruthenos, ut ipſemet Photius in ſua Encyclica Epi-
,, ſtola innuit. Verum ea quoque hinc falſa eſſe oſtendun-
,, tur. Nam Armeni (*a*) etiam tempore Photii, atque
,, adeo poſt illum, in ſuis erroribus perdurarunt, donec a
,, Sancto Nicone, qui poſt Photii tempora floruit, ad ve-
,, ritatem catholicam perducti ſunt. Bulgaros vero non
,, Photii opera ad fidem eſſe converſos, ſed a Nicolao
,, Pontifice eorum Regem petiiſſe, ut in Bulgariam mitte-
,, ret, qui eos Chriſtianis præceptis imbuerent, teſtatur
,, Anaſtaſius. Extant hac de re Nicolai, Adriani, & Jo-
,, annis octavi ſummorum Pontificum Epiſtolæ, & e Sy-
,, nodi octavæ Actis colligitur. Rutheni præterea quo
,, tempore, & cujus opera ſint Chriſtianorum fidem com-
,, plexi, Curopalates in Baſilio narrat. *Rhos* (ita Ruſſos
,, vocat) percuſſo cum illis, Græcis videlicet, foedere,
,, ut ſalutaris Baptiſmi participes eſſent, auctor fuit Baſi-
,, lius Imperator, miſſo ad eos Archiepiſcopo. Cui quum
,, non ante, ſe, ſuoſque fidem habituros diceret eorum
,, Princeps, quam miraculum aliquod cernerent: ut li-
,, ber Evangelii conjiceretur in ignem, poſtulavit. Quod
,, ſi non

a Tom. 8. Concil. Labb. pag. 1220. habetur Græcolatina Nicolai Papæ Epiſtola ad omnes Aſiæ, Europæ & Libyæ Epiſcopos capita x. complectens, quorum poſtremo continetur, *ut Beatorum Apoſtolorum noſtræque tenuitatis Diaconos recipiatis, illiſque veſtrum auxilium ubicumque implorantibus pro viribus ſuccurratis, præſertim in communi certamine: communis enim omnium labor eſt in reducendis (Armeniis dico) fratribus in viam, atque ad meliorem Dei cognitionem informandis*. Hæc Epiſtola continet ſumma omnium capita, quæ Nicolaus Papa ſcripſit ad Imp. Michaelem: ad Photium, & ad Clerum Conſtantinopolitanum, in prioribus x. Epiſtolis, quæ Latine extant Tom. 8. Concil. a pag. 263. ad pag. 371. In quibus tamen quum nulla fiat Armeniorum mentio, manifeſte apparet, id de Armeniis in Epiſtola Græcolatina expoſitum fuiſſe, quod de ipſis Græcis Conſtantinopolitanis dicendum erat, quibus a ſchiſmate reducendis omnem Nicolaus operam impendebat.

Digitized by Google

„ ſi non deflagraret, ſe cum ſuis illico Chriſtianam religio-
„ nem ſuſcepturum. Conditione accepta, & fuſis ab Epiſ-
„ copo ad Deum precibus, conjectum ſacrum volumen in
„ ardentem fornacem, poſt aliquot horas illæſum eſt in-
„ ventum. Quo miraculo permoti, ad Baptiſmum bar-
„ bari confugere. Eadem quoque recenſet Zonaras, Ce-
„ drenus, & Nicephorus; nullus tamen ex hiſce Scripto-
„ ribus ullam Photii mentionem facit. „ Hucuſque Au-
ctor illius Admonitionis: qui addere debuerat teſtimonium Porphyrogeniti in vita Avi ſui Baſilii, ubi diſerta fit mentio Ignatii Patriarchæ, a quo Ruſſi Epiſcopum acceperant. Ego vero a primo ad ultimum ajo, non ſolum quacumque in Photiana illa Encyclica narrantur, falſa eſſe, ſed etiam eandem Encyclicam a Photio, poſtquam is, (reſtituto in Sedem Conſtantinopolitanam S. Ignatio abſolutaque die ultima Februarii anno 870. Octava Synodo) in exilium pulſus eſt, confictam fuiſſe, perinde ac ſi ante annum 867. ab ipſo ſcripta fuiſſet. Argumentum, quo potiſſimum oſtenditur, eam ante annum 869. non fuiſſe ſcriptam, habes ex teſtimonio Orientalium, qui ab anno, quo Photius, ejecto Ignatio, Sedem illam primum invaſit, uſque ad annum 869. quo Synodus octava adverſus ipſum celebrata eſt, teſtati ſunt, eodem Photio vidente & audiente, nullam ab ipſo Epiſtolam a ſe accepiſſe, nullam ad ipſum ſe miſiſſe. Accepiſſent utique, ſi ea Encyclica *ad Orientales Patriarchas* (uti fingitur) directa fuiſſet. Falſa vero ſunt, ac mendaciis plena, quæ ibi a Photio aſſeruntur apud Montacutium: nimirum cap. 2. de Armeniis, abjecta Jacobitarum hæreſi, & anathematizatis Eutychete, Severo, Dioſcoro, Petris, Juliano Halicarnaſſenſi, aliiſque ad Catholicam Eccleſiam reverſis: cap. 25. de Bulgaris, opera Photii, a vetuſto paganorum errore liberatis. cap. 35. de Ruſſis ad fidem Chriſti converſis, & Epiſcopum ab ipſo, (uti innuere videtur) accipientibus. cap. 37. de Legatis ab unoquoque Patriarcha ad futuram Synodum mittendis: deque Epiſtola Synodica accuſationibus contra Romanum Pontificem plena, quam dicit ſibi ab Italia miſſam: de Monachis quoque, & Presbyteris inde profugis, per quos eadem

dem accuſationes olim ad omnium aures dimanarant, Baſilio nempe, Zoſimo, Metrophane, & aliis. *Iſtarum (inquit Photius) literarum exemplaria, ſecundum quod volebant, & rogabant ipſi, qui ſummopere contenderant, & nos adjurarant vehementer, ut ad omnes ubique Apoſtolicas Sedes tranſmitterentur, vobis legenda offerimus, & quidem literis nos his incluſimus, quo ſancta & œcumenica, quæ conventura eſt in Domino Synodus, prout cum canonibus congruere videbuntur, ſuo communi ſuffragio confirmet, ut ſic pace jugi, & profunda Chriſti Eccleſia quaquaverſum perfruatur.* Atqui Pſeudoſynodus illa a Photio habita eſt anno ineunte 867., falſis Metropolitarum ſubſcriptionibus fictiſque Vicariorum Orientis nominibus; nec enim ullus ex tribus Orientis Patriarchis, aut Legatum ſuum ad illam miſit, aut literas ad Photium ſcripſit, uti ſupra oſtenſum eſt. Qui autem a Photio inducuntur, tamquam Epiſtolam accuſationibus plenam adverſus Nicolaum Pontificem ad ſe offerentes, iidem in (*a*) octava Synodo Act. 8. Photium mendacii arguerunt, proteſtati, ſe neque libellum contra Pa-

a Tom. 8. Conc. Labb. p. 1354. *Deinde Imperator ad Romanos Legatos dixit: Imperium noſtrum adduxit vobis etiam ſuppoſititios illos Legatos, quos Photius contra Beatiſſimum Papam Nicolaum ſubornarat. Si videtur ergo, introducantur. Legati dixerunt: Introducantur. Intro luctus eſt ergo Petrus, & a Baane Præpoſito interrogatus: Fuiſti in Synodo Photiana contra Papam Nicolaum inito, aut contra illum, libellum obtuliſti? Petrus dixit: nihil horum mihi conſcius ſum. Legatur libellus meus, & quid a me factum ſit, planum fiet. Lectus eſt igitur libellus in hæc verba. Quoniam nonnulli ſuſpicati ſunt, noſtram tenuitatem adverſus Romanam Eccleſiam libellum tradidiſſe, quod in illo decantatiſſimo ſcripto noſtra nomina ſint expreſſa; ajo denuo, neque libellum a me porrectum eſſe, neque Imperatoriis auribus me obſtrepuiſſe; imo nec Synodo, ſi tamen facta eſt, interfuiſſe. Hæc mea certiſſima eſt defenſio, quam ſemper exhibebo. Vos autem rogatos velim, uti rurſus mihi Romam adeundi fiat poteſtas. Tum & ceteri ſunt rogati, inter quos Baſilius fuit, ad quem dixere: Tu libellum adverſus Romanam Eccleſiam tradidiſti? Abſit, inquit ille. Ergo, inquiunt, anathematizas & eum qui dedit, & qui ſcripſit. Baſilius reſpondit: Qui libellum adverſus Eccleſiam Romanam tradidit, anathema eſt. Ego vero ſum e Sancta civitate. Interrogavit Legatum Hieroſolymitani Patriarchæ Imperator: noſtine hunc? Etiam, inquit ille. Rogatus iterum Baſilius, cur adiiſſet Conſtantinopolim? Sub Benedicto, inquit, huc veni, & hic menſes viginti commoratus, jam deſtituebar rebus ad vitam neceſſariis. Et quando ejectus eſt Patriarcha Ignatius, Romam ego ſub Papa Nicolao profectus, inde rurſus huc redii; nec libellum illum contra ullum dedi, neque quidquam de Synodo novi. Quid enim? Ego ne Domeſticus fui Nicolai? Deinde interrogatus Leontius Alexandrini Patriarchæ legatus, reſpondit, nihil ſe ſcire de rebus quæ dicerentur. Baanes Præpoſitus ad Synodum dixit: Quid vobis videtur? Illi ſe rerum omnium ignaros dictitant. Photius igitur & libellos & perſonas finxit.* Cætera. Vide p. 1355. & in Latina Anaſtaſii verſione a p. 1101. ad 1103.

pam, & Eccleſiam Romanam obtuliſſe, neque Synodo Photianæ interfuiſſe. Ut hæc igitur; & alia mendacia, quorum Photius in Synodo octava convictus fuerat, a ſe depellere t., eam, dum in exilio latitaret, confinxit Encyclicam, in qua poſteris fucum faceret, illa omnia quæ in ſuo conciliabulo commentus fuerat, revera contigiſſe. Nec in irritum cecidit vaferrimum impoſtoris conſilium: nam præter Schiſmaticos, quos in hodiernum uſque diem Sectarios in Oriente habet non paucos, in errorem etiam induxit complures, alioquin non indoctos, Latinos Scriptores, qui ad res in Synodo octava geſtas, quarum mentionem feci, animum non advertentes, perinde ex iis, quæ in commentitia illa Encyclica narrantur, (ad Latinos, Bulgaros, & Ruſſos quod ſpectat) eorum temporum facta metiuntur, ac ſi vere contigiſſent: adeoque duplicem Ruſſorum ad Chriſti fidem converſionem tradunt, primam nimirum ſub eodem Photio, cujus ipſe in ſua Encyclica meminerit; alteram ſub Ignatio Patriarcha & Baſilio Imperatore.

XVI. **Fabuloſa recentioris cujuſdam Græculi narratio de Ruſſis ad fidem Chriſti converſis, Græcumque præ Latino Ritum eligentibus.**

Verum uti hactenus luce clarius demonſtravi, id quod, Ignatio in Sedem Conſtantinopolitanam reſtituto, a Ruſſis Epiſcopum fidemque Chriſti accipientibus geſtum eſt, Photius per ſummum mendacium ſibi tribuit, & ex Photio cæteri tam Græci, quam Latini incaute hauſerunt; ac præſertim ſequiores Schiſmatici, qui non contenti fabuloſa de Ruſſis ad Chriſti fidem adductis Photiana narratione, aliam inſuper non minus commentitiam hiſtoriam addidere, ad deprimendum ſcilicet Romanum Ritum, & extollendas Græcas ceremonias. Anſelmus Bandurius in Animadverſionibus ad librum Conſtantini Porphyrogeniti de Adminiſtr. Imper. edit. Pariſ. pag. 112. eam hiſtoriam, ſeu potius fabulam, initio mutilam, ex codice M. s. Colbertino ſignato num. 4432. exſcriptam, Græce, & Latine evulgavit. Nos Latinam exhibemus ejuſdem verſionem: quæ ſic habet. *Et (a) quæ ad Religionem eorum pertinent, accurate ediſcerent. Illi vero ſciſcitandi ſtudio cupidi, Romam ſe confe-*

a Miſſi nempe Ruſſorum Legati, ut primum explorarent, quænam eſſet Latinorum religio, & quis Ritus?

ferunt : iſticque omnia perſcrutantur & exquirunt , ac curioſiſſime diſpiciunt , cum ſanctorum Templorum decorem , tum Sacerdotum & Pontificum ordinem:imo etiamPatriarcham eorum , quem Papam vocant , inviſunt : a quo verbis & doctrina ad utilitatem ſuam ſpectante inſtituti , revertuntur , ac regionem ſuam repetunt . Hinc ſeſe magno Regi ſiſtunt ; ipſique omnia quæ viderant , & audierant , ſedulo recenſent . Adfirmabant porro , magna illa & veriſſima exiſtere , nec ulteriori perquiſitione & perſcrutatione opus eſſe . Quod ſi velis , inquiunt , illuſtriſſime , & glorioſiſſime Domine , Princepsque noſter , ipſorum fidem amplecti , id ipſis ſignificato, atque eorum myſteriis rite initiare . Quibus auditis Proceres , qui cum Rege erant , maximeque ii, qui ipſi talis propoſiti auctores fuerant , rurſus ipſum ita compellant : Non videtur nobis id agendum eſſe, niſi prius iidem ipſi Conſtantinopolitanos Ritus explorent & ediſcant . Fama quippe eſt , eam urbem magnam , immo præſtantiorem eſſe ; demumque e re fuerit , ut iidem hujus quoque religionem , & cultum examinent ac experiantur : & ſic poſtea ex his duabus meliorem deligemus . Tum Rex ille prudens & conſpicuus hoc conſilium admiſit , & amplexus eſt . Quamobrem quatuor illos ſæpe memoratos viros Conſtantinopolim mittit , ut omnia quæ ad religionem ſpectabant explorarent, ac experirentur . In hanc vero illi Urbem nec ſine magno labore concedunt , atque Baſilio Macedoni tunc Romanorum ſceptra moderanti ſe ſiſtunt , ipſique tanti ſuſcepti itineris cauſam renunciant . Is vero ingenti gaudio hos excipiens , mox viros illis eruditos & præclaros adjungit , qui omnia in Urbe pulcherrima monſtrarent , quique rogata eorum recte intelligere poſſent , iisque ſatisfacere . Hi autem quum multa ipſis in Urbe ſpectaculo digna oſtendiſſent , in celebratiſſimum illud , magnumque Sanctæ Sophiæ Templum cum ipſis ingreſſi ſunt. Atque ut vulgo fertur , tum magna ſolemnitas celebrabatur , ſive S. Chryſoſtomi , ſive Dormitionis Sanctiſſimæ Matris Domini mei ; id vero non certo dicere valeo : verum tamen eſt , tunc fuiſſe mirabilem , magnamque celebritatem . Quatuor porro viri , qui cum proceribus noſtris erant , totum Templum cir-

Digitized by Google

circumſpexerunt, necnon quæ ad celebritatem ſpectabant: luminaque cernentes, ac canticorum melodiam audientes, ſtupebant attoniti. Quum iſtic autem veſpertini & matutini hymni tempore veniſſent, multaque dixiſſent, audiviſſentque, accedit ſacræ & divinæ Liturgiæ tempus: rurſuſque laudati viri cum proceribus illis ab Imperatore miſſis in venerandum & maximum Templum ingrediuntur, ut incruenti & divini myſterii ſpectatores eſſent. Huc deducto ſermone, Dei erga homines amorem, qui vult omnes ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, ſtupens conſidero. Nam quum Ethnici, & barbari illi in ter maximum, ut diximus, templum intraſſent, ſtanteſque omnia quæ ibi tum gerebantur, conſiderarent, carioſeque ſciſcitarentur, cur primum quem Parvum vocant, Ingreſſus, deinde vero Magnus fieret, quare Subdiaconi & Diaconi ex ſacro bemate cum lucernis, & flabellis egrederenrur, imo etiam Sacerdotes, & Pontifices, pro aſſueto more cum tremendis ac divinis myſteriis, necnon Patriarcha, qui tunc Sedem obtinebat: ac turba in pavimento procideret, preces effunderet, clamaretque, Domine miſerere. Illi vero quatuor gentiles ſoli intentis oculis ſine reverentia hæc reſpiciebant, omneſque ſacros ritus conſiderabant. Quare miſericors ille & miſerator Deus noſter iiſdem viris oculos aperuit, ut quædam tremenda, & mirabilia viderent, ac poſtea ſciſcitantes, rei veritatem ediſcerent. Abſoluto quippe illo divino, & magno Ingreſſu, quum ſigno vocati omnes ſurrexiſſent; quamprimum viri illi qui ſtupendam viſionem conſpexerant, Imperatoris proceres ſecum adſtantes, manibus arreptos ſic alloquuntur: Tremenda, & magna eſſe quæ hactenus videramus, non diffitemur. Quod autem nunc vidimus, humanam naturam exſuperat: Juvenes quippe quoſdam conſpeximus alatos, ſpecioſo nec aſſueto amictu, qui pavimentum minime contingebant, ſed per aëra ferebantur, pſallentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Quod ſane nos omnes plus quam cætera in ſtuporem magnamque admirationem conjecit. Quibus auditis, Imperatoris proceres ita reſpondent: & fortaſſe omnia Chriſtianorum myſteria ignorantes, neſcitis, ipſos Angelos

de

de coelo deſcendere, & cum Sacerdotibus noſtris miniſterium obire? Tum illi: veriſſimum ſane & manifeſtum eſt quod vos dicitis, nec alio argumento opus habet: omnia quippe ipſis oculis vidimus. Demum nos remistite, ut eo redeamus, unde legati fuimus, quo Principem noſtrum de iis quæ vidimus & probe didicimus, certiorem faciamus. Quos illi tunc cum gaudio, & lætitia magna dimiſerunt. Reverſi autem illi in regionem ſuam, clariſſimo, & magno Regi ſe ſiſtentes, poſt ſolitum exhibitum obſequium, omnia quæ viderant, & audierant, ipſi renunciarunt, talia loquentes: Magna & ſplendida quædam nos Romæ nuper vidiſſe non negamus: at quæ Conſtantinopoli viſa nobis ſunt, humanam omnem mentem obſtupefaciunt: quæ illi minutatim recenſuerunt. Magnus vero princeps rei veritatem ab ipſis edoctus, de eaque certior factus, nulla intorpoſita mora, Conſtantinopolim ad piiſſimum Imperatorem Legatos mittit, qui Epiſcopum peterent, ut innumeram ibi populi multitudinem doctrina imbueret, & baptizaret. Tunc porro Baſilius Macedo Romanorum ſceptra moderabatur, qui exceptis cum gaudio magno hujuſmodi Legatis, Epiſcopum eo miſit pietate & virtute clarum, cum comitibus duobus Cyrillo & (a) Athanaſio, qui & ipſi virtute, & prudentia ornatiſſimi erant: neque ſolum divinæ Scripturæ notitia replesi, ſed etiam in humanioribus literis probe exercitati, ut eorum ſcripta teſtificantur. Eo profecti illi, omnes edocuerunt, & baptizarunt, & Chriſtianæ pietatis rudimentis inſtituerunt. Quum autem gentem eam omnino barbaram & rudem cernerent, ac nullo modo poſſent doctiſſimi Viri viginti quatuor Græcorum literas ipſos edocere: ne rurſus a pia religione deflecterent, triginta quinque literas ab ſe inventas & exaratas iisdem tradiderunt, quarum nomina hæc ſunt: As: Mpuci: Betd: Glaod: Dopro: Geesti: Zibit: Zelo: Zeplea: I: Zei: (*b*) Caco: Ludia: Mi: Nas: On: Pocoi: Ritzii: Sthlobo:

Te-

a Auctor ſchiſmaticus pro *Methodio*, *Cyrilli* fratre ac ſocio, perperam ponit *Athanaſium*.

b *Ize*.

Tebendo : Ic : Pherot, Cher : Ot : Tzi : Tzerbi : Saa : Sthia : Geor : Geri : Ger : Geat : Giu : Geus : Gea. *Hæ ſunt triginta quinque Ruſſorum literæ, quas hactenus omnes ediſcunt, atque rectam piæ religionis notitiam obtinent. Narrant autem quidam miraculum hujuſmodi iſtis in partibus contigiſſe. Quum enim Princeps ille, optimateſque, imo tota eorum natio, priſtina adhuc ſuperſtitione teneretur, ac nuper invectum cultum, Chriſtianorumque fidem conſiderarent; Epiſcopum, qui non diu advenerat, evocant : quem Princeps ille interrogavit, quid contra religionem ſuam dicendum haberet, & quænam ipſe docturus eſſet. Illo autem ſacrum divini Evangelii librum protendente, narranteque miracula quædam a Deo in humano adventu ſuo patrata : niſi quid ſimile, inquit Ruſſorum turba, nos quoque videamus, maxime vero quale narras in camino trium Puerorum factum eſſe, nullo modo iis, quæ dicturus es, credemus. Ille vero fidem habens huic veriſſimo dicto, quodcumque petieritis in nomine meo accipietis : & : qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, imo majora eorum faciet : reſpondit illis : etſi non liceat tentare Dominum Deum, attamen ſi ex animo ad Deum accedere decreviſtis, petite quidquid volueritis, idque Deus petitioni veſtræ obtemperans, exequetur, etiamſi nos quam minimi & indigni ſimus : Illi vero ſtatim petierunt, ut liber Evangeliorum in rogum ab ſe accenſum mitteretur; &, ſi hic illæſus ſervaretur, ſe ad Dei, quem prædicabat, cultum acceſſuros. Accepta conditio fuit : Sacerdoteque ad Deum oculos & manus erigente, ac dicente, Spiritum Sanctum (a) glorifica Jeſu Chriſte Deus noſter : in conſpectu totius gentis, liber Sancti Evangelii in caminum conjectus eſt : quumque horis non paucis arſiſſet caminus, hinc igne penitus extincto, ſanctus ille liber illæſus, integerque repertus eſt, nulla ignis nota, vel damno*

a Legendum omnino, *δόξασόν σου τὸ ἅγιον ὄνομα, Ἰησοῦ Χριστὲ ὁ Θεὸς ἡμῶν : Glorifica ſanctum nomen tuum, Jeſu Chriſte Deus noſter :* non, *σοῦ τὸ ἅγιον πνεῦμα, Spiritum Sanctum tuum.*

no remanente. Quod conſpicati barbari, ac magnitudine miraculi perculſi, ſine mora vel dubitatione ad ſanctum Baptiſma ſponte acceſſerunt, ac mente purgati, Salvatorem Dominum laudibus celebrarunt: cui gloria & imperium nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum Amen.

XVII. Anſelmi Bandurii in recitatam narratiunculam Animadverſiones.

Hactenus Hiſtoria: cui Bandurius pag. 116. hanc Animadverſionem ſubnectit. " Libet aliqua hic monere ad „ præfatam Anonymi hiſtoriam de Ruſſorum ad fidem „ Chriſti converſione. Et primo, quod ait hic ſcriptor Anonymus, Ruſſos adhæſiſſe Ritui Græcorum, propterea „ quod Legati Romam & Conſtantinopolim miſſi ad utrumque Ritum contemplandum, Ritum Græcum Romano „ prætulerunt; eadem ferme narrantur a Scriptoribus de „ converſione Vvlodomiri RuſſorumDucis, qui fidem Chriſti ſuſcepit Imperatoribus Baſilio, & Conſtantino, qui „ eidem Duci ſororem Annam in matrimonium dederunt: „ nam & ille Ritui Græco adhæſit, propterea quod Legati, quos ea cauſa Conſtantinopolim miſerat, homines nimirum militares, & adhuc ſemibarbari, eos vehementer commendaſſent; Latinorum vero Ritus, vel „ iidem, vel farinæ ejuſdem alii Nuncii, haud ſatis religioſe peragi, ac Templa parum eſſe ornata retuliſſent. „ Niſi id poſtea Græci Schiſmatis propugnatores confinxerint: quum Wlodomirum, ac filios pleroſque conſtet „ Catholicæ fidei cum primis ſtudioſos extitiſſe, quorum „ duo, David ac Romanus, ſive Boriſſus, ac Glebus, „ in Catalogo Sanctorum a Ruſſis etiam Romanæ Eccleſiæ „ unitis recenſentur. Quod autem ait de Cyrillo, is „ eſt ille(*a*)Epiſcopus & Apoſtolus Slavorum, ſancti Methodii Olomucii in Moravia Epiſcopi & Slavorum item Apoſtoli frater; quorum quidem memoria colitur die IX. Martii.,, Pergit Bandurius de Cyrilli ac Methodii geſtis diſſerens, deque duobus Slavorum Alphabetis, quorum unum ait *Kiurilitzam* dictum, ipſius Cyrilli eſſe, a *Kiurul* nomine Slavo, quod *Cyrillum* Latine ſonat, denominatum; alte-

a Jam monui, Cyrillum Slavorum Apoſtolum, nunquam fuiſſe Epiſcopum; ſed Monachum & Presbyterum dumtaxat.

alterum vero *Bukvizam*, appellatum *Divi Hieronymi*. Relatiſque Joannis Palatini, & Guillelmi Poſtelli de utroque Alphabeto ſententiis, ſuam ipſe in hæc verba aperit: „ Quid vero ipſe de Sancti Hieronymi Alphabeto, & verſione Sacræ Scripturæ ab ipſo, ut ajunt, in Slavonicam linguam factam, ſentiam, libenter fatebor. Nullibi „ in operibus divi Hieronymi ne quidem veſtigium reperi „ Linguæ Slavonicæ: quam quidem ſi calluiſſet, in explanandis Scripturis, & pluries quum de nominibus Hebraicis, ea procul dubio uſus eſſet. Ubi vero Divus „ Hieronymus patrium ſermonem appellat, aut noſtratum „ linguam; id de lingua Latina, quæ tunc per univerſum „ Romanum Orbem in uſu erat, intelligendum eſſe, nemo eruditus ignorat. „ Demum nomina literarum Slavonicarum a Sancto Cyrillo inventarum, quæ ſupra ex Anonymo Græco Scriptore ſunt prolata, quum ſint nonnihil depravata [ut paſſim occurrit apud Scriptores Græcos, dum alienas voces proferunt] idem Bandurius proponit, una cum diverſis Slavorum characteribus, tam Ruſſorum, quam Serviorum, & Dalmatarum, qui etiamnum in uſu ſunt.

XVIII. Oſtenditur, ab auctore illius narratiunculæ confuſam eſſe primam Ruſſorum ſub Baſilio Macedone converſionem, cum altera, quæ ſub Vlodimiro poſtea contigit.

Hæc Bandurius. Verum, [ut quid ego de illa Anonymi Græci Hiſtoria ſentio, ingenue aperiam] ajo, omnia quæ ibi narrantur, (præter Epiſcopum a Ruſſis expetitum & Librum Evangeliorum in camino ardente illæſum) commentitia eſſe, & ab Anonymo ad Baſilii Macedonis ætatem perperam conferri. Anonymus quippe primam Ruſſorum hujuſmodi converſionem, quæ Baſilio Macedone imperante contigit, cum altera, quæ Volodimiri Ducis, & Baſilii atque Conſtantini Imperatorum temporibus accidit, confundens, & ex duabus unam faciens, ea de Legatis ad Baſilium Macedonem & S. Ignatium Patriarcham miſſis addit, quæ in Annalibus Ruſſorum longe poſtea ſub Volodimiro facta apud Sigiſmundum Herberſteinium in Rerum Moſcoviticarum (*a*) Commentariis, (abſque tamen viſionis Angelorum ſacræ Liturgiæ miniſtrantium mentione) legun-

a Baſileæ 1571. ex officina Oporiniana pag. 7. Vide Pagium ad ann. 987. num. 5. ad 7.

guntur in hæc verba : *Vvolodimerus quum ſine impedimento totius Ruſſiæ eſſet Monarcha factus , venerant ad eum ex diverſis locis Oratores hortantes , ut ſe eorum ſectæ adjungeret . Varias autem quum videret ſectas , miſit & ipſe Oratores ſuos , qui perquirerent conditiones & ritus ſingularum ſectarum : tandem quum aliis omnibus fidem Chriſtianam Græco ritu prætuliſſet , elegiſſetque , miſſis Oratoribus Conſtantinopolim ad Baſilium & Conſtantinum Reges , Annam Sororem , uxorem ſibi ſi darent , ſe fidem Chriſti cum omnibus ſubditis ſuis ſuſcepturum , & reſtituturum illis Corſun , & alia omnia quæ in Græcia poſſideret , pollicetur . Re impetrata , conſtituitur tempus , eligitur locus Corſun ; quo quum veniſſent Reges , baptizatus eſt Vvolodimirus , commutatoque nomine Vvolodimiri , Baſilio illi nomen imponitur . Nuptiis celebratis , Corſun unacum aliis , ſicut promiſerat , reſtituit . Hæc acta ſunt Anno Mundi* 6469. (legendum 6496. ideſt Chr.988.) *a quo tempore Ruſſia in fide Chriſti permanſit* . Præterquam quod in genuina converſionis Ruſſorum narratione , quam Porphyrogenitus in Baſilio Macedone , aliique Scriptores Græci tradunt , nulla fit *Cyrilli* & *Athanaſii* mentio , quos Anonymus Græcus unacum Epiſcopo ad Ruſſos erudiendos a Baſilio Macedone miſſos fabulatur : Sed neque *Cyrillus* , Methodii frater , qui Chazaris , Bulgaris & Moravis Evangelium annunciaſſe atque Literas Slavicas excogitaſſe perhibetur , ad Ruſſos perrexiſſe legitur apud ullum idoneum auctorem antiquum : quemadmodum mox demonſtrabitur , ubi etiam de literis Slavicis a Cyrillo repertis , deque generali illa Ruſſorum ad ſacra Chriſtiana converſione , quæ Vvolodimiro regnante contigit . Hæc enim , quæ ſub Baſilio Macedone facta dicitur circa annum 871. eorumdem Ruſſorum converſio , neque generalis fuit , neque firmas radices egit : quum exeunte ſæculo decimo , quando rurſus Evangelium Ruſſis ſub Baſilio & Conſtantino Auguſtis annunciatum , & baptiſma ab eis , hortante Vvolodimiro Principe , ſuſceptum , nulli in Ruſſia Chriſtiani inventi fuerint , præter Helenam , alias Olgam , Reginam , ipſius Vvolodimiri Aviam .

Digitized by Google

C A P U T II.

Joannis VIII. Papæ pro recuperanda Bulgarica Diæceſi Studium. Bulgarorum origines & migrationes. Eorumdem res geſtæ, Regeſque ab anno Chr. 392. uſque ad Bogorim ſeu Michaelem, qui circa annum 865. Chriſtianam fidem amplexus eſt.

I. Joànnes VIII. Papa per Epiſtolas ad S. Ignatium Patriarcham, & ad Clericos Bulgariæ Diœceſeos operam impendit, ut Græcis ejectis, Latini Clerici in Bulgariam revocentur.

SEd jam a Ruſſis ad Bulgaros tranſitum facio. Non ſolum Hadrianus II. ſed etiam Joannes VIII. Papa, ejus ſucceſſor, Ignatium Patriarcham ſemel iterumque fruſtra monuerat, ut Græcos Clericos a Bulgaria revocaret; eam enim eſſe Romanæ Sedis diœceſim. Exſtant complures ejuſdem Joannis VIII literæ hac de re ad diverſos ſcriptæ anno 878. nimirum Prima, num. 78. ad *Ignatium Patriarcham*, *data menſe Aprilis Indict. XI. anno* 878. *miſſa per Paulum & Eugenium Epiſcopos*, quum tamen Sanctus Ignatius a die 23. Octobris anni 877. e vita migraſſet, id quod *menſe Aprilis* anno 878. Romæ ignorabatur, uti Pagius oſtendit ad eundem annum num. I. & XI. Initium: " Secundo jam Sedis
,, Apoſtolicæ literis probaris admonitus, & per miſſos ejus
,, conteſtatoriis conventus hortatibus, ut jure tibi Con-
,, ſtantinopolitanæ diœceſeos, quod per ejuſdem primæ
,, Sedis auctoritatem & favorem annuente Deo receperas,
,, rite contentus, ultra præfixos tibi ex canonibus limites
,, præſumptionis pedem non tenderes, nec [illegible]iques ter-
,, minos quos poſuerunt patres tui, aliqua uſurpatione
,, transferres. Nullus autem ignorat, regionem Bulgarum
,, a Sanctæ memoriæ Damaſo & deinceps uſque ad Paga-
,, norum irruptionem a Sedis Apoſtolicæ Præſulibus,
,, quantum ad Eccleſiaſticæ proviſionis attinet Privilegium,
,, moderatam: præſertim quum hoc nonnulla ſcripta, ſed
,, præcipue diverſorum Pontificum Romanorum res geſtæ,
,, quæ in Archivis antiquitus noſtræ reſervantur Eccleſiæ,
,, clarius atteſtentur: *Mox ſubjungit:* Unde merito poſt
,, pri-

Digitized by Google

„ primam, & ſecundam commonitionem, a noſtræ te debueramus communionis contubernio ſequeſtrare . . . Sed
„ quia Sedis Apoſtolicæ moderatione utentes, ſpiritu lenitatis potius quam ſeveritatis erga correptionis tuæ flagramus affectum, ecce tertio Canonice per miſſos, & ſyllabas commonemus & hortamur & proteſtamur, ut
„ nullam omnino moram perpeſſa, ſtrenuos viros in Regionem Bulgarum dirigas, qui per totam patriam peragrantes, quoſcumque illic repererint, qui a Te, vel a
„ ſubjectis tibi, conſecrationis munus accepiſſe dicuntur,
„ ſine quavis dilatione reducant: ut intra triginta dierum ſpatium nullus Epiſcopus, nullus omnino Clericus, qui tuæ ordinationis, imo inordinationis ſunt,
„ intra omnes Bulgarum fines inveniantur: non enim
„ patimur eos, quos ibidem tu illicite conſtituiſti,
„ quos & ab Apoſtolica eſſe jam Sede, hujus rei gratia, conſtat excommunicatos, errore ſuæ prævaricationis corda novorum Domini famulorum inficere:
„ quos videlicet in fide inſtructionis manu plantavimus, & aqua ſalutaris fontis doctrinarum rigavimus,
„ atque horum auctori Deo ad incrementum ſpiritus dandum, ut ſit ipſe in omnibus primatum tenens, obtulimus. Porro ſi intra triginta intervalla dierum omnes
„ quos vel tu, vel Epiſcopi tui conſecraſſe in aliquo gradu putantur Eccleſiæ, totius regionis Bulgaricæ terminis non eduxeris, & temetipſum ab omni Eccleſiaſtico illius jure diœceſeos non ſubduxeris, tamdiu ſancto Corpore ac pretioſo Sanguine D. N. Jeſu Chriſti
„ poſt duos menſes a die numerandos, qua hujus Epiſtolæ tomum acceperis, eſto privatus, quamdiu his
„ obſtinatus decretis noſtris minime obedientiæ colla ſubmiſeris. Jam vero ſi pertinaciter in hac indiſciplinatione atque pervaſione permanſeris, & Epiſcopos, &
„ quotquot illic vel illi, vel tu conſecraſſe videris, foras
„ illinc minus expuleris, omnipotentis Dei judicio &
„ beatorum Apoſtolorum Principum auctoritate, noſtræque mediocritatis ſententia, omni Patriarchatus eſto
„ dignitate, quam favore noſtro receperas, alienus &

„ exſors, nullo penitus ſummi Sacerdotii privilegio præ-
„ ditus vel potitus.

II. Ejuſdem Joannis VIII. Papæ Epiſtolæ ad Baſilium Imp. & ad Michaelem Bulgarorum Regem, de eodem argumento: ubi & Georgii cujuſdam Epiſcopi meminit, qui Sergium ad Belogradenſem Epiſcopatum promoverat.

Eodem die eodemque anno 878. ſcripſit Joannes VIII. ad Baſilium Imp. Epiſtolam ordine 80. ſeque duos prædictos Legatos Paulum & Eugenium Epiſcopos, qui Conſtantinopolitanam & Bulgaricam Eccleſias viſitarent, mittere ſignificavit: in Epiſtola vero ordine 81. *data* IV. *Kal. Martii* (ſive Maji) *Ind.* XI. eundem Imp. Baſilium monet, ut legatis a ſe miſſis fidem adhibeat, & opem Romanæ Eccleſiæ ferat. Scripſit & ad Michaëlem Bulgariæ Principem literas ordine 75. datas XVI. *die menſis Apr. Ind.* XI. anno 878. quarum initium: " Spiritualibus Te
„ viſceribus edito gaudebamus, & pro ſalvatione tua
„ gratias agebamus: ſed nunc aſtutia malignorum dece-
„ pto, triſtamur & ingemiſcimus, verentes & pertime-
„ ſcentes, ne ſi forte Græcos ſecuti fueritis, quum illi
„ in diverſas hæreſes & ſchiſmata ſolito more ceciderint,
„ vos quoque cum ipſis in erroris profunda ruatis. „
Hortatur, ut relictis Græcis, ad Romanæ Eccleſiæ gremium redeat; tum de dono miſſo gratias agit: *Xenium nobis*, inquiens, *ex vobis tranſmiſſum*, *quodam religioſi habitus Urſo deferente*, *ſuſcepimus*; *de quo benignitati veſtræ gratias agentes*, *Deum laudavimus*, *qui Te nobis devote munus offerre docuit*; *temetipſum cito totum*, *ut confidimus*, *& perfectum daturus*. Poſtremo Sergium quemdam ad Sacerdotium & Epiſcopatum a Georgio promotum, depoſitum fuiſſe ſignificat: " Ceterum gloria veſtra
„ ſciat, Sergium Eunuchum, qui quum genere Sclavus
„ eſſet, & multis pravitatibus irretitus, Sacerdotium per
„ ſurreptionem obtinuit, & poſt etiam ſuper aliis dete-
„ ctus & convictus exceſſibus, ab Epiſcopo tunc ſuo depo-
„ ſitus fuiſſe dignoſcitur, & poſt indigne ſatis a Georgio,
„ qui falſo ſibi Epiſcopi nomen uſurpat, ad Epiſcopatum
„ Belogradenſem provectus eſt, Apoſtolorum principum
„ & Sanctorum canonum auctoritate, etiam noſtri eſſe
„ ſententia decreti depoſitum: quod tam vobis, quam
„ veſtræ omnium generalitati Canonice patefacimus; ut
„ hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur; ne, quod
„ non

Digitized by Google

„ non optamus, ſimili cum eis pœna judicii teneantur „ aſtricti.

III. Aliæ ejuſdem Pontificis literæ ad Petrum Comitem, & ad alium quemdam Bulgarorum Principem.

Binæ aliæ hac de re exſtant ejuſdem Pontificis Epiſtolæ ordine 76. & 77. quibus hortatur, ut Michaëlem Regem ad gremium Romanæ Eccleſiæ revocent: *miſſæ per Paulum, & Eugenium Epiſcopos menſe Aprili, die 16. Ind.* XI. Harum prima inſcribitur *Petro Comiti*; altera, *Michaëli glorioſo Regi Bulgarum*; ſed hæc ſecunda non ad ipſum Regem Michaëlem miſſa eſt, uti falſo titulus præfert; ſed ad quemdam Principem Bulgarum, qui Michaëli Regi erat aut affinitate aut familiaritate conjunctus: ſic enim habet: *Chriſtianiſſimo Regi Apoſtolatus noſtri mittentes Epiſtolam, dignum duximus, ut & tuæ gloriæ ſcriberemus, & gemitus ac dolores noſtri cordis aperiremus, quos aſſidue patimur, ſuſpirantes & triſtes penitus incedentes, & ſtupore nimio admirantes, quomodo ipſe ſapientiſſimus Rex, & vos ipſi averti potueritis, & a recta ſemita declinare, & a Sede B. Petri Apoſtolorum principis omnino recedere .... nam cuncta, quæ ad ſalutem gentis veſtræ a nobis acta ſunt, & quot & quantos labores pro inſtructione veſtri nos aſſumpſerimus, ipſe profecto non neſcis. Et bene quidem primum in nobis delectabamini, & ſpiritualibus gaudiis & profectibus fruebamini: ſed neſcimus, quis vos de cetero faſcinaverit, quis deceperit .... Unde non parum dolemus, nec leviter anxiamur: & idcirco Te, virorum optime, cohortamur, loquere ad aures ejuſdem dilecti filii noſtri Regis ... ut ante ſe gradiens, retro nequaquam reſpiciat, viam qua ambulabat non deſerat .... In quo pio tua laboret opere præ cunctis ſolertia, ut non ſolum fratrem cariſſimum lucrifacias, ſed & de ſalute omnium veſtrum ipſe mercedum præmia conſequaris.*

IV. Elucidantur nomina Legatorum Regis Bulgariæ, qui in Synodo VIII. adfuere: ad quos exſtant Joannis Papæ literæ.

In Synodo octava Actione X. juxta Latinam Anaſtaſii editionem, poſt Imperatores Baſilium & Conſtantinum, & Legatos Sedis Apoſtolicæ, & Patriarcham Ignatium, atque Vicarios trium Patriarcharum Orientis, & Senatum, ſic legitur (*a*): " Similiter conſederunt in dextera parte „ glo

a Tom. 8. Concil. Labb. pag. 1124.

„ glorioſiſſimi Principes & Apocriſiarii perſpicui Ludovici „ Imperatoris Italorum atque Francorum, videlicet, Anaſtaſius Deo amabilis Bibliothecarius Romæ, Suppo primus Concofanariorum & conſobrinus uxoris ejus, & „ Evrardus præpoſitus menſæ ipſius: ſimiliter & glorioſiſſimi Judices Michaëlis ſublimiſſimi Principis Bulgariæ, „ Staſiſzerco borlas, Neſundicus, vagantur il Veſtrannatabare præſtit Ziſunas Campſis, & Alexius Sampſi Hunno. „ Barbara hæc nomina videntur ſic emendanda: *Staſis*: *Zerbulas* ſeu *Cerbulas*: *Sundicas*: *Tuennatabare*, ſeu *Tuventarus*. Nam in Epiſtola Joannis Papæ ordine 175. nominantur *Petrus*, *Cerbulas*, & *Sundica*. Et in Epiſtola 294. *Tuventarus*. Horum tamen Legatorum nomina in Græca editione ſupprimuntur: ſic enim [*a*] habetur Act. IX. *Quibus aſſidebant pone ad dextrum latus*, οἱ ἐνδοξότατοι ἄρχοντες τῦτε Μιχαὴλ τῦ ἐξοχωτάτυ καὶ λαμπροτάτυ ἄρχοντος Βυλγαρίας, *glorioſiſſimi Principes Michaelis excellentiſſimi ſplendidiſſimique Principis Bulgariæ*: ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ μέρει ὡσαύτως ὄπισθεν ἐκάθισαν οἱ ἐνδοξότατοι ἄρχοντες Λυδοίκυ τῦ περιφανῦς φράγκυ. *In altero vero* (*b*) *latere pone aſſidebant ſimiliter glorioſiſſimi Principes Ludovici perilluſtris Franci*. Is igitur, ad quem ſcribit Pontifex, aut unus erat ex iis Principibus, quos Michaël Rex ad Synodum direxerat; aut potius ejuſdem Regis frater, uti ab Joanne Papa appellatur. De *Petro* vero *Comite* hæc idem Pontifex: " Dilectiſſimo filio noſtro Michaëli, Chriſtianiſſimo „ Regi, Apoſtolatus noſtri mittentes Epiſtolam, dignum „ duximus, ut & tuæ quoque gloriæ ſcriberemus, & gemitus noſtri cordis aperiremus, quos aſſidue patimur, ſuſpirantes & ſtupore nimio admirantes, quomodo ipſe „ ſapientiſſimus Rex, & vos ipſi averti potueritis, & a „ recta ſemita declinare, atque a Sede B. Petri Apoſtolorum ſummi recedere ... Scribimus ergo tibi tamquam familiari & cariſſimo nobis: Tu enim in hac cau-

„ ſa

a Tom. cit. pag. 1359.

b Græca fide videtur mutatus a dextero in ſiniſtrum latus locus Apocriſiariorum Ludovici Imperatoris, qui & per contemtum ſolo *perilluſtris Franci* titulo inſignitur. Latina Anaſtaſii interpretatio, ex primitivo illius Synodi autographo deſumta eſt.

„ ſa primus ipſi Regi præcurſor & dux auctore Deo fuiſti : „ Tu inter illum , & nos medius diſcurriſti , & Deo gratias , cuncta quæ ad ſalutem gentis illius acta ſunt , non „ ſine tuo certamine acta ſunt , & quot & quantos labores pro inſtructione veſtri nos aſſumpſerimus , ipſe non „ neſcis . Et bene quidem in nobis delectabamini, & ſpiritualibus gaudiis & profectibus fruebamini : ſed neſcimus , quis vos de cetero deceperit . . . Et idcirco te , „ virorum optime , cohortamur , loquere ad aures ejuſdem dilecti filii noſtri Regis . . . ut ante ſe gradiens , „ retro nequaquam reſpiciat . Cetera „. Ad eundem *Petrum* , & ad *Cerbulam* , & *Sundicam* , *ceteroſque optimates & conſiliarios Michaëlis Regis Bulgarorum* , aliam dedit Joannes Papa Epiſtolam ordine 175. ſcriptam VI. *nonas Maji Ind. XII.* anno ſcil. 879. ejuſdem fere argumenti : ſic enim ait Pontifex : *Denique moneo veſtram omnium dilectionem , ut continuis adhortationibus atque ſuggeſtionibus , dilecto filio noſtro Michaeli glorioſo Regi , ſeniori veſtro , annuncietis , uſque cum eo ad ſinum S. R. Eccleſiæ , quæ vos æternæ beatititudinis cupit eſſe participes , redeat , ac redeatis* . Ad ipſum vero *Regem Michaelem* , Epiſt. 174. , datı ut ſupra *Ind. XII. Quia vos omnipotens Deus* (inquit) *dono gratuitæ miſericordiæ ſuæ , gentemque veſtram ad cognitionem ſui nominis vocare dignatus eſt, meminiſſe debebatis hoc quod Dominus B. Petro Apoſtolo dixit : Tu es Petrus , & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam : cui vos in primordio Chriſtianitatis veſtræ ad regendum commiſiſtis ; ejuſque ſucceſſoribus ad obediendum. Sed neſcio , qua ratione ab ejus magiſterio , calliditate quorumdam , eſtis abducti . . . aut illis crediditſtis , ut pace Græcorum loquamur , qui quotidie novis & variis diſciplinis atque Dogmatibus confunduntur* .

V. Aliæ Joannis VIII. Pontificis ad Michaelem Bulgariæ Regem literæ.

Aliæ ſunt Joannis VIII. ad *eundem Michaelem Regem Epiſtolæ* , partim Indictione XII. datæ , partim notis chronologicis deſtitutæ . Et prima quidem ordine 297. *Quum non tam initia ſint in bonis laudanda, quam finis* . Hortatur Joannes Papa , ut ad fidem & obedientiam Romanæ Eccleſiæ redeat , & legatos mittat . Altera ordine 312. *Si ab his* in-

inquit, *quos excommunicatos habebamus, Sacramenta quæcumque ſuſcipitis, conſtat, quia idololatriam, non ut Catholici eſſetis, ſed ut Schiſmatici efficeremini, reliquiſſe videmini*. Tertia ordine 287. Miratur, quod legatos non miſerit, quemadmodum jamdiu promiſerat: monet, ut id quamprimum faciat. " Miramur, quod tanto jam tem-
„ pore tranſacto miſſos veſtros ad S. Romanam Eccleſiam
„ matrem veſtram, & ad nos non tranſmiſiſtis. Modo ve-
„ ro (ſicut nobis retulit Theodoſius (*a*) Venerabilis Epi-
„ ſcopus) miſſos tuos cum eo dirigere promiſeras: ſed
„ pro qua cauſa eos dirigere prætermiſeris, ignoramus: „
Quarta ordine 189. dat. VI. *Idus Junias Indict. XII.* anno 879. Agit Deo gratias, quod legatos ſuos olim ad Nicolaum Papam miſerit, doctrinam Eccleſiaſticam & Canonica inſtituta recepturus: hortatur, ut nunc ad Romanam Eccleſiam redeat: & ſi ei placuerit, ſe legatum miſſurum pollicetur: " Quanta pietatis & miſerationis ſuæ largitate
„ vos omnipotens Deus dilexerit, narrare quis ſufficiat,
„ cariſſime fili? quando per infuſionem Sancti Spiritus ſui
„ in cor veſtrum, unigenitum Filium ſuum, per quem om-
„ nia viſibilia & inviſibilia condidit, vobis clementer re-
„ velare dignatus eſt, mentemque veſtram claritatis ſuæ
„ lumine irradiare, & de tenebris ad veram voluit perdu-
„ cere lucem, veræque fidei dogmate ſuo docere. Ipſius
„ etiam gratia vobis revelante, ad Sedem B. Petri Apo-
„ ſtolorum principis, quæ caput, & magiſtra omnium Ec-
„ cleſiarum Dei exiſtit, & a qua omnes Reges & Princi-
„ pes, verbum veritatis acceperunt, Legatos veſtros,
„ Petrum (*b*) ſcilicet cognatum veſtrum, & Joannem,
„ atque Martinum, prædeceſſoris Domni noſtri Nicolai
„ beatiſſimi Præſulis tempore, direxiſtis, ut & vos inde
„ doctrinam Eccleſiaſticam atque Canonica inſtituta reci-
„ peretis, ubi totius Eccleſiæ Chriſtus poſuit principatum:
„ quod nimirum, ſecundum veſtram voluntatem, ab ea-
„ dem

a Nonenſis Epiſcopus Theodoſius a Branimiro Croatiæ Duce miſſus. Vide Epiſt. 183. & 184.

b Hic ipſe eſt Petrus Comes, ad quem extat ſuperior Joannis Papæ Epiſtola ordine 175.

„ dem Sancta Romana Eccleſia promeruiſtis .... Quapro-
„ pter monemus gloriam veſtram, ut ad Sanctam ma-
„ trem veſtram Romanam Eccleſiam devota mente liben-
„ tique animo redeatis ... „ Et quia vos, ut prædictum
„ eſt, multum diligimus, noſtrum ad vos volumus cum Se-
„ dis Apoſtolicæ viſitatione dirigere legatum, viſitareque
„ vos, ſicut Paſtor viſitat gregem Domini ſui ſibi commiſſum:
„ ſi tamen cognoverimus voluntatem veſtram, quod no-
„ ſtram cupietis recipere legationem & Apoſtolicam viſita-
„ tionem. Quodſi volueritis, per hunc (*a*) Venerabilem Jo-
„ annem Presbyterum fidelem noſtrum, nobis ſub certitudine
„ literarum veſtrarum remandare curate, dilectiſſime atque
„ amantiſſime fili.„ Quinta ordine 192. dat. XVIII. kal. Jul. Ind. XII. Michaëli Regi Bulgarorum gratias agit de miſſis muneribus ac legatione: dolet eum defeciſſe ab Eccleſia Romana, ad quam monet ut revertatur. Oſtendit Græcos Bulgarorum Diœceſim, quum ſit Romani Pontificis, contra Canones detinere. *Multas regiæ excellentiæ veſtræ gratias agimus, quia ſicut cariſſimus filius divino repletus amore, Paternitatem noſtram per Functicum eximium fidelem veſtrum viſitare, miſſiſque donis honorare voluiſti; per quem tuæ ſalutis incolumitatem, omniumque fidelium tuorum audientes proſperitatem, valde ſumus gaviſi ... Sed non modica nos triſtitia, o fili cariſſime, repleviſti, quia Sedem B. Petri cæleſtis regni clavigeri, qui tibi in manifeſta viſione* (b) *apparuit, & opportunum auxilium præbuit, reliquiſti .... Revertere jam fili amantiſſime ad ſanctam matrem tuam Romanam Eccleſiam, quæ te religioſo utero genuit, & per quam totius religionis & juſti-*

a Hunc Joannem Presbyterum Branimirus Croatiæ Dux ad Jo. Papam legatum miſerat; eundemque Pontifex ad Branimirum remittens, ſimul dedit ei Apoſtolicam Epiſtolam deferendam Regi Bulgarorum. Vide Epiſtolam ordine 184 & 185. Dat. *die* VII. *Junii Indict.* XII.

b Anaſtaſius in præfat. ad Synod. VIII. (Tom 8. Concil. Labb. pag. 970.) *Has etiam regiones cum populo ſuo ad rectum fidei tramitem æquamque juſtitiæ normam perducere, inſpiravit jam memorato Principi Vulgarorum, per merita Petri, cujus in arcto ſitus, interventionem ſibi apud Deum adeſſe precatus eſt, ſicque de numeroſis cunctis hoſtium triumphavit, mittere Romam, & a Sede Apoſtolica, fidei & ſanæ traditionis poſtulare doctrinas.* Vide Reſponſa Nicolai Papæ ad conſulta Bulgaror. cap. 17. (eod. Tom. 8. Concil. pag. 524.)

juſtitiæ formam, prædeceſſore noſtro Nicolao præſule mittente, ſuſcepiſti, quæ omnium gentium retinet principatum, & ad quam totius mundi, quaſi ad unam matrem, & unum caput, conveniunt nationes. Noli amplius deſerere matrem tuam, quia illa tui non obliviſcitur, quin potius quaſi unicum diligit, & ſemper memoriam tui coram Domino facit. Non enim licitum fuit Græcis, alterius Parochiam uſurpare, ſanctis hoc Patribus apertiſſime prohibentibus: & idcirco ipſi contra canones Spiritu Dei conditos & totius mundi reverentia conſecratos, noſtras retinent Diœceſes. Quos ſi pro tuo nobis non eſſet amore, jam per Apoſtolicæ Sedis ſententiam inde compelleremus exire. Quod igitur Joannes Papa Epiſt. 78. & 79. tum Ignatio Patriarchæ, tum Epiſcopis & Clericis Græcis in Bulgaria degentibus, Indict. XI. anno 878. edixerat, ut, niſi intra triginta dierum ſpatium e Bulgaria exirent, proprio gradu exciderent; comminatoria ſententia fuit; alioquin *Indict.* XII. anno 879. non dixiſſet idem Pontifex ad Michaëlem Regem: *Si pro tuo nobis non eſſet amore, jam per Apoſtolicæ Sedis ſententiam inde* (e Bulgaria ſcil.) *compelleremus exire.*

VI. Photius, confiſta Baſilii Imperatoris genealogia, in gratiam ejuſdem & in Palatium recipitur.

Hæc ad Ignatium per Legatos ſuos Paulum Anconitanum, & Eugenium Oſtienſem Epiſcopos ſcribebat Pontifex, quum de ejus (ut ſupra dixi) obitu nondum certior factus eſſet. Interim Photius videns inter Joannem Pontificem & Ignatium Patriarcham, occaſione diœceſeos Bulgarorum, obortas diſſenſiones, & jam ea de cauſa eundem Pontificem ipſi Ignatio infenſum redditum, omnem movet lapidem, ut ab Imp. ſolutus exilio revocaretur Conſtantinopolim. Nomina videlicet ſingulorum ſcrutatus (ut ſcribit Nicetas in vita S. Ignatii) (*a*) Baſilii, inquam, Imperatoris, & Eudociæ ejus uxoris, & filiorum, Conſtantini

a Cangius de Familiis Auguſtis Byzantinis cap. 19. edit. Pariſ. pag. 138. Fictitii hujus Stemmatis Photium Patriarcham fuiſſe ajunt, quod ille digeſſerit in Baſilii favorem, cujus demereri gratiam avebat. Exhinc Conſtantinus Porphyrogenitus Baſilii ex filio nepos in Baſil. c. 2. 3. ut & Scylitzes pag. 557. id in vulgus ſparſere in commentariis ſuis, ſcripſereque, nullo licet fidei argumento, ortum Baſilium ab Arſacidis, Medorum, Parthorum, ac Armeniorum Principibus familiari nomenclatura. Cætera.

tini ſcilicet, Leonis, Alexandri, & Stephani; & ſingulorum primas accipiens literas, & componens eas, hinc fraudis occaſionem ſuſcipit, ut ſimplicitatem, ſeu potius levitatem Imperatoris caperet. Hiſtoriam enim & genealogiam hinc format & fingit eam, quæ neque eſt, neque unquam fuit. Tiridatem illum magnum Armeniorum Regem, qui tempore magni illius Gregorii Epiſcopi & Martyris fuit, conſtituti hiſtoriæ primum auctorem & originem. Ex illo videlicet Tiridate genealogiam nominibus, quibus voluit conſarcinans, aliam ex aliis fictam deducit hiſtoriam. Quando vero ad patrem Baſilii pervenit, hunc ſcripſit nativitate talem, qualis Baſilius fuit, & ejus nomen (*a*) *Beclas* finxit fuiſſe, quem feliciſſimum & annoſiſſimum hic Photius omnium eorum, qui hucuſque regnaverunt, futurum auguratur. Sexcentis etiam mendaciis, quibus delectari novit auditores, hiſtoriam illam quum repleſſet, vetuſtiſſimis quidem membranis, characteribus etiam Alexandrinis pro virili imitatis, talia ſcribit, & antiquiſſimis papyris ab antiquiſſimo libro detractis, omnia hæc obvolvit, ac deinde in magna Palatii Bibliotheca illa deponit. Qui vero in his omnibus fidelis miniſter Photio erat & hanc fraudem ſimul ſtruebat, Theophanes ille fuit, qui tunc temporis Clericus Regius erat, & apud Imperatorem ſapientiæ nomine ſatis præſtans habitus, ac deinde Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus factus, hoc videlicet prœmium ſuæ artis adeptus. Quum enim accepiſſet factum librum illum, & in Bibliotheca (ut diximus) depoſuiſſet: deinde tempus opportunum nactus, illum oſtendit Imperatori, tamquam omnium librorum mirabiliſſimum & ſecretiſſimum, quem fingit ſe non ſolum non intelligere, ſed nec alium quempiam præter ſolum Photium. Quamprimum

a Conſtantinus Manaſſes elucidat compoſitam a Photio ex primis literis vocem Beclas, ſic.

B Baſilius Imp.
E Eudocia Auguſta.
C Conſtantinus filius.
L Leo filius.
A Alexander filius.
S Stephanus filius.

itaque mittitur ad Photium; fingit autem ille, ſe non poſſe alteri dicere arcanum, niſi illi, pro quo ſcriptus eſt liber, videlicet Imperatori. Quid igitur? hac facilitate vel levitate ſuperatus Imperator, deponit odium, & illi conciliatur. Hæc origo amicitiæ Photii cum Baſilio (*a*) Imperatore. Hinc frequenter in Palatio erat fraudulentus ille, ſubfurando Principis benevolentiam. Acceſſit & alia quamprimum amicitiæ occaſio. Theodorum illum, habitu tantum Abbatem, Santabarenum inquam, nactus Photius, virum quaſi ſanctum & prudentiſſimum, mantica vero vel potius magica & inſomniorum dæmoniaca ſcientia præditum, ad Imperatorem ducit, & torquem illi quum feciſſet, per eum Patriarchæ Ignatio inſidias ſtruit, & illum a Patriarchali Sede ejicere molitur, & ſui reſtitutionem procurat. Quoniam vero animadvertit hoc ſatis difficile eſſe, aperte a Sancto Ignatio recipi, omnem movit lapidem. Ignatius canonibus Eccleſiaſticis inhærens, licet multis moleſtiis fuerit propterea affectus, nullo pacto illum recepit: Qui enim a Synodo canonice fuerat damnatus, non ſolum provinciali, ſed etiam generali, quinimo quod neque ab initio legitime dignitatem Pontificiam fuerat adeptus, ſed potius repudiatus, & ejectus; impoſſibile affirmabat, illum abſque majore Synodo innocentem declarare. Sed ille nulla habita ratione neque Canonis neque legis, ſibi Sacerdotium uſurpavit, & jam in Palatio manens, in loco qui dicitur Magnaura, Exarchos conſtituebat, & Ordinationes habebat, & quæ neque erant ad Eccleſiæ honorem, ſed ad

a Conſtantinus Porphyrogenitus in vita Baſilii cap. 44. hanc originem amicitiæ Baſilii cum Photio, utpote generi ſuo injurioſam, ſilentio premit; *Jam vero*, inquit, *viro inclyto Patriarcha Ignatio ſancte Deoque placitis moribus vita defuncto opuleataque canitie ac virtutum obvallante choro cunctiſque laudantibus virumque prædicantibus, vivis exempto; ei rurſus Eccleſiam rite reddidit, qui non rite ſibi ante eam vindicare viſus erat; legitimeque ac canonice ſapientiſſimum Photium in Regiæ Urbis vacante Sede conſtituit: quamquam ne prius quidem omni eum humanitate accipere, honoremque habere ceſſarat, quo ille omnis generis ſapientia atque virtute præditus erat. Verum quamquam Sede deturbarat, quod ſane nihil ſibi juſtitia cultu potius eſſe volebat, nihil tamen quod ſolandæ viri fortunæ eſſet, omittebat. Unde etiam aſſignato ei in Regia habitaculo, liberorum ſuorum inſtitutorem ac diſciplinis præfecerat. Ita neminem, quoad licebat, meſtis illius rebus negligebat; ſed cunctis benigne placideque utebatur, ac quibus modis poterat, omni ſtudio levamen adhibebat.* Hæc Porphyrogenitus, Avi ſui honori magis conſulens, quam veritati litans.

ad contumeliam & Patriarchæ afflictionem, & interitum animæ ſuæ, faciebat. Ita Imperatoris levitatem deſpiciebat, & omnia quæ ad Imperatoris gratiam aucupandam faciebant, ſimulando, Palatinis omnibus ſibi conciliatis, ſuaſque in partes traductis, latente intus ſcelere multo quam antea magis apertiuſque prodito, multoque majore quam antea vi ſæcularis poteſtatis comparata, non toto, quam Ignatius (*a*) obierat, triduo elapſo, Tribunal Patriarchale occupavit; & furore adverſus Sanctum renovato, cunctos illius domeſticos ac ſervos cuſtodiis, verberibus, exiliis, aliiſque intolerandis malis, & ærumnis oppreſſit: aliaque nefanda geſſit, quæ ex Niceta apud Baronium ad annum 878. a num. 49. ad 55. narrantur.

VII. Mortuo S. Ignatio Patriarcha, Sedem Conſtantinopolitanam iterum invadit, & a Joanne VIII. Papa admittitur, miſſis Conſtantinopolim literis, in quibus de Bulgaris ad diœceſim Romanæ Eccleſiæ revocandis agitur.

Photius igitur ubi iterum Patriarchatum invaſit, Theodorum (quem ipſe exul Patrarum (*b*) Metropolitam creavit, quem quidam facete Aphantopolis, hoc eſt, nuſquam extantis civitatis Metropolitam nuncupabant) hunc, inquam, Theodorum ad Joannem Papam Apocriſiarium deſtinavit, per quem ſcripſit, ſe per vim a tota Eccleſia totaque Republica coactum, Tribunal ſacrum denuo perinvitum conſcendiſſe. Atque ut mendacium in Epiſtola ſcriptum ſtabiliret, per Petrum a ſecretis, qui poſtea ob figmenta Sardium Pontifex, præmii loco, dictus eſt, omnium Metropolitarum ſigna furatur; adeoque ipſos ſibi Metropolitas ſuffuratur ignaros ſe libello ſubſcripſiſſe, quum arcanam fundi emptionem prætendiſſet. Tantus ille & tam inſignis fraudum omnium, & nequitiarum artifex erat. Baſilius quoque Imperator Legatos ſuos ad Joannem VIII. Papam adjunxit, Photium in Sedis Apoſtolicæ communionem ſuſcipi, & in Patriarchali Sede confirmari poſtulans; cujus Legationis meminit idem Pontifex Epiſt. 168. ad Pandenulphum Capuanum Principem dat. 3. non. Apr. Ind. XII. Anno 879. inquiens: " Sed quia Imperiales miſſi, ceu „ in ipſius Bajuli reperimus litteris, per vos tranſituri ſunt „ qua-

a Ignatius obiit die 23. Octobris anno 877. Photius igitur Sedem curſus invadit die 26. ejuſdem menſis & anni.

b Apud Baron. ann. 878. num. 52. *Patrarum Metropolitam.*

„ quatenus ad noſtram Apoſtolicam præſentiam veniant, „ petimus nobilitatem veſtram, ut pro noſtro amore, & „ ipſos veſtro auxilio munitos, proſpero, annuente Domi- „ no, nobis itinere dirigatis. „ Et Epiſt. 169. ad Gregorium Primicerium & Imperialem Bajulum, eodem menſe & anno data " Litteris tuis, quas nobis per Stephanum „ Candidatum fidelem tuum direxiſti, relectis, devotionis „ tuæ ſinceritatem & fidem, quam circa Eccleſiam Dei, & „ glorioſiſſimos Imperatores habes Auguſtos, enucleatius „ agnoſcentes, plurimum collaudamus. *Et poſt pauca*. „ Quapropter more prædeceſſorum noſtrorum Pontificum „ Conſtantinopolitanam Eccleſiam multiplicibus ſcandalis „ nunc perturbatam, prout juſtam eſt atque poſſibile, ſe- „ dare volumus, & pacem perpetuam ſtabilire. Præterea „ Legati Imperiales, quos ad noſtra Apoſtolica faſtigia „ dicis eſſe directos, ſi venerint, competenti a nobis reci- „ pientur honore, & Auguſtalem per eos nobis delatam „ legationem clementer recipiemus; atque ipſius legatio- „ nis textum & ordinem cognoſcentes, unacum Sedis Apo- „ ſtolicæ nobis commiſſæ aſſenſu, quantum fas eſt, pro „ Eccleſiæ Dei pace, Imperiali voluntati favere omnino „ ſtudebimus. „ Obtinuere Legati, quæ pro Photio petebant. Hinc Joannes Papa quinque ſcripſit Epiſtolas *die* 16. *Auguſti Ind.* XII. anno Chr. 879. Datas pro ejuſdem Photii reſtitutione: Primam (*a*) nempe *ad Imper. Baſilium, Leonem & Alexandrum* ordine 199. Alteram *ad Photium* (*b*) ipſum, ordine 201. Tertiam *ad Clericos* (*c*) *Conſtantinopolitanos*, ordine 200. quibus ſignificat ſe propter pacis & unitatis Eccleſiaſticæ bonum, de deceſſorum ſuorum & Synodi

a Initium: *Inter claras ſapientiæ & manſuetudinis veſtræ laudes o Chriſtianiſſimi Principes*, Tom. 9. Conc. Labb. p. 130. Hanc Photius corrumpens, mutilans, addens, Græce ſic reddit: *Puritas & ſplendor veſtræ rectæ fidei, & morum probitas & benignitas perfecta, o Chriſtianiſſimi & maximi Imperatores Romanorum*. Ibid. pag. 114.

b Initium: Experientia tuæ prudentiæ literis Pontificio noſtro delatis ſatis ubertim comperta, Altitonantem dominum, piiſſimas ei gratias agentes, laudavimus. Tom. 9. pag. 142. Apud Photium vero pag. 144 *Sapientiam & prudentiam fraternitatis tuæ in literis quum perſpexerimus, inſtar tonitrui cœlitus miſſi ex Deo reſonantem & omnes terminos terræ ſuo ſtrepitu replentem, pias Deo gratias & excelſas laudes retulimus*.

c Initium. Quorumdam ſane veſtrum, fratres cariſſimi, ſcripta ſuſcipientes, unanimitatem atque conſenſum in parte Photii in eis plene reperimus. Ibid. pag. 140.

di Œcumenicæ decretis diſpenſare, & Photium in communionem recipere ea lege, ut is in Synodo coram Apoſtolicæ Sedis Legatis celebranda veniam poſtularet. Quartam (*a*) *ad Joannem, Leonem & Paulum Patricios: atque Stylianum, Joannem, & Metrophanem Metropolitas, & ceteros Sacerdotes, ſeu cujuſcumque ordinis Clericos ſeu laicos*: Ut ſedato ſchiſmate, ad Eccleſiæ unitatem redirent, & Photio communicarent. Quintum ordine 203. ad *Paulum Anconitanum, & Eugenium Oſtienſem Epiſcopos: qua conſtituit* eos una cum *Petro Presbytero Cardinali* Legatos, ut ſicut illos monuerat, pacem in Eccleſia Conſtantinopolitana conficiant ſecundum Apoſtolicos ſuæ auctoritatis apices, & ſecundum Commonitorii ſui tenorem capitulariter deſcriptum. Hiſce in Epiſtolis, & ſignanter in prima, ſecunda, & quinta, agit de Bulgaris ſub diœceſi Romanæ Eccleſiæ revocandis: in hæc verba ad Imperatores cap. 14. (*b*) " Hoc „ etiam modo iſta, excellentiæ veſtræ precibus moti, fieri jubemus, ſi ipſe Patriarcha Bulgarorum diœceſim, „ quam piæ memoriæ Nicolaus præceſſor noſter, Michaële „ ipſorum Rege petente, Apoſtolicis doctrinis docuit, & „ per Venerabiles Epiſcopos ſuos lavit unda Baptiſmatis, „ omnique Eccleſiaſtica regula & diſciplina, prout oportebat, inſtruxit, amodo ſuo juri vindicare vel remittere nullo modo præſumpſerit, nec aliquam cujuſque honoris ibidem ordinationem fecerit [*c*] .... ibidem ſunt „ illicite ordinati Epiſcopi vel Sacerdotes ... Archiepiſcopo

---

a Ordine 202. Initium pag. 147. Omnium Eccleſiarum Dei ſecundum Apoſtolum ſolitudinem habentes.

b Tom. 9. Concil. Labb. pag. 148. Initium: *Quamvis contra noſtram egeritis voluntatem, & Conſtantinopolim venientes, inquiſita cauſa Eccleſiæ pacis & unitatis, Romam reverti nobiſque omnia ſub certa relatione debebatis referre.*

Commonitorium a Photio falſatum incipit apud Baron. ad ann. 879. num. 47. *Jo. Epiſcopus Servus Servorum Dei. Commonitorium fratribus Paulo & Eugenio Epiſcopis: ſimiliter & Petro Presbytero Cardinali, noſtris Conſtantinopoli Legatis. Quum primum divina favente gratia & interceſſionibus SS. Apoſtolorum Conſtantinopolim ingreſſi fueritis, illac divertite quo præcipiet Imperator.*

c Videntur hæ lacunæ ſic ſupplendæ: *Neque illi qui ibidem ſunt ordinati Epiſcopi vel Sacerdotes, vel alii inferioris ordinis Clerici, ut ibi permaneant, decertare: aut Archiepiſcopo vel Epiſcopis, qui ibidem videntur exiſtere, aut propriis manibus, aut per defenſorem, ſacrum Pallium, quo inter Sacra Miſſarum ſolemnia uti Pontificibus ſolitum eſt, ipſe Patriarcha mittere præſumpſerit.*

„ copo vel Epiſcopis, qui ibidem videntur exiſtere .... „ Sacrum Pallium, quo inter ſacra Miſſarum ſolemnia uti „ Pontificibus ſolitum eſt, ipſe Patriarcha mittere præ- „ ſumpſerit . „ Ad ipſum vero Photium cap. 6. " Præterea „ ſicut veſtra pars ſuum velle conatur accipere, ita & nos „ diœceſim noſtram Bulgariam, quam Apoſtolicæ recor- „ dationis ſanctiſſimique Domini Papæ Nicolai certamine „ Sedes Apoſtolica recepit, ac Hadriani æque beatiſſimi „ Præſulis tempore poſſederat, ſumma nobis celeritate re- „ ſtitui volumus. Et de cætero omnem ordinationem Ec- „ cleſiæ Conſtantinopolitanæ Præſulibus in eadem diœceſi „ Bulgarica, auctoritate Apoſtolica amputamus; ipſos „ autem ordinatos ibidem Epiſcopos, & omnes alios infe- „ rioris ordinis Clericos, ut inde ſe ſubtrahant, & ab in- „ vaſione Bulgaricæ noſtræ diœceſis ſe omnino compeſcant, „ decertare procures. Quibus ſi tu, aut Pallium dederis, „ aut quamcumque illis ordinationem feceris, vel donec „ nobis obediant, cum eis communicaveris, pari excom- „ municatione cum eis tenebris annexus. „ Demum in Commonitorio a Photio falſato cap. 9. " Volumus, ut co- „ ram Synodo prædictum Photium Sanctiſſimum Patriar- „ cham adhortemini, ut neque Pallium in Bulgariam mit- „ tat, neque ordinationes faciat in illa Provincia. Nam „ ſi hoc fecerit, ipſum ſecundum Canones arguemus.

VIII. Joannis VIII. Pontificis Literæ a Photio falſatæ: & confiſta Pſeudoſynodus.

Photius tamen, dum iſtas Epiſtolas in Græcum vertit, non modo illas falſavit, ſed etiam alias Joanni Papæ ſuppoſuit, cujuſmodi eſt quæ in Pſeudoſynodo Photiana (a) Act. 3. inſcribitur, " Reverentiſſimis & ſanctiſſimis omnibus Epiſco- „ pis, fratribus & comminiſtris noſtris Eccleſiæ Conſtan- „ tinopolitanorum, & omnibus qui illam ſuſcipiunt, & re- „ liquis aliis primis Eccleſiis, Hieroſolymorum, Antio- „ chiæ, Alexandriæ, & earundem Pontificalium Sedium „ Epiſcopis „ Et quæ in fine ipſius Pſeudoſynodi (b) po- „ nitur inſcripta, *Photio reverendo & Catholico fratri*, „ *Patriarchæ Conſtantinopoleos*. In his quippe falſandis Epi-

a Edit. Venet. Tom. 11. Concil. pag. 419.
b Ibid. pag. 499.

Epiſtolis, id potiſſimum Photius in mente habuit, ut & octavæ Synodi abrogationem tamquam ab Apoſtolica Sede ſancitam, & additionem illam ad Symbolum *Filioque*, reprobatam, & Bulgaricam diœceſim arbitrio ejuſdem Photii relictam, oſtentaret atque comminiſceretur. Quapropter & Synodum confinxit, hoc titulo prænotatam: πρακτικὰ τῆς ἁγίας Συνόδου συγκροτηθείσης ἐν Κωνσταντινουπόλει ὑπὸ Φωτίου τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ Πατριάρχου, ἐπὶ ἑνώσει τῆς τοῦ Θεοῦ ἁγίας καὶ Ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας: *Acta Sanctæ Synodi Conſtantinopoli congregatæ ſub Photio Sanctiſſimo & Œcumenico Patriarcha, pro unione Sanctæ Dei & Apoſtolicæ Eccleſiæ:* Actionibus ſeptem comprehenſam: quarum prima, ſine die & Indictione, continet numerum Epiſcoporum 383. Secunda habita dicitur die 16. Nov. Ind. XIII. (h. e. anno Chr. 879.) Tertia die 18. ejuſdem menſis Novembris: Quarta, menſe Decembri, in vigilia Nativitatis Domini. Quinta, die 26. Januarii, Ind. XIII. (anno 880.) Sexta die 10. Martii. Septima die 13. ejuſdem menſis. De qua Pſeudoſynodo (inquit Severinus Binius) illud dignum eſt admiratione, quod nemo Græcorum ſcriptorum eorum, qui res Baſilii Imperatoris proſequuntur, hujus Photianæ Synodi vel verbo unico meminerit: quum e contra ferme omnes de octava Synodo legitima Œcumenica, in qua Photius e throno depoſitus fuit, ſermonem faciant. Curopalates, Cedrenus, Zonaras, Glycas, Conſtantinus Manaſſes de hujuſmodi Photiana Synodo ne verbum quidem habent, quam ſane nequaquam prætermiſiſſent, ſi talis tamque numeroſa habita, ſacroſanctam & legitimam octavam Synodum damnaſſet. Unde de ea ſuſpicio augetur (judicio Eminentiſſimi Baronii) ut ea tota ita fuerit Photii ſtylo conficta & pennicillo ejuſdem mendaciis colorata, ſicut ab eo alias factum eſſe, ſuperius eſt demonſtratum. Magno dei beneficio prædictæ Epiſtolæ Joannis VIII. Papæ integræ hucuſque aſſervatæ fuerunt, ut ex earum collatione (quod præſtitit Eminentiſſimus Baronius ad annum 879.) dolus, fraus, & malitia Photii, admirabilis falſitatum architecti, toti mundo innoteſceret. Ex ejuſdem penetralibus prodiit Epiſtola ad *quatuor Orientis Patriarchas*: Et

Digitized by Google

altera Epiſtola ad ipſum *Photium*, ſub nomine Joannis confictæ, quarum prima Act. 3., altera poſt finem Pſeudoſynodi Photianæ apponitur, qua calumniatur inſuper eundem Pontificem, quod de Proceſſione Spiritus Sancti eadem cum Græcis Schiſmaticis ſenſerit, atque particulam *Filioque* e Symbolo tollendam eſſe cenſuerit. Hæc ſunt igitur quæ pro beneficiis a Joanne Papa acceptis, malitioſus homo & mendaciorum architectus reddidit; ut ſcilicet non modo Bulgaricam diœceſim ei non reſtitueret; ſed etiam literas ejus falſaret, oſtentans per ſummum mendacium, & Synodum octavam Œcumenicam ab ipſo fuiſſe reprobatam, & ipſum Pontificem in eadem cum Photio circa Proceſſionem Spiritus Sancti ex ſolo Patre ſententia eſſe. Quæ omnia pura puta ſunt Photii commenta; non minus quam illæ additiones, detractionesve, aut mutationes, quas pro veræ octavæ ſynodi abrogatione, ſuique ipſius expurgatione, Epiſtolis Joannis Papæ 199. ad Baſilium Imp. nec non 201. ad ipſum Photium, & 203. ad Eugenium & Paulum legatos ſcriptis, architectus falſitatis calumnioſe inſeruit.

IX. Bulgarorum Origo. Bulgariæ ſitus. Prima eorum Sedes ad Orientem fluminis *Etel*, ſeu *Volga* ſive *Rha* poſita. Secunda Sedes, regio Mæotidi Paludi conterminæ. Commiſſio fluvii *Etel* cum *Tanai* probatur; ex quorum nempe concurſu *Cuphis* amnis emergit. Tertia Bulgarorum Sedes, trajecto Danubio in Mœſia ac Thracia.

Sed omiſſis Photianis impoſturis, ad rem Bulgaricam ut propius accedamus, res ipſa videtur poſtulare, ut ejus gentis origines reſque geſtas, uſque ad hæc, in quibus verſamur, Joannis VIII. Papæ tempora inveſtigemus. A Scandinavia, unde in Pomeraniæ maritima migrarint, ortos primum Bulgaros, tradit Franciſcus Irenicus lib.6. cap.32. contra veterum auctoritatem, qui longe aliter de primis hujuſce gentis ſedibus ſcripſerunt. Quippe Geographi Arabes, Perſæ, ac Turci, incoluiſſe primo regiones illas ad Orientem fluminis Rha ſeu Volga poſitas commemorant, unde & nomen iis inditum, ita ut Latinis primo dicti ſint *Vulgari* ſeu *Volgari*, deinde *Bulgari*, *V* in *B.* converſo, & viciſſim: unde Baudrandius, " Bulgaria, *inquit*, regnum ,, eſt Aſiæ, & pars Tartariæ Moſcoviticæ, vulgo *le Royau*,, *me de Bulgar*, inter Cazanum regnum ad occaſum, Aſtra,, canum ad meridiem, & Tartariam deſertam ad boream ,, & ortum; dicitur aliter a quibuſdam regio ſive Horda ,, Zavolhanorum, extenditurque juxta Volgam fluvium ,, Zavolhani namque dicti, a Volga, ſicut Zachlumi a Chlu-

Chlumo; nimirum *G* litera in *H* converſa, ſicuti Slavi Ruſſi ſolent: quod etiam Tartaris, ideſt Scythis, ſolemne eſt, quibus Bulgari appellantur *Bulgar*, & *Bulhar*. Ea de regione Herberſteinius in Commentar. Rer. Moſcoviticar. cap. de Tartaris pag. 64. ſic ſcribit: *Bathi Tartarorum Rex magna manu a meridie in ſeptentrionem egreſſus, Bulgariam, quæ ad Wolgam infra Cazan eſt, occupavit*: (anno videlicet mundi 6744. hoc eſt Chriſti 1236.) *Anno deinſequenti, qui erat 8745. ſequutus victoriam, in Moſcoviam uſque pervenit, urbem regiam aliquamdiu obſeſſam per deditionem tandem accepit*. Et cætera. Al-Bergendius, & Ben-Alvardi, Geographi, Clim. 7. tradunt, præcipuam Bulgarorum ad Volgam habitantium urbem a Ruſſis antea, hoc eſt, anno Hegiræ 358. Chr. 968. occupatam fuiſſe, eamque a Sarajo Crimeæ ſive Tauricæ Cherſoneſi urbe dietis viginti abeſſe. Subſunt ii Bulgari dominio magni Moſcovitarum Ducis a tempore Joannis Baſilidis: hinc, ut Paulus Oderbornius in ejus vita pag. 242. teſtatur, idem Joannes Baſilides præter alios quibus ſe ipſe exornabat titulos, etiam *Bulgariæ* magnum Principem & Dominum appellabat. Nicephorus tamen Patriarcha ac Theophanes, quorum verba Tom. 1. cap. XI. num. VII. pag. 475. recitavi, nulla facta antiquæ hujus Bulgarorum patriæ mentione, ſecundas ipſorum ſedes deſcribunt, quas poſtea occuparunt; regiones, inquam, Mæotidi paludi conterminas juxta Cophirum fluvium. *Ab ipſa* (*a*) *palude*, (inquit Theophanes) *ad fluminis Cuphis limites, in quibus Xyſtus Bulgaricus piſcis capitur, ipſa antiqua magnaque Bulgaria ſita eſt, & quæ Cotragorum Bulgaris contribulium vocatur regio*. Et paulo ſupra, quis Caphis fluvius ſit, & unde initium ducat, exponit, inquiens: *Ad Euxini Ponti partes*(*b*)

a Eadem verba ex Theophane recitat Auctor Hiſtoriæ Miſcellæ in Conſtantino Pogonato lib. 19. apud Murator. Tom. 1. Rer. Ital. Part. 1. pag. 138. *Ab eiſdem autem paludibus uſque in amnem qui dicitur Cuphis, ubi Xyſtus capitur qui dicitur Bulgaricus piſcis, antiquitus Bulgaria eſt magna, & hi qui dicuntur Contragi, ejuſdem cujus & ipſi tribus exiſtunt*. Cetera.

b Auctor Miſcellæ loc. cit. In Septentrionalibus namque Euxini ponti partibus, quæ meabiles ſunt, & in paludibus quæ dicuntur Mæotides, in eas immittitur fluvius maximus ab Oceano per Sarmatarum terram dilapſus, nomine Atel, cui Tanais ammit eſt

trans mare poſitas & Septentrioni ſubjectas, ad Mæotidem nimirum Paludem, in quam fluvius ingens, ex Oceano (nimirum ex Hyperboreis Oceanum reſpicientibus partibus) *per Sarmatarum terram procurrens, Atalis nomine* (Etel, E del, Volga, & Rha dictus) *exoneratur, in quem etiam fluvius alter, Tanais dictus, ipſe pariter ab Iberiis portis ad Caucaſios montes fixis profluens; ex concurſu vero Tanais & Atalis (hic enim Atalis ſupra memoratam Mæotidem paludem ab altero diffinditur,) emergit amnis, cui Cuphis nomen impoſitum, qui in maris Pontifici finem juxta Necropylas ad promontorium, quod Arietis facies vocatur, prorumpit.* Secunda itaque Bulgarorum Sedes, a Septentrionali parte paludis Mæotidis uſque ad fluminis Cuphis limites, ideſt, uſque ad locum, ubi Atalis cum Tanai miſcetur, & nomen Cuphis inde accipit, ad Mæotidem uſque: nam, ut habent Tabulæ geographicæ Conſtantinopoli nuper impreſſæ, Atalis quidem cum Tanai commiſtus, in Pontum Euxinum exit; potior vero majorque ipſius pars, quæ a Tanai diffinditur, in Caſpium mare prorumpit. Hoc ipſum de Rha amne a Salmaſio traditum reprehendit Cellarius Geograph. antiq. lib. 3. cap. 24. p. 882. his verbis: *Salmaſio geminus eſt Rha fluvius, ex uno tamen alveo deductus, unus Occidentalis, qui in Mæotin influat; alter Orientalis, qui in mare Caſpium devolvatur. Ptolemæi verbis perſuaſus ita cenſet:* ἐςι ϗ ἑτέρα τȣ̃ Ῥᾶ ποταμȣ̃ ἐκβολὴ, πλησιάζȣσα τῇ τȣ̃ Ταναΐδος: *eſt & aliud Rha fluvii oſtium, quod ad illud Tanaidis adpropinquat. Sed quod nec Tabula vetus ad illum conformata, nec loci natura id capit; malo cum Iſaaco Voſſio in Melam pag. 243.* ἐπιςροφὴ, *pro* ἐκβολὴ *legere, & de reflexione ad Tanaim, ut in Tabula Ptolemæi eſt, interpretari.* Verum pro Salmaſio ſtat non modo laudatus Ptolemæi textus, quem corrigere, perinde eſt, ac corrumpere; ſed etiam Tabulæ recentes, in

junctus, & ipſe ab Iberibus portis exiens, quæ in Caucaſiis montibus eſſe feruntur, & in eundem Atel fluens inſeritur. A mixtura vero Tanais & Atel, quæ fit ſupra jam dictas Mæotidas Paludes, dum ſcinditur Atel, venit is, qui dicitur Eucthis (*infra cuphis*) fluvius in Mæotidas Paludes, & redit in terminum Pontici maris juxta Necropela, & *Acrema*, quod *dicitur Arietis facies*.

in quibus unum Rha fluminis oſtium cum Tanaide conjungitur, quemadmodum & Theophanes docet, & qui Ruſſiam luſtrarunt, teſtantur. Ac proinde non eſt cur Cangius cap. 6. de Familiis Sclavonicis, Cophinum fluvium a Tanai & Rha diverſum faciat, quum nihil ſit aliud, quam Tanais ipſe accepto ex amne Rha oſtio auctus. Verba Cangii profero, ex quibus colligitur, ipſum Theophanis mentem non fuiſſe aſſequutum. " Nicephorus (*inquit*) Patriarcha CP. & ex „ eo Theophanes, *Bulgaros* incoluiſſe primo regiones illas „ Mæotidi Paludi conterminas commemorant, juxta Cophi„ num fluvium, qui is videtur, quem Copam nuncupant Ta„ bulæ Geographicæ: qui quidem Tanai licet proximus ſit, „ non tamen ab ejus fluvii & Ateli confluentibus ducit „ originem, uti ſubdit idem Theophanes: qui præterea „ ait adjacentem, quæ ad ortum eſt, regionem, magnam „ Bulgariam vocitatam, idque nominis inde conſequutam, „ quod ſeſe porrigeret circa Volgam fluvium, qui idem eſt „ cum Atelo ſeu Edelo, fluviorum quotquot ſunt in par„ tibus ſeptentrionalibus maximo, quique in Caſpium mare „ illabitur, quo ferme loco oritur Copa fluvius. „ Non enim circa Caſpium oritur Copa fluvius; ſed eo loco incipit, quo ſupra Caucaſios montes Volga in Tanaim alveo deducto influit. Patzinacitis vicinos fuiſſe Bulgaros, auctor eſt Porphyrogenitus de Adm. Imp. cap. 5. 8. & 37. qui ſcilicet eos tractus incolebant, quos Danapris, & Danaſtris amnes permeant, quorum alter eſt Boryſthenes, alter Tyras. At tum demum eas incoluere provincias, quæ a prima & ſecunda eorum habitatione longe diſtant, quum prolata dominatione, armorumque vi ac fortitudine imperium trajecto Danubio in Mœſiam ac Thraciam protulerunt. Hinc Bulgariam Baudrandius ita definit. *Ab ortu in occaſum protenſa, ubi antiquitus Moeſia inferior cum parte ſuperioris & Thraciæ, terminatur ab ortu Ponto Euxino, a ſeptentrione Moldavia, ab occaſu Servia, & a meridie Romania & Macedonia. Ejus etiam pars*, Bulgaria Trans-Iſtriana *dicitur, quod trans Iſtrum ſeu Danubium fluvium protendatur verſus Moldaviam. Urbes ejus præcipuæ Sophia regionis caput, Ternobum, Nicopolis, Meſembria, Varna,* *Seli-*

Seliſtria, *Axiopolis*, *Develtum*, *Duroſtorum*, *Sucidava*, & aliæ, quas enumerat cl. Quienus in Oriente Chriſtiano Tom. 1. a pag. 1217. ad 1256. ubi recenſet Epiſcopales Sedes *Mæſiæ inferioris*, & *Valachiæ*, ſeu, *Ungaro blachiæ*, & *Moldoblachiæ*. Nam Valachi nunc *Daciam* incolunt, quæ olim a Bulgaris occupata fuerat.

X. Bulgarorum excurſiones a Theodoſii Magni temporibus uſque ad Anaſtaſium: hoc eſt, ab anno Chr. 392. uſque ad annum 514. Buſa Bulgarorum Rex anno 489.

Bulgarorum tunc primum auditum nomen ſub Theodoſio Magno circa annum 392. quo imperante, ut ſcribit Paulus [a] Diaconus lib. 1. de Geſtis Langobardorum cap. 16. Bulgari noctu ſuper caſtra Langobardorum irruentes, Agelmundum primum eorum Regem interfecerunt, filia ejus in captivitatem abducta. Zenone dein imperante, ut Auctor (b) Miſcellæ lib. 15. ſcribit, Theodericus Gothorum Rex, priuſquam Italiam adventaret, (adventavit autem anno 489.) *Triopſtilam Gepidarum Regem inſidias ſibi molientem bello ſuperans, extinxit. Buſam quoque Bulgarorum Regem magna ſimul cum ſuis agminibus cæde proſtravit*. Sigebertus in Chron: ad ann. 487. *Hic Theodericus Trapſilam Gepidarum Regem & Buſam Bulgarorum Regem bello victos extinguit*. Trapſilam Sirmondus vocat *Guandaricum* Gepidorum Regem: Muratorius vero in Annalibus Italiæ, id factum ad ann. Chr. 489. refert, & pro *Buſa*, habet, *Bubam Wulganorum* (h. e.) Wulgarorum ſeu Bulgarorum, Regem. Anno 493. *dum apud Italiam hæc a Theoderico geruntur* [ideſt, dum Theodericus victo cæſoque Odoacre Regnum Italicum poſſidet] *a Bulgaris univerſa Thracia crudeliter devaſtatur*, uti ſcribit Auctor Miſcellæ lib. 15. pag. 100. apud Murator. Tom. 1. Rer. Ital. Par. 1. Anno 499. ſub Anaſtaſio iidem Bulgari Thraciam incurſionibus vaſtant, fuſo ac deleto exercitu in eos immiſſo. Marcellinus Comes in chron. *Ind. VII. Joanne Gibbo ſolo Coſ. Ariſtus Illyricianæ ductor militiæ cum XV. millibus armatorum, & cum DXX. plauſtris armis ad præliandum neceſſariis oneratis, contra Bulgares Thraciam devaſtantes profectus eſt. Bellum juxta Zurtam fluvium conſertum, ubi*

a Vide Tom. 1. Italicæ hiſtoriæ ſcriptor. pag. 46.
b Apud Murat. Tom. 1. Rer. Ital. Par. 1. pag. 100.

ubi plus quam IV. *millia noſtrorum aut in fuga, aut in præcipitio ripæ fluminis interempta ſunt. Ibique Illyriciana virtus militum periit, Nicoſtrato, Innocentio & Aquilino Comitibus interfectis.* Hoc ipſum de Bulgaris ſcribit Pagius ad ann. 499. num. 4. *Bulgarorum*, inquiens, *in Oriente nomen ſub Anaſtaſio Imp. primum auditum, ideſt hoc anno* 499. *quo Romanorum exercitus ab eis fuſus eſt in Thracia*. Ita & Baronius ad eund. ann. 499. num. XII. Cangius quoque *de Familiis Dalmaticis, Sclavonicis, & Turcicis*, num. IV. *de Regibus Bulgariæ*, ſic ait: *Bulgarorum in Oriente tum primum auditum nomen ſub Anaſtaſio*. Verum antea auditum fuerat Bulgarorum nomen ſub Theodoſio & Zenone Auguſtis; quemadmodum & modo ex Auctore Miſcellæ demonſtratum eſt, & Tom. I. Script. Ital. Hiſtor. pag. 46. ex Proſpero Aquitanico & Paulo Diacono oſtendi. Anno 502. Bulgari rurſus Thraciam deprædantur. Marcellinus Comes in Chron. *Indict. x. Probo & Avieno Coſſ. Conſueta gens Bulgarorum deprædatam ſæpe Thraciam, nullo Romanorum milite reſiſtente, iterum devaſtavit.* Anno 504. Theodericus Italiæ Rex, victis Bulgaris, Sirmium cepit. Marianus Scotus in Chron. *Anno* 504. *Virtute Domini Regis Theoderici, victis Bulgaribus, Sirmium Italia recepit*. Idipſum ad ann. 504. habet Caſſiodorus. Sed Hermannus Contractus biennio anticipat: *Anno* [inquiens] 501. *Italia Sirmium recepit, victis a Theoderico Bulgaris*. Theophanes ad ann. Incarn. ſecundum Alexandrinos 494. qui Kalendis Septemb. anni 501. inchoatur, quique erat Anaſtaſii XI. *Hoc etiam anno* (inquit) *qui vocantur Bulgari, excurſionem in Illyricum & Thraciam fecerunt, quum nondum eorum natio audiretur de nomine*. Cedrenus quoque de Anaſtaſio Imp. *Annis* x. & XI. *rurſum Saraceni in Phœniciam & Syriam, & Bulgari in Illyricum & Thraciam incurſiones fecerunt*. Auctor Miſcellæ lib. 15. in Anaſtaſio pag. 101. *Hoc etiam anno, ideſt, Imperii Anaſtaſii* XI. *Bulgares per Illyricum, & Thraciam diſcurrunt, priuſquam agnoſcerentur, eamque crudeliter devaſtant*. Ita & Zonaras pag. 55. & Sozomenus lib. 9. cap. 5. At ex Marcellino & laudatis ſcriptoribus jam oſtenſum eſt, & Bulgarorum

rorum nomen uſque a Theodoſii magni temporibus auditum, & hanc Bulgarorum incurſionem annis 493. & 499. præceſſiſſe. Theophanes igitur, Auctor Miſcellæ, Zonaras, & Cedrenus, omiſſis prioribus eorum incurſionibus, ad eam reſpexere, quæ a Marcellino Comite ad ann. 502. narratur. Quod autem a Theophane dicitur de Bulgaris, *antequam eorum natio audiretur de nomine*, in Græco textu ſic habetur: *πρὶν γνωσθῆναι αὐτοὺς*, ideſt, *antequam ipſi cognoſcerentur*, quemadmodum recte interpretatur Auctor Miſcellæ: ac proinde non videtur Theophanes in ea fuiſſe ſententia, quam Latinus ipſius interpres ei adſcribit. Zonaras tamen ſic habet pag. 55. *circa hæc tempora fertur gens Bulgarorum, μήπω πρὶν γινωσκόμενον, ignota prius, in Illyricum & Thraciam impreſſionem feciſſe*. Quæ nempe gens nondum in Romanum Imperium excurrerat. Idem Zonaras pag. 58. *Idem Anaſtaſius longum murum condidit a magno Mari ad Selybrium, ob Myſorum, ſeu Bulgarorum & Scytharum incurſiones*. Anno 514. Vitalianus Scytha aſſumptis ſecum inter alios barbaros etiam Bulgaris, hoſtem ſe Anaſtaſio Auguſto exhibet. Marcellinus in Chron. " Indict. XII.
,, Senatore ſolo Coſ. Vitalianus Scytha aſſumptis Roma-
,, norum equitum peditumque pluſquam ſex millibus arma-
,, torum in triduo congregatorum in locum qui Septimus
,, dicitur, advenit, ibique caſtrametatus eſt: diſpoſitiſque
,, a mari in mare ſuorum ordinibus, ipſe ad uſque portam,
,, quæ Aurea dicitur, ſine ullius acceſſit diſpendio: ſcili-
,, cet pro Orthodoxorum ſe fide, proque Macedonio ur-
,, bis Epiſcopo, incaſſum ab Anaſtaſio principe exulato,
,, Conſtantinopolim acceſſiſſe aſſerens. Porro Anaſtaſii ſi-
,, mulationibus atque perjuriis per Theodorum internun-
,, cium illectus, atque illuſus, octavo die quam urbem ac-
,, ceſſerat, remeavit. Hinc Odyſſum Mœſiæ civitatem Vi-
,, talianus pernoctans aſtu ingreſſus eſt. ,, Theophanes ad ann. Anaſtaſii 23. " Hoc anno Vitalianus occupata univerſa
,, Thracia, Scythia, & Myſia, ducens ſecum ingentem
,, Unnorum, & Bulgarorum numerum, cepit Anchialum,
,, & Odyſſopolim, ipſumque Thraciæ militiæ magiſtrum Cy-
,, rillum, prædis quaquaverſus ad Byzantium uſque ab

,, actis,

Digitized by Google

„ actis, comprehendit. At quum urbi parceret, ad So-
„ ſthenium caſtra metatus eſt. Anaſtaſius rebus jam deſpe-
„ ratis, Senatorii ordinis nonnullos qui de pace agenda
„ eum rogarent, miſit: juravitque unacum univerſo Sena-
„ tu, Epiſcopos exules Heracleam Thraciæ ſe revocatu-
„ rum. Cetera. „ Eadem apud Cedrenum ſic: " An.XXIII.
„ Vitalianus occupata uniuerſa Thracia, Scythia & Myſia,
„ ducens ſecum Hunnorum, & Bulgarorum agmen, multas
„ urbes, & Cyrillum quoque Thraciæ præfectum cepit. „
&c. Auctor Miſcellæ lib. 15. pag. 102. " Itaque Vitalianus,
„ quem populns Imperatorem expetierat, excepta (*ideſt*
„ *occupata*) tota Thracia, Scythia, & Myſia, Bulgaros
„ habens ſecum, & multitudinem Hunnorum, cepit An-
„ chialum, & Odyſſopolim. Comprehendit autem & Cy-
„ rillum magiſtrum militum Thraciæ, & pervenit prædas
„ gerendo Conſtantinopolim.

XI. Sub Juſtiniano, Heruli, Iberas, Hunni, Gepides, Abares, Sclavi, & Bulgari, quorum Reges Vulger, & Diogo. Ab anno Chr. 538. ad ann. 558.

Paulus Diaconus, ſive quiſquis eſt Auctor Miſcellæ hiſtoriæ lib. 16. pag. 104. de Herulis, Hunis, & Iberibus ſub Juſtiniano Imp. hæc præmittit. " Interea Rex (*a*) He-
„ rulorum, Gethes nomine, venit Conſtantinopolim cum
„ populo ſuo, & petiit Imperatorem, quod fieret Chri-
„ ſtianus. Qui baptizatum in Theophaniis, ſuſcepit eum
„ ex baptiſmate, repromittentem auxiliari ei in quibuſ-
„ cumque voluiſſet. Eodem anno (*b*) adhæſit mulier quæ-

 dam

a Theophanes ad ann. 1. Juſtiniani, Chr. 528. *Hoc eodem anno, Elurorum Rex, Gretis nomine, ad Romanos ſe adjunxit: & Conſtantinopolim unacum gente ſua profectus eſt, & in chriſtianor. Religionem tranſire ab Imp. expetiit.* Cætera.

b Idem Theophanes ibid. Hoc inſupar anno mulier quædam barbara ex Unnis, Saber vulgo nuncupatis, nomine Boarex, vidua, adductis ſecum Unnorum millibus centum, in Romanas partes tranſiit. Hæc amiſſo viro ſuo Balach, Unnicis regionibus imperitabat. Duos vero Reges ex alia Unnorum natione, nomen uni Styrax, & alteri Glonas, a Cabada Perſar. Rege ferandis ſibi ſuppetiis & Romanos bello vexandis accitos, & jam par regionem ſibi ſubditam ad Perſar. loca cum millibus hominum viginti tranſitum habentes, armis illa excepit & cecidit: & eorum quidem unum Styracem vocatum in bello comprehenſum, vinculis alligatum, Conſtantinopolim Imperatori miſit: Glonam autem in pugna interfecit. Ita damum armorum ſocietatem & pacem cum Imp. Juſtiniano mulier perpetuo ſervavit. Hoc etiam anno Rex Unnorum Boſphoro proximus, nomine Gordas, cum Imp. fœdus habiturus, accaſſit. Is chriſtianam religionem amplexus &c. Unnorum itaque Rex factus Chriſtianus, in propriam regionem reverſus, fratri quem illic offendit, Imperatoris humanitatem atque liberalitatem, ſeque Chriſtianum factum eſſe narravit. Ad hæc direpta undequaque ſimulacra, quæ venerabantur Unni, conflavit: erant enim illa argentea, & electrina. Quamobrem ira ſuccenſi Unni, conjuratione cum ejus

„ dam Romanis ex Hunnis, qui dicuntur Saber, nomine „ Boazer, vidua, habens ſecum Hunnorum centum millia. Tum & Rex Hunnorum, qui ſunt juxta (*a*) Boſphorum, nomine Gorda, acceſſit ad Imperatorem, & factus Chriſtianus, ſuſceptus eſt ab Imperatore; & multis „ ei præſtitis donis, miſit eum in regionem ipſius ad cuſtodiendas Romanas res, & Boſphorum civitatem, quæ pro „ eo quod Romanis per ſingulos annos boves pro pecuniis „ inſerebat, Boſphorus appellata eſt. Locavit autem & militum Romanorum numerum, & Tribunorum, cuſtodire „ civitatem, propter Hunnos, & exigere tributa boum „ & p. 108. " Interea Iberum (*b*) Rex, Zamanardus nomine, Conſtantinopolim aſcendit ad Juſtinianum Imperatorem, cum uxore ac Senatoribus ſuis, rogans eum, ut „ eſſet Romanorum concertator & germanus amicus. At „ Imperator hujuſmodi propoſito ejus accepto, multis „ eum & Senatores ejus munificentiis honoravit: ſimiliter „ & Auguſta uxori ejus variata gemmis ornamenta donavit, „ & dimiſerunt eos pacifice ad regnum ſuum. „ His igitur ante octavum Juſtiniani annum præmiſſis, ad annum ejuſdem XII. hoc eſt, Chr. 538. ſic ſubjungit. " Anno Imperii Ju„ ſtiniani (*c*) duodecimo moti ſunt Bulgarum duo Reges, „ Vul-

fratre excitata, in eum irruentes necem intulerunt, & fratrem ejus Muagerem creaverunt Regem. Veriti porro ne pœnas & Regem occiſum expeterent Romani, in civitatem Boſphorum convolarunt quantocius, & Tribunum Dalmatium præſidiarioſque milites interfecerunt. His Imperator auditis, miſit Joannem exconſulem, Joannis Scythæ nepotem, Patricii Rufini filium, cum numeroſis Scytharum copiis: qui adjuncto ſibi per terreſtre iter & Odyſſopolim Godilla & Badurio Duce, adverſus eos movit exercitum. Hoc nuncio territi Unni, fuga arrepta diſparuerunt. Ex quo pax Boſphoro reſtituta, locuſque a Romanis omni depulſo timore occupatus.

a *Boſphorum* urbem memorat Procopius l. 1. Bell. Perſ. c. 12. & l. 3. de Ædific. *Boſpori & Cherſonis urbium, quæ Maritimæ in eo litore poſt lacum Mæotidem in extremo Imperii Romani habitantur*. Porphyrogenitus l. 2. Themat. 12. *Boſporum Cimmerium dictum* ait ἀπὸ Ἰοῦς τῆς Ἰνάχου, *ab Io. Inachi filia*. Dionyſius Periegeta v. 140. hanc rationem ad *Boſporum Thracicum* refert, quem Jo. in juvencam transformata tranaverit. At interpres Euſtathius, ad utrumque Boſporum accomodat. Cellarius l. 2. Geogr. ant. cap. 6. pag. 511. *Ridiculum ergo eſt, quod Cedrenus in Juſtiniano dedisit*, ἀπὸ τοῦ τελεῖν, ἀντὶ χρημάτων, Βόας: *a bobus tributi loco dari ſolitis*. Videtur colonia fuiſſe Boſporanorum a Thracia ad Mæoridem, negotiationis cauſa, pergentium.

b Theophanes ad ann. 8. Juſtiniani. Hoc anno Rex Iberorum Zamanarſus ad piiſſimum Imp. Juſtinianum cum uxore & aulicis cunctis Conſtantinopolim acceſſit, in Romanor. ſocietatem & fidem & amicitiam admitti deprecatus. Cætera.

c Annus Juſtiniani XII. congruit anno Chr. 538.

„ Vulger & Droggo cum multitudine in Scythiam &
„ Myſiam, quum eſſet magiſter militum Myſiæ Juſtinus, &
„ Scythiæ Blandarius. Qui exeuntes contra Bulgares inie-
„ runt prælium, & occiſus eſt magiſter militum Juſtinus in
„ bello, & factus eſt pro eo Conſtantinus Florentii: &
„ venerunt Bulgares uſque ad partes Thraciæ, & egreſſus
„ eſt contra eos magiſter militum Williriaci (*a*) cum Hun-
„ nis, quem ſuſcepit Imperator ex ſacro Baptiſmate; & in
„ medium miſſis Bulgaribus, conciderunt eos, & occide-
„ runt multitudines copioſas, & receperunt omnem præ-
„ dam; & vicerunt potenter, occiſis duobus Regibus eo-
„ rum. „ Theophanes ad ann. Juſtiniani XII. tres Bulga-
rorum fuiſſe Reges ait. " Hoc anno Bulgari Reges duo,
„ cum Bulgarorum innumera multitudine & Drungo, in
„ Scythiam & Myſiam, militiæ magiſtro in Myſia Juſtino
„ & in Scythia Baudario, arma moverunt. Iſti Bulgaris
„ in adverſum progreſſi, commiſerunt prælium: in quo
„ Juſtinus militiæ magiſter cecidit, in cujus locum Con-
„ ſtantinus Florentii filius ſuffectus eſt: & ad partes uſque
„ Thraciæ irruperunt Bulgari. In eos autem Acum, pa-
„ tria Unnus, quem e ſacro fonte ſuſcepit Imperator, per
„ Illyricum militiæ (*b*) magiſter, expeditionem ſuſcepit.
„ Igitur Romani Bulgaros undique ſuis copiis interclufos,
„ ferro cædentes, innumeram ex eis multidinem proſtra-
„ verunt, prædam omnem abegerunt; ſublatiſque Regi-
„ bus eorum duobus, præclaram ſua virtute tulerunt victo-
„ riam. E pugna revertentibus ac lætis, alii Bulgari oc-
„ currerunt, & Conſtantinum, Acum, & Godillam fugien-
„ tes, ſoco velut reſte interceperunt. Godillas quidem
„ ſoco ſicæ opera reſciſſo, effugit; Conſtantinus autem
„ una cum Acum, vivus comprehenſus eſt. Conſtantinus
„ certe nummorum mille pretio redemptus, Conſtantino-
„ polim rediit. Acum vero retento cum cæteris captivis,
„ ad proprios lares remeaverunt.

Idem Theophanes ad ann. Juſtiniani XIII. (Chr. 539.)

 " Hoc

a Legendum omnino, *Illyrici*.
b Male apud Cedren. *Acum Hunnus, Illyrici Rex*.

" Hoc anno Mundus e Gepedibus ſuum genus trahens , „ Gieſmi filius , qui poſt patris obitum , ad avunculum ex „ matre Sirmii Regem , acceſſit , in Romanorum partes „ tranſiit. Eo cognito Romæ Rex Theudericus Legatos ad „ eum miſit ; quorum verbis ille ſuaſus , ad Theudericum „ profectus , cum eo moratus eſt , armorum ejus ſocius fa- „ ctus . Theuderico (*anno 526.*) fatis functo , ad Danu- „ bium flumen venit, & ab Imp. Juſtiniano, Imperii ſubditum „ ſe deinceps haberi poſtulavit . Quin etiam Conſtantino „ polim acceſſit : quem Imperator unacum filio maximis „ muneribus donatum , & Illyrici magiſtrum militiæ re- „ nunciatum , a ſe dimiſit . Illyricum verſus iter agenti , „ & jam proximo , Bulgarorum manus innumera præcluſit „ iter: ipſe nihilominus viam ferro aperuit , & irruens in „ adverſos , delevit omnes . Selectos vero ex captivis Du- „ ces cum aliis pluribus Conſtantinopolim miſit , quos „ publicis affectos ludibriis, per circum traduxerunt . Exin- „ de profunda pax per Thraciam acta , Unnis Danubium „ trajicere nuſquam amplius auſis . Porro Bulgarum capti- „ vos in Armeniam & Lazicen miſit Imperator , & in mi- „ litares numeros retulit .

Anno Juſtiniani 31. (Chr. 557.) " gens prorſus inſo- „ lens neque cognita [*Theophane teſte*] Abares ei no- „ men, Conſtantinopolim advenit : & ad ejus ſpectaculum, „ quod nuſquam viſi fuiſſent hujus formæ homines, cuncta „ urbs effuſa eſt . Comas ſiquidem a tergo longas admo- „ dum tæniis revinctas & implexas geſtabant : reliquus li- „ cet habitus Unnico ſimillimus conſpiceretur . Illi porro „ relicta patria regione , in Scythiæ Myſiæque partes ſe „ conferentes , ut humanius in iis provinciis admitteren- „ tur, ad Juſtinianum legatos deſtinaverunt . Anno ſequen- „ ti [*Juſtiniani 32. Chr. 558.*] Unni & Sclavi cum ma- „ ximis copiis in Thraciam irruentes , eam bello vaſtave- „ runt , multoſque homines vel occiderunt , vel in capti- „ vitatem abduxerunt : ſed & Sergium militiæ magiſtrum , „ Bacchi ſenioris filium , & Ederman Ducem , Calepodii „ clariſſimi Cubicularii & Præpoſiti filium , ceperunt . „ Quumque partes quaſdam muri Anaſtaſiani terræmotibus col-

„ collapſas reperiſſent, per eas ingreſſi, in poteſtatem „ ſuam redegerunt loca ad Drypiam, Nymphas & Chitum „ vicum ſita: cunctique facultatibus ſecum aſportatis, in „ urbem confugerunt. Quamobrem Imperator multos ex „ civium numero delectos ad Longum murum miſit. Ibi „ commiſſa pugna, multi Romanorum & Scholarium ceci- „ derunt. Poſtremum autem jubente Imperatore, ciboria „ argentea & ſanctæ menſæ pariter ex argento, quæ extra „ civitatem in Eccleſiis erant, ſuis locis exportatæ ſunt: „ portas vero omnes Theodoſiani muri defenderunt Scho- „ læ protectores, numeri, & univerſus Senatus. Sed „ quum barbaros illic pertinaciter permanere videret „ Imperator, Patricium Beliſarium una cum aliis Se- „ natus, contra ipſos progredi juſſit. Porro Beliſarius „ ſumptis omnibus equis tam Imperatoris, quam Circi, „ ſed & ſacrarum Domorum, nec non uniuſcujuſque ho- „ minis privati cui fuit equus in poteſtate, Populoque „ armis inſtructo, ad Chiti pagum profectus eſt: ibique „ aciem omnem compoſuit: tum quoſdam ex barbaris ca- „ pere & interficere cœpit: quinetiam arbores cædi, & po- „ ne exercitum in terram trahi imperavit: ex quo pulvis „ ingens vento excitatus, & in barbaros delatus, ſuper „ eos incubuit: qui quum maximas copias inde adeſſe exi- „ ſtimarent, in fugam verſi, ad regionem S. Stratonici ad „ Decatum receſſere. Ac quum ſubinde a ſpeculatoribus „ reſciviſſent, Conſtantinopolis muros magno militum nu- „ mero eſſe defenſos, Tzurulum & Arcadiopolim & San- „ cti Alexandri Zuparorum verſus digreſſi ſunt: ibique ca- „ ſtris poſitis uſque ad Paſcha ſubſtitere. Peracto feſto „ Paſchali, Imperator cum univerſis civibus Urbe relicta, „ ad reparandas muri Longi ruinas Selybriam perrexit, „ Quare pedem retulerunt barbari, & trans murum abie- „ runt. Ibi manſit Imperator ad Auguſtum uſque menſem: „ ſimiliter & barbari uſque ad menſem Auguſtum extra ur- „ bem circumvagabantur. Ceterum Imperator bipuppes „ naves confici, iiſque in Danubio adverſos Unnos, ſi „ quando transfretarent, excipere, & cum iis manus juſſit „ conſerere. His auditis Barbari, miſſis legatis, petive-

runt,

Digitized by Google

„ runt, ut ſibi reditus tuto permitteretur, & Danubium „ trajicerent. Miſit ergo Imperator Juſtinum nepotem „ ſuum & Curopalatem, eoſque dimiſit incolumes. „ Cangius in Familiis Dalmaticis &c. §. VI. de Regum Bulgariæ ſerie, edit. Pariſ. p. 306. miſcet hoc Barbarorum factum quod contigit anno Chr. 558. cum altero quod acciderat anno 539. ſic ſcribens:" Aliquanto deinde interjecto „ tempore, anno ſcil. 565. (*imo* 558.) rurſum *Bulgari* Da- „ nubio tranſmeato, ad Conſtantinopolis uſque ſuburbana „ pervenerunt, ipſumque Galatæ oppidum captu neque Ser- „ gium Patricium, qui copiarum in Africa Dux fuerat, „ diſtraxerunt. At (*a*) Beliſarius, cui jamjam præ ſenio „ fatiſcenti exercitus præfectura a Juſtiniano demandata „ fuerat, prælio ſubactos, Danubium repetere coëgit. „ Agathias, qui hujuſce Bulgarorum cladis meminit, „ Cotrigurios vocat; Nicephorus Conſtantinopolitanus, & „ Theophanes Contragos: qui iidem cum Bulgaris prorſus „ cenſentur. Addit idem Agathias, Bulgaros non modo „ ultra Danubium fugatos a Juſtiniano; ſed etiam miſſum „ in eos Germanum, a quo duobus præliis, terreſtri altero, „ altero maritimo, in Cherroneſo profligatos: Capti [*b*] „ porro in hiſce occaſionibus, in Armeniam & Lazicam „ tranſlati ſunt, pleriſque in Imperatoris copias tranſeun- „ tibus. „ Verum, præterquam quod Theophanes ad ann. Juſtiniani 13. *Bulgaros*, ad annum vero 32. *Unnos*, & *Sclavos* vocat, non *Contriguros*: jam ſupra Tom. I. a pag. 473. monui, alios eſſe *Bulgaros*, & alios *Hunnos Cutruguros* & *Uturguros*, alios demum *Slavos*: quamquam ſæpe factum eſt, ut unus idemque Rex Barbaris diverſarum gentium præeſſet, uti *Chaganus* Hunnis Abaribus, Gepidis, & Bulgaris præerat: & *Cubratus*, de quo mox ſermo erit, Bulgaris ſimul & Hunnis Cuturguris & Iguris: nam Paulo Diacono teſte lib. 5. de geſt. Langob. cap. 26. *Bulgari* etiam cum *Langobardis* anno 568. in Italiam migrarunt, Alboino Duce: " Certum eſt, tunc Alboin multos ſecum ex diverſis, „ quas

a Victor Tunn. pag. 132. Agathias l. 5. Cedren. pag. 386. Edit. Reg. Paris.
b Theophan. pag. 185. Edit. Reg.

„ quas vel alii Reges, vel ipſe ceperat, gentibus ad Ita-
„ liam adduxiſſe: unde uſque hodie eorum, in quibus ha-
„ bitant, vicos, Gepidos, Bulgares, Sarmatas, Panno-
„ nios, Svavos, Noricos, ſive aliis hujuſcemodi nomini-
„ bus appellamus. „ Hinc Muratorius Tom. 1. Antiquit. Italicar. medii ævi pag. 14. conjicit, a Bulgaris dictum *Ducatum* ſive *Comitatum Burgariæ*, regionem quandam ad Occidentem conterminam Mediolanenſi agro, ubi *Bulgares* olim conſediſſent: nam & *Burgari* ii appellati ſunt. Ut vero Theophylactus ſcribit ad annum xv. Mauricii, iidem Bulgari juxta Novas urbem conſidentes, *Chagano Abarum* parebant. Et ad annum xvi. Mauricii, Singidone, quam Pannoniæ urbem Bajanus Abarum Hunnorum Rex tenebat, Bulgari una cum Abaribus habitabant: quos proinde Priſcus Romanarum copiarum Dux navibus ad urbem applicatis, urbemque depopulatus, inde ejeciſſe dicitur, uti Tom. 1. p. 448. & ſeq. narravi, & Paulus in Hiſtoria Miſcella lib. 17. refert his verbis: " Priſcus per amnem navibus Singidone
„ exhibitis, hanc depopulatus eſt, & ex ea Bulgares pe-
„ pulit. „ Quum autem Sarbaras Perſarum Dux anno Heraclii xvi. Conſtantinopolim obſidione cingeret, fertur unacum exercitu ſuo habuiſſe *Hunnos Abares* cum *Bulgaribus*, & *Sclavinis*, *atque Gepidibus concordia ſociatos*: quemadmodum Theophanes & Paulus in Miſcella tradunt. Nec deſunt infinita exempla diverſorum populorum in una regione, aut urbe, aut ſub uno Principe degentium, ut nunc in Thracia, in Syria, in Ægypto, & alibi: ubi Turci, Arabes, Græci, Armeni, Syri, Ægyptii Copti, aliarumque gentium populi habitant ſub uno Othomanicæ ſtirpis Principe. Quamobrem operam perdere mihi videtur Pagius, dum ad annum 558. relatis Theophanis de Hunnorum & Sclavorum in Thraciam irruptione verbis, ſic ſcribit num. vi. " Hanc
„ Hunnorum ſeu Bulgarorum invaſionem pluribus exponit
„ Agathias lib. 5. & ex eo Baronius, teſtaturque Agathias,
„ Hunnos qui non procul ad ripam Iſtri fluminis deſcende-
„ rant, vigente hieme, in Romanum Imperium irruiſſe,
„ partem exercitus in Græciam, alteram in Cherſoneſum
„ Thracicam miſiſſe. *Et poſt pauca*. Porro *Unni* iſti, ſive
„ *Hun-*

„ *Hunni*, diverſi non ſunt a *Bulgaris*, ut liquet ex Theo-
„ phane ad annum XI. Conſtantini Pogonati, ubi & eos
„ *Hunnogundo-Bulgares*, & *Contragos* etiam appellat: &
„ ex Nicephoro in Breviario pag 22. ex quo Theophanes
„ deſumſit quæ de illis narrat. Agathias loc. cit. ubi eo-
„ rum cladem refert, *Hunnos Cotriguros* vocat: ſed quum
„ eadem de illis narrat, ac Theophanes ſub *Hunnorum*,
„ & *Sclavorum* nomine, non dubium, quin *Hunni* iſti ii-
„ dem cum *Bulgaris* fuerint, & hæc varia nomina eandem
„ gentem ſignificent. „ Non enim eadem gens *Hunni*, & *Bulgares*, neque eadem gens *Bulgares*, & *Contriguri*, uti ex male intellectis Theophanis & Nicephori verbis exiſtimat Pagius; ſed alii ſunt *Hunni* in plures tribus diviſi, quarum pars *Gunduri*, pars *Contriguri*, aut aliis nominibus appellatur: & alii ſunt *Bulgares*, quemadmodum Tom. I. Par. 2. cap. XI. a pag. 473. demonſtravi.

XII. Bulgarorum res geſtæ ab anno 568. ad ann. 599.

Bulgarorum exinde nulla ferme apud Scriptores occurrit mentio, uſque ad annum Chr. 640. quo inter Hunnos Abares, & Bulgaros, poſt Bajani Hunnorum Regis, qui utriſque imperaverat, interitum, de ſummo Imperio, quod utrique ſibi deberi contendebant, grave illud bellum exortum eſt, quod ſupra a pag. 8. ex Fredegario & Aimoino deſcriptum eſt. Hæc Cangius in *Serie hiſtorica*, *&* *genealogica Regum Bulgariæ* edit. Pariſ. p. 306. Verum ante annum Chr. 640. occurrere Bulgarorum mentionem, teſtimonio Scriptorum liquet. Nam primo quidem anno 568. quo Alboinus Langobardorum dux a Pannonia in Italiam migravit, præter cæteras gentes, quas ſecum duxit, *Bulgares* nominantur apud Paulum Diac. l. 2. de geſt. Langob. cap. 26. Deinde Theophanes ad ann. 16. Mauricii qui erat Chr. 596 narrat, *Petrus dux e Novis Urbe a civibus, & Epiſcopo turpiter ejectus, quum mille homines ſpeculatum miſiſſet, hos in Bulgarorum turmam numeri ejuſdem inci-diſſe. At Bulgari* (inquit) *paci, quæ cum Chagano intercedebat, confiſi, ſecuri citra ullam ſuſpicionem progrediebantur. Quum autem Romani eos adorirentur, Bulgari viros ſeptem delegavere, qui Romanis pacem haud ita ſolvendam eſſe perſuaderent. Quæ ubi præcurſores audiverunt duci*

Duci confertim retulere. Dux vero: Neque ſi Imperator ipſe advenerit, inquit, eis parcam. Confertaque pugna, Romani in fugam vertuntur: nec tamen eos inſequuti ſunt barbari, ne victoriam ardentius amplexati, in inſidias inciderent. Et ad annum ejuſdem Mauricii XVI. Chr. 597. *Priſcus* (inquit) *navibus ad Singidonem applicatis, urbem depopulatus, Bulgaros ex ea ejecit, & murum exædificare coepit*. & ad annum XVII. Chr. 598. quum Chaganus collectis omnibus copiis in Dalmatiam ſuſcepiſſet expeditionem, Gundues a Priſco exploratum miſſus, locis plane imperviis iter agens, " barbaros duos vino graves offen-
,, dit, eoſque de barbarorum conſiliis interrogat. Reſpon-
,, dent illi: millibus hominum duobus bene armatis Cha-
,, ganum prædam commendaſſe, eamque omnem ad Bul-
,, garis domeſticos lares agi. ,, Et ad annum XVIII. Chriſti 599. Legatis a Mauricio ad Chaganum Drizipera pro pace miſſis, " *Captivos omnes* (ait Chaganus) *ei reddam, accepto in ſingula capita nummo uno. Mauricius eam pecuniæ ſummam depromere non tulit: quare dimidium nummum pro ſingulorum capite redimendo rurſum poſtulat Chaganus. ſed neque dimidiatum nummum, neque etiam ceratia quatuor quæ tandem pro ſingulis petierat Chaganus, Mauricius ſolvere admiſit. Eapropter Chaganus cunctos ad unum interfecit; & in propriam regionem regreſſus, tributo, quod ex antiquis conditionibus Romani pendebant, quinquaginta millia de novo addidit. Iſtrum vero fluvium ſe non amplius trajecturos, utrinque Romani, & Bulgari convenere*. Fateor tam hic ad ann. XVIII. quam ſupra ad ann. XVII. in Græco textu nullam fieri *Bulgarorum* mentionem, quemadmodum Tom. 1. pag. 450. & 452. oſtendi. Additamentum igitur eſt Latini Interpretis: quemadmodum & infra apud eund. Theophanem ad annum Heraclii XVI. Chr. 625. ubi Græce quidem ſic legitur de Choſroe Perſarum Rege: τὸν δὲ Σάρβαρον σὺν τῷ λοιπῷ αὐτοῦ στρατῷ κατὰ Κωνσταντινούπολιν ἀπέστειλεν, ὅπως τοὺς ἐκ δύσεως Οὔννους, οὓς Ἀβάρεις καλοῦσιν, Ἀβάρεις τε, καὶ Σκλάβους καὶ Γηπαίδας συμφωνήσας κατὰ τῆς πόλεως, χωρήσωσι, καὶ ταύτην πολιορκήσωσι. Latinus autem interpretatur: *Sarbarum vero cum re-*

Digitized by Google

liquo exercitu Conſtantinopolim verſus miſit : ut initis pactis cum Hunnis (Abaros quidam vocant) Bulgaris, Sclavis , & Gepædibus , una cum eo Urbem impreſſione facta obſiderent . Nam in Græco textu *Abares* bis nominantur , in Latina autem verſione , *Bulgari* . Verum hoc loco mendum cubat in Græco textu , ubi poſt ὡς Ἀ'βάρεις καλῦσιν , procul dubio , pro Ἀ'βάρεις τε , legendum , βυλγάρες τε .

XIII. Cobratus ſeu Chrobatus Bulgarorum Rex ſub Heraclio circa annum 634. Quinque ejus filii. Batbajas Cobrati fil. circa ann. 678. pacem cum Conſtantino Pogonato facit : quam Juſtinianus Rhinotmetus ann. 678. ſolvit .

Heraclio imperante Chrobatus , ſive Cubratus Bulgarorum Rex , claruit : qui indigitatus legitur ſub Conſtantino Pogonato ad annum ejus XI. Chr. 678. apud Nicephorum in Breviario , Theophanem , & Paulum in Miſcella lib. 19. . Hic quum morti ſe proximum videret , teſtamento filiis ſuis quinque præcepit , ne ſeorſim a ſe invicem habitarent , quo imperium communi concordia ſtabilirent . At illi paternis mandatis neglectis, paulo poſt ſejuncti ſunt, adeo ut ſuam quiſque populi partem abduceret . Horum primogenitus *Bathajas* , vel *Batbajas*, vel denique *Bajanus*, ex parentis præcepto , patrio in ſolo , ad Mæotidem ſcilicet paludem juxta Cophinem fluvium , ubi magna Bulgaria erat , conſtitit . Secundus *Contragus* tranſmiſſo Tanai , ex adverſo fratris primogeniti ſedes poſuit . Quartus autem , & quintus , Danubium prætervecti , ille quidem in Pannoniam Abaricam , Chagano Abarum Principi poſtmodum ſubdendus , cum omnibus ſuis copiis tranſiit ; hic vero Pentapolim ad Ravennam perveniens , Chriſtianorum imperio pariter ſubjectus remanſit . Fratrum denique iſtorum tertius , *Aſparuch* vocatus , Danapri & Danaſtri fluminibus præternavigatis , & ad Onclum alium amnem profectus , inter hunc & illos , ſedem poſuit . Hac ratione diviſa Bulgarorum gente , *Chazari* ex Berylia profecti , quæ Sarmatis vicina eſt , tranſductis copiis ultra Euxinum mare , *Batbajam* in ſuam peteſtatem redactum, ſtipendiarium fecere . Conſtantinus vero poſtquam comperit a Bulgaris , qui ad Danubium habitabant , Romani Imperii limitem vaſtari , militaribus copiis in Thraciam perductis , adornataque inſuper claſſe , ad retundendos illorum impetus progreditur . At Bulgari equeſtrium , ac navalium copiarum multitudinem conſpicati , ad munimenta ſua ſe-

ſe

ſe primo receperunt. Inter hæc Imperatore ex pedum dolore curandæ valetudinis gratia ad urbem Meſembriam delato, copiarum præfectura ducibus ſuis commendata, fugere Imperatorem confeſta fama percrebuit: quo nuncio, falſo licet, conſternati Græci, fugam arripiunt, fugientium terga acrius prementibus Bulgaris. Inde tranſmiſſo Danubio, ad Varnam, Odyſſo vicinam urbem, caſtra metantur Bulgari: Sclavinorum gentem, quæ illic in propinquo degebat, in poteſtatem redigunt; hiſque progreſſibus clariores facti, Thraciæ oppida ac loca omnia populari non ceſſant, donec Imperator annua penſitatione promiſſa, pacem cum iis facere cogitur. Id porro accidit an. 680. ſecundum Sigebertum, cujus verba hæc ſunt ad ann. 680. ,, Gens Bulgarorum, quæ & ipſa a Scythia egrediens paſſim ,, debacchabatur, per Thraciam Bathaja duce graſſatur. ,, Quibus Conſtantini Imperatoris occurrens exercitus, ab ,, eis turpiter fugatus, graviter eſt attritus: & adeo per ,, Romanam Rempublicam eorum invaluit excurſus, ut ,, Imperator facta pace, annua pacta eis præbere ſit coa- ,, ctus. Abhinc igitur Regnum Bulgarorum annotandum ,, eſt: quorum Rex Bathajas erat. ,, nimirum, bellum a Bulgaris cum Conſtantini Pogonati exercitu commiſſum fuit ſive anno 678. Conſtantini ipſius XI. ut Theophanes aliique ſcribunt, ſive anno Chr. 680. juxta Sigebertum: quo de bello recole, quæ ſupra Tom. I. cap. XI. §. X. a pag. 483. ad 486. dixi. At *Cobratus*, ſive *Chrobatus* Bulgarorum Rex, circa ann. 634. ſub Heraclio Imp. legatione ad ipſum miſſa, pacem cum illo compoſuerat, quam & ad finem uſque vitæ ſuæ ſervavit: obiit autem temporibus *Conſtantis* Imperatoris, quem Theophanes, aliique *Conſtantinum* appellant, ejus nempe, qui εἰς δύσιν ἐτελεύτα, *in Occidente*, (ideſt, in Sicilia anno 668.) *obiit*: teſtamento filiis ſuis relicto, ne ab invicem diſcederent: quemadmodum eod. tom. I. pag. 481. demonſtravi. Theophanes *Bathajam* Chrobati filium, appellat, τῆς πρώτης Βυλγαρίας ἄρχοντα *primæ Bulgariæ Principem*: & ad annum *Juſtiniani Rhinotmeti* ſecundum, Chr. 687. ruptam ab eo pacem tradit, quæ a Conſtantino patre anno 678. facta fuerat ,,,, Pa-

,, cem [inquit Theophanes] cum Bulgaris firmatam ſolvit,
,, foederum conditiones a Patre conceſſas,ipſe perturbans,
,, ac omnino violans: & Bulgaros & Sclaviniæ provincias in
,, ſervitutem mittere meditatus,equeſtres legiones inThraciam tranſire juſſit,, & ad annum ſequentem " Juſtinianus
,, in Sclaviniam & Bulgariam eduxit exercitum : Bulgaroſque ſibi obvios cum armis factos, tum primum repulit: &
,, excurſionibus ſubinde Theſſalonicam uſque habitis, immenſumSclavorum numerum,qua belli virtute domitum,
,, qua ſponte ad ſe tranſeuntem & deditum, e patria educens, ad Opſicii partes, trajecto Abydi freto, habitare decrevit. At in reditu intra compreſſos montes &
,, cluſuræ anguſtias a Bulgaris interceptus, multis ex
,, exercitu cum cæſis, tum vulneratis, vix periculum ſuperare, & in oppoſitam partem tranſire valuit. ,, Sigebertus ad ann. 3. Juſtiniani: *Juſtinianus pacem cum Bulgaribus pactam ſolvit, eiſque concurrens, primo vicit, poſt ab eis exceptus, vix evaſit.*

XIV. Terbelis poſtBatbajam ab anno 700. Bulgarorum Rex uſque ad ann. 727. Hujus ope Juſtinianus Imperium recipit, & in Cherſonitas & Boſporianos deſævit.

Batbajæ anno 700. defuncto ſucceſſit *Terbelis* Bulgarorum Rex. Sigebertus ad ann. Tiberii Apſimari 2. Chr. 700. *Terbellis Bulgaribus dominatur*. Hujus Terbelis ope, imperium quod invaſerat Apſimarus, recipit Juſtinianus, capta Conſtantinopoli anno 705. Sigebertus ad ann. Juſtiniani VII. " Juſtinianus auxilio Therbellis Bulgarorum Regis,
,, Imperium recipit, Leonemque & Tiberium uſurpatores Imperii in medio circulo jugulat, Callinicum Patriarcham excæcatum exiliat. " Theophanes ad annum Tiberii Apſimari VI. Chr. 703. ,, Interim Juſtinianus (*a*)
,, Cherſonæ degens, Imperii ſceptra denuo ſibi cum poteſtate committenda enuncians, ejus loci incolas dictis
,, hujuſmodi terret. Quare periculum ab Imperatore ſibi metuentes, de inferenda illi nece, vel eo ad Imperato-

(*a*) Juſtinianus anno 695. a Leontio Patricio & copiarum Orientalium Duce in Imperatorem proclamato, abſciſſis naribus, Cherſonam relegatus eſt. Theophanes Edit. Pariſ. pag. 308. *Mox adventante die Juſtinianum per Metam in circum producunt, & naſo linguaque truncatum, Cherſonam relegari decernunt*. Naſo tantum, non lingua mutilatum Juſtinianum, Græci alii Scriptores tradunt: unde ei *Rhinotmeti*, non *Gloſſotmeti* cognomen adhæſit.

Digitized by Google

,, torem deponendo conſilium ineunt . Ille machinas præ-
,, ſentiens , fugam ſolerter capeſſit, & feſtino gradu , Da-
,, ras profectus , Chagani Chazarorum congreſſum & col-
,, loquium ſibi concedi expoſtulat . Eo nuncio accepto ,
,, Chaganus virum honore cumulatum excipit ; & germa-
,, nam ſororem Theodoram ei conjugem locat. Brevi tem-
,, pore interjecto venia a Chagano expetita , Phanagu-
,, riam (*a*) ſe confert , & ibi cum conjuge Theodora mo-
,, ratur . His auditis Apſimarus Chaganum per Legatos
,, maxima munera pollicitos hortatur , ut Juſtinianum vi-
,, vum , vel ſaltem ipſius caput ad ſe mittendum curet .
,, Chaganus promiſſorum ſpe illectus , poſtulatis morem
,, gerit , & ſatellitii cuſtodia ad Juſtinianum deputata , in-
,, ſidias a gentilibus ſuis ipſi ſtruendas ſe vereri ſimulat : ſi-
,, mul autem Papatzem , qui illic vices ejus agebat , &
,, Balgitzem Boſphori Præfectum , mandatis inſtruit , ut
,, quum ipſis ſignificaretur , Juſtinianum e medio tollerent.
,, Iſtis a Chagani famulo Theodoræ denunciatis , ac ſubin-
,, de Juſtiniano revelatis , ipſe prædictum Papatzem , ut
,, remotis arbitris colloqueretur , ad ſe vocavit , eum-
,, que chorda confeſtim ſtrangulavit , quemadmodum &
,, Balgitzem Boſphori Præfectum . Quo ſimul facto , &
,, Theodora in Chazariam remiſſa , ipſe fuga Phanaguriam
,, verſus clanculum arrepta , ad freti fauces pervenit . Ibi
,, piſcatoriam ſcapham forte nactus , eam conſcendit , &
,, Aſadem prætervectus , ad Symbolum juxta Cherſonam
,, appulit . Nunciis vero Cherſonam latenter miſſis , Bar-
,, ba-

a Theophanes ad ann. Conſtantini Pogonati XI. *Ad Euxini Ponti partes trans mar poſitas , & Septentrioni ſubjectas , ad Maotidem nimirum paludem , in quam fluvius ingens ex Oceano per Sarmatarum terram precurrens , Atalis nomine , exoneratur , in quem etiam fluvius alter , Tanais dictus , ipſe pariter ab Iberiis portis ad Caucaſios montes fixis profluens , ex concurſu vero Tanais & Atalis (hic enim Atalis ſupra memoratam Maotidem Paludem ad altero diffunditur) emergit amnis , cui Cuphis nomen impoſitum , qui in maris Pontici fines juxta Necropylas , ad promonterium , quod Arietis facies vocatur , prorumpit . A deſignata vero Palude mare fluminis inſtar latum , in ipſius Euxini Ponti ſinum per Boſphorum , & Cimmerii regionem exundat . In eo flumine Murzulinum , & huic ſimiles expiſcantur : & ad Orientalem quidem Paludis plagam , Phanaguriam nuncupant , & Hebraeos (legendum , Iberes) iſtic degentes , dominam nationes pleraque numerantur : ab ipſa vero Palude ad fluminis Cuphis limites , in quibus Xyſtus Bulgaricus piſcis capitur , ipſa antiqua magnaque Bulgaria ſita eſt , & quæ Cotragorum Bulgaris contribulium vocatur regio .*

„ bacurium , & ejus fratrem , Salbanum , Stephanum ,
„ Moropaulum , & Theophilum ſecum tollit : & Cherſo-
„ næ Pharum prætergreſſus , cum eis enavigat . Inde Ne-
„ ropyla præterlapſi , & Danapris , Danaſtriſque fluminum
„ oſtia emenſi , procella de repente exorta , cuncti de
„ ſalute deſperant . Tum Myaces ejus domeſticus homo ,
„ ita eum alloquitur : viden Domine periculo mortique
„ nos proximos? Voto itaque pro ſalute tua concepto , ſi
„ Deus Imperium reddiderit, in nullum hoſtium tuorum te
„ deſæviturum pollicere . Ille etiamnum ira percitus : Si
„ veniam , reſpondit , ulli conceſſero , hic jam Deus me
„ mittat in maris profundum . Tempeſtatis poſtmodum
„ periculo ereptus , in Danubii oſtia penetrat . Tum ve-
„ ro Stephanum ad Terbelem Bulgariæ Dominum delegat;
„ ut avitum recuperet Imperium , auxiliarem manum ab
„ eo poſtulat : pluribus muneribus beneficium , ajebat ,
„ compenſaturus , etiam propria filia in uxorem data .
„ Terbeles ei ſe in omnibus obſequuturum , auxiliumque da-
„ turum , adhibito jurejurando pollicitus , Juſtinianumque
„ perhonorifice ſuſcipiens , omnes Bulgarorum & Scla-
„ vorum copias collegit : qui demum omnes anno inſe-
„ quenti arreptis armis ad Imperatoriam Urbem profecti
„ ſunt „ Et ad ann. Apſimari VII. Chr. 704. " Eodem
„ anno Iuſtinianus , Terbelis & Bulgarorum ipſi adjuncto-
„ rum auxilio fretus , urbium Reginam armis impetit , &
„ ad Charſii portam caſtris locatis , totum ſpatium ad
„ Blachernas uſque occupat . Per dies autem tres collo-
„ quio cum civibus habito , nonniſi contumelias & dicte-
„ ria ab ipſis retulerunt , quibus etiam incaſſum pacis con-
„ ditiones obtulerunt . Porro Juſtinianus cum paucis ad-
„ modum gentilibus ſuis citra pugnam per cuneum in Ur-
„ bem ſubiens , ſparſo cædis & ſtragis tumultu , ejus com-
„ pos effectus, paulo poſt in Blachernarum Palatio ſedem ,
„ ac ſimul caſtra poſuit . „ Tum ad annum Chr. 705.
" Hoc anno Juſtinianus in Imperium reſtitutus , præclaris
„ muneribus , & regia ſupellectile Terbeli oblata , inito
„ cum eo foedere pacifice dimiſit . „ Apſimarum & Leon-
tium catenis vinctos per univerſas urbis regiones igno-
mi-

minioſe traduci mandavit: Et Circenſibus ludis celebratis, ipſo propria ſibi Sede compoſito, illi publice cum dedecore tracti, ad pedes ejus proſternendi, humili more projecti ſunt: inclinatorum & pronorum in terram cervices pedibus terebat & calcabat Juſtinianus: demum in cynegium miſſis, caput amputari præcepit: Callinicum Patriarcham oculis orbatum, Romam relegavit, & in ejus locum Cyrum quendam in Amaſtris inſula Monachum incluſum, quod Imperii ſecundo gerendi vaticinium edidiſſet, ſuffecit. Ex civium poſthac militumque ordine numerum propemodum infinitum coëgit perire. Ex his horror, metuſque cunctorum animos invaſit. Claſſem porro, quæ e Chazaria conjugem deveheret, miſit, cujus navigia quamplurima cum iis, qui conſcenderant, hominibus ſubmerſa ſunt. His Chaganus motus, ſignificat: Fatue, nonne duabus, vel tribus navibus conjugem tuam repetere oportuit, tantæque multitudinis vitæ parcere? num eam bello recipere parabas? vide, etiam filius natus eſt tibi: mitte ergo qui eos ad te adducant. Ille miſſo Theophylacto Cubiculario, Theodoram conjugem recepit, & ejus filium Tiberium: utrumque vero Imperii corona ornavit, unaquecum eo Imperii dignitate potiti ſunt. Verum ut nullius erat fidei Juſtinianus, biennio poſt, rupto foedere, quod ſolemniter adeo cum Terbele Bulgarorum Rege pactus fuerat, arma in eum movit. Theophanes ad annum Chr. 707. Juſtiniani in Imperium reſtituti 3. " Hoc anno Juſti-
,, nianus (a) pacem Romanos inter & Bulgaros compoſitam
,, violavit; & equitum legionibus in Thraciam tranſire juſſis,
,, etiam claſſem adverſus Bulgaros inſtruxit, & in Terbe-
,, lim irrupit. Anchialum vero profectus, claſſem qui-
,, dem ad urbem applicuit: Equeſtres vero copias ad
,, campos urbi imminentes, omni cuſtodia remota, &
,, citra periculi ſuſpicionem caſtra metari præcepit. Exer-
,, citu itaque pecudum inſtar per campos errante, & ad pa-
,, bula equis colligenda diſperſo, e montium cacuminibus
,, ina-

a Sigebertus annum Chriſti 708. cum anno tertio Juſtiniani componens: *Juſtinianus* (inquit) *Imperator, pacem cum Bulgaris factam ſolvit, eiſque congreſſus, vix evaſit.* Biennio ante ſcripſerat: *Anno 706. Juſtiniani I. Sclavi Italiam infeſtant.*

,, inanem & levem rei militaris apud Romanos diſciplinam
,, Bulgarorum exploratores conſpicati, ipſi ferarum more
,, in agmen unum collecti, Romanum gregem uno impetu
,, disjecerunt, & captivorum multitudinem non contemnen-
,, dam, equos & currus plurimos, poſtpoſito cæſorum nu-
,, mero, ceperunt. Juſtinianus cum reſiduis ex exercitu
,, in arcem fuga ſe recipiens, occluſis dies tres portis in ea
,, remanſit. Sed quum Bulgaros illic pertinacius inſtantes
,, cerneret, ipſe primus equi ſui nervos incidit, cæteroſ-
,, que idem facere juſſit: armiſque bellicis quaſi trophæis
,, muris impoſitis, noctu navigia conſcendens, Conſtanti-
,, nopolim cum dedecore reverſus eſt. ,, Anno 710. Ju-
ſtiniani 6. bellum adverſus Cherſonitas & Boſphorianos ſuſ-
ceptum. Theophanes. *Juſtinianus acceptarum quondam*(*a*) *injuriarum memor, Maurum cum Stephano, cui cognomen Aſmictus, ambos Patricios, valida & apprime apparata claſſe illis commiſſa, in Cherſonam delegavit. Inſidiæ quippe a Cherſonitis, Boſphorianis, & aliis regionum illarum incolis ipſi ſtructæ, ejus animo remanſerant profundius repoſitæ. Quare bello iis inferendo univerſi generis navigia, dromones, triremes, ſcaphas, onerarias, piſcatorias naves, ipſoſque etiam lintres, omnium Urbis incolarum, ordinis Senatorii, officinariorum plebejorum, & officii cujuſcumque collatis expenſis paravit. Iis itaque dimitti, & e portu ſolvere diſpoſitis, ut cunctos urbium illarum incolas, nullo in vivis relicto, gladio delerent, injunxit, Heliamque Spatharium, qui Gubernatorem apud Cherſonam inſtitueret, aggregavit. Iſti porro Cherſonam appellentes, urbes nullo reſiſtente invaſerunt omnes, & cædibus & ſanguine cuncta repleverunt, & exceptis adoleſcentioribus, quibus, ut & infantibus, parcendum putaverunt, velut ad ſervitutem reſervatis, univerſos occiderunt. Tudunum autem Cherſonæ Præfectum, ceu qui Chaganum referret, & Zoilum, qui a ſtemmate & origine civium pri-*

---

a Baronius ad ann. 710. num. 4. perperam dicit, factam hanc Juſtiniani expeditionem *rebellantibus populis Cherſoneſi*. Non ob Cherſonitarum rebellionem, ſed quia ii anno 703. dum Juſtinianus Cherſonæ degeret, de illo interficiendo, aut vincto ad Apſimarum tranſmittendo conſilium inierant.

primarius erat, & alios quadraginta illuſtres & ſpectatos viros, ligneis verubus confixos vivo igne aſſaverunt. Alios viginti, vinctis retro manibus, ad lembum lapidibus oppletum alligatos, in mare demerſerunt. Accepto rerum geſtarum nuncio Juſtinianus, ſervatos juvenes ægre ferens, & in inſaniam verſus, eos ad ſe ſollicite advehi curavit. Quum vero claſſis menſe Octobri ſolviſſet, procellarum turbinibus in pelago jactata, ſub ortum aſtri cui Taurus nomen, tota ferme in mari periit, ita ut qui naufragio immerſi fuerint, ad ſeptuaginta tria millia numerentur. Illa calamitate cognita, tantum abfuit ut condoleret, quin potius lætitia perfuſus, eo inſaniæ proceſſit, ut elatis in altum clamoribus, novas etiam adjecerit comminationes, & alteram illuc claſſem tranſmiſerit, cum mandatis, ut omnia ſolo æquaret, ſolumque aratro proſcinderet, atque univerſos uſque ad mingentem ad parietem interficeret. Iſtorum rumore divulgato, qui caſtra illa obtinebant, communierunt & concluſerunt ſe, & ad res novandas contra Imperatorem coacti, ad Chaganum in Chazariam delegaverunt, qui præſidium ad ſui defenſionem expoſcerent. Interim ſuſcepti propoſiti conſcius advenit Elias Spatharius, & Bardanes prius exul, nunc vero poſtliminio revocatus e Cephalonia, & Claſſis Dux apud Cherſonam forte repertus. Ubi res hujuſcemodi tractari percepit Juſtinianus, Georgium Patricium cognomento Syrum, generalem Logothetam, Joannem Præfectum, & Chriſtophorum Thracicorum agminum ductorem (Τουρμάρχην τῶν Θρακησίων) *cum militibus ad tercentum armatis mittit, Tudunumque* (a) *& Zoilum,*

a Scripſerat paulo ſuperius Theophanes de Cherſonitis juſſu Juſtiniani occiſis: Τυδοῦνον δὲ ἄρχοντα Χερσῶνος, ὡς ἐκ προσώπου Χαγάνου ὄντα, καὶ Ζώϊλον τὸν ἐκ σειρᾶς καὶ γένους ὄντα Πρωτοπολίτην, καὶ ἑτέρους τεσσαράκοντα ἐμφανεῖς καὶ πρωτεύοντας τῆς Χερσῶνος εἰς σούβλας ξυλίνας προσαναρτήσαντες, ἐπὶ πυρὸς ὤπτησαν: *Tudunum autem Cherſonæ Præfectum, cum qui Chaganum referret, & Zoilum, qui a ſtemmate & origine civium primarius erat, & alios XL. illuſtres & ſpectatos viros, ligneis verubus confixos, igne aſſaverunt*: Quo igitur pacto nunc tradit, illos duos, Tudunum ſcilicet, & Zoilum, a Juſtiniano miſſos unacum cæteris ad hoc, ut res Cherſonæ in priorem ſtatum reponerent? mendum ergo in textu Theophanis: adeoque aut ſupra dicendum eſt, Zoilum & Tudunum unacum aliis 40. viris, vivos ad Juſtinianum fuiſſe

lum, res Cherſonæ in priorem ſtatum repoſituros, & per Apocriſiarium apud Chaganum rem geſtam excuſaturos; ac tandem Eliam & Bardanem ad ſe Conſtantinopolim tranſmiſſuros. Quum Cherſonam migraſſent, Cherſonitæ cives cum iis tractatum habere dedignati ſunt. Poſtera die, ſolis iiſdem in conſilii locum ingredi permiſſis, confeſtim portas cives occluſerunt. Et Generalem quidem Logothetam cum Præfecto peremerunt; Tudunum vero cum Zoilo, & memorato Turmarcha (Chriſtophoro) *& militibus trecentis, tradiderunt Chazaris, & ad Chaganum miſerunt. Tuduno in itinere defuncto, funeſtum epulum litaverunt Chazari, nimirum Turmarchæ & trecentorum militum cædem. Tum vero Cherſonæ reliquorumque Caſtrorum cives, Juſtiniani nomine abrogato, exulem illum Bardanem* (a) *& Philippicum, Imperatorem felicibus acclamationum votis exceperunt.*

XV. Cæſo Juſtiniano, Philippicus Imperium invadit. Bulgari ad Byzantinam uſque urbem excurrunt.

Bardanes igitur Imperator proclamatus & Philippicus appellatus eſt. His cognitis Juſtinianus, in Eliam veluti facti auctorem commotus, quod non poſſet in ipſum, in ejus domeſticos furorem convertens, filios ejus in matris ſinu trucidavit, eandemque ipſam proprio coquo in India nato ſubactam conſtuprari juſſit: miſitque aliam claſſem adverſus rebelles, Mauro Patricio, cognomento Bæſo ei præfecto: qui mari trajecto, quum jam admoto ariete, turres quaſdam Cherſonæ evertiſſet, Chazarorum adventu, a bello utrinque ceſſatum eſt. Bardanes ad Chaganum fuga ſe proripit: claſſis vero conatu inutili reddito, quum re infecta ad Imperatorem redire milites vererentur, Juſtiniani nomine abdicato, Bardanem Imperatorem ſalutant, mittuntque ad Chaganum, donari ſibi Philippicum poſtulantes. Chagano, ne virum proderent, jurejurando interpoſito, fidem fieri ſibi

miſſos: aut infra Tuduni Zoilique nomina ſunt delenda, ſi ii ſupra, vivo igne aſſati ſuerint.

a Græcus Theophanis textus ſic habet: τὸν δὲ ἐξόριστον ἐκεῖσε Βαρδάνην, καὶ Φιλιππικὸν Βασιλέα εὐφήμησαν, *eum autem qui ibi exul erat, Bardanem, & Philippicum, Imperatorem acclamarunt.* Legendum proculdubio, *Bardanem & Imperatorem, & Philippicum acclamarunt.* Nimirum, *Bardanem antea exulem, Imperatorem proclamarunt, quem mutato nomine Philippicum appellarunt.*

ſibi & pro ſingulorum capitibus nummum unum concedi expetente, illi ſumma pecuniæ confeſtim numerata, Philippicum Imperatorem ſimul acceperunt. Juſtinianus moræ impatiens, deque rerum Cherſonæ geſtarum ſucceſſu exploraturus, Sinopem contendit, eductis ſecum Opſiciorum, & Thracenſium aliquot manipulis. Philippico cum claſſe urbem Sinopem præoccupante, ipſe ad Damatrym cum ſuis caſtra applicavit: Philippicus mora omni penitus abjecta, Maurum quidem Patricium & Joannem Struthum adverſus Tiberium Juſtiniani filium, Eliam vero contra Juſtinianum Damatry receptum, & alium adverſus Basbacurium mittit. Porro Maurus cum Strutho Blachernas appellens, Tiberium extra ſanctæ Deiparæ ædes foras abductum ſuiſque veſtibus nudum, totoque corpore ad limen extenſum mactari, & ad ædem SS. Coſmæ & Damiani Paulinæ dictam, ſepeliri præcepit. Basbacurius autem Patriciorum anteſignanus, & Opſicii Comes comprehenſus, & ipſe interfectus eſt. Elias demum cum adjunctis ſibi copiis (*a*) Damatrym profectus, colloquio cum exercitu, qui ibi conſederat, conſerto, militibuſque Juſtinianum ſequutis data ſalutis ſecuritate, eos a ſe invicem dividi, Juſtinianum deſerere, ſolum ſibi permittere, ac in Philippici partes tranſire perſuaſit. His ita peractis, Elias furore accenſus, in Juſtinianum inſilit, & apprehenſa ejus cervice, ſica qua erat accinctus, caput ejus amputatum, per Romanum Spatharium ad Philippicum tranſmiſit: ejuſdemque Spatharii opera in Occiduas Imperii provincias illud conſpiciendum Philippicus traduxit: qui Imperii poteſtate auctus, pſeudoſynodum Epiſcoporum, ex pſeudoabbatis ſententia celebrari juſſit & Sanctam ſextam Synodum abrogavit, hæreſi Monothelitarum confirmata, anno videlicet Chr. 711.

Itaque Philippico imperante, anno Incarn. ſecun-

a Apud Combefiſium in Auctario Bibliothecæ SS. Patrum, referuntur geſta a Philippico adverſus VI. Synodum, in quibus dicitur Bardanes genere Pergamæus, filius Nicephori, diſcipulus olim Stephani Abbatis, qui & ipſe diſcipulus fuerat Macarii Patriarchæ Antiocheni, hæretici Monothelitæ, in VI. Synodo depoſiti. Juſtinianus autem in loco dicto Damatico Provinciæ Bithyniæ, gladio ſectis cervicibus occiſus. Pagius ad ann. 711. num. 4. ad 6.

dum (*a*) Alexandrinos 704. Bulgari per Phileam (Theophane teſte) ad freti Byzantini anguſtias irrumpentes, ingenti ſtrage edita, ad Urbem uſque impreſſionem fecerunt, plurimoſque, qui fretum trajecerant, quique nuptias opulentiſſimas & ſumptuoſiſſima convivia, varia ſuppellectile argentea, & reliquo vaſorum apparatu comportato celebrabant, deprehendunt, & in reliquos ad Chryſen uſque portam excurrunt: tandem vaſtitate Thraciæ illata, & ex ea collecto captivorum ingenti numero, animantibuſque pene infinitis ſecum abactis, ſalvi & a periculo immunes, domos repetierunt. Agatho Diaconus poſtquam de Philippico narravit quæ ex ejus Peroratione ad annum 711. Pagius refert, ſtatim ſubjungit. " Quum hæc porro per biennium (*ab anno ſcil.* 711. *ad* 712.) violenter ab eo, iiſque patrarentur, quos ſtudiorum ac ſententiæ ejuſdem haberet ſocios... ipſo Sanctæ Pentecoſtes Sabbato, undecima Indictione (*anno* 713.) ſubito circa veſperam, inſurgente in eum ex improviſo exercitu in Thracia conferto, ac propter vicinæ gentis Unnogurorum (*b*) Bulgarorum continuam id temporis, ac ejus cauſa, ob pacta violata, irruptionem, plurimis Chriſtianis Thraciæ incolis qua captivis, qua jugulatis, ſeditionem movente; comprehenſus ipſe ſemibarbarus tyrannns (*Philippicus*) ac Imperio pulſus dejectuſque, confeſtim orbatus oculis, reliquum deinceps inſipientis ipſius cordis, juxta Pſalmiſtam, in tenebris ambulans: ſequenti vero, ipſa Sanctæ Pentecoſtes die, ſanctiſſimi ac vivifici Spiritus illuſtrante gratia ac adventu, renunciatur Imperator vir pius ac Orthodoxus, nomine Philartemius, mutato nomine Anaſtaſius appellatus, eorum prius accenſus ordini qui erant a ſecretis.

XVI. Philippico dejecto excæcatoque Anaſtaſius, deinde Theodoſius, ac demum Leo Iſaurus Imperio potiuntur. Hujus Leonis anno 3. Chriſti 718. Terbelis Bulgarorum Rex in auxilium Anaſtaſii & Nicetæ Xylonitæ advocatus, acceptis a Leone muneribus, proditiſque Anaſtaſio atque Niceta, domum redit.

Imperavit Anaſtaſius, Artemius antea dictus, annos duos & menſes octo, ideſt a die 4. Junii anni 713. ad menſem Januarium anni 716. Quum enim claſſem adverſus Saracenos miſiſſet, eique Joannem magnæ Eccleſiæ Diaconum, qui tum Gene-

a Inchoato Calendis Septemb. anni Chr. 712.

b Bulgari alii ab Unnoguris, uti alibi demonſtravi. Itaque legendum, *Unnegurorum & Bulgarorum*: Utriſque unus Rex Terbelis præerat.

Generalis Logothetæ munere fungebatur, præfeciſſet, ubi is Rhodum appulit, totaque claſſis illuc convenit, cum Ducibus colloquutus ut inde ſolverent, & in Phœniciam trajicerent ad incendenda ligna totumque qui illic reperiebatur Agarenorum apparatum; cunctis propoſitum uno ſenſu excipientibus, ſoli Opſiciani refragati ſunt, & Imperatori quidem debitos honores negaverunt, Joannem vero Diaconum gladiis peremerunt: ex quo claſſis diviſa, & ſinguli in patriam ſuam ſunt reverſi: Rebelles vero in Regiam urbem recta contenderunt: quumque ad Adramyttium appllcuiſſent, hominem quendam ejus loci indigenam, nomine Theodoſium, publicorum vectigalium exactorem, ibi forte repertum, ipſi nullo ſub capite militantes & ſine Duce, ad Imperium capeſſendum hortati, vimque inferentes, Imperatorem ſalutavere: & poſt ſex menſium pugnam, tota Opſicii regione, & Gottogræcis in ſocii arma impulſis, tandem Niceæ, quo Anaſtaſius confugerat, potiti ſunt. Anaſtaſius iis conſpectis, vitæ ſibi relinquendæ fide accepta, dedit manus & Monaſticum habitum induit: Theodoſius ſalvum eum eſſe jubens, Theſſalonicam in exilium egit. Imperavit autem Theodoſius annum unum & unum aut alterum menſem, ideſt a menſe Januar. aut Febr. anni 716. uſque ad menſem Martium anni 717. quo Leo Iſaurus Imperio potitus eſt. Nicephorus in Breviario. " Dum aſſidue „ hunc in modum contra Imperatores conjurationes exi„ ſtunt, dumque invaleſcente tyrannide, Imperii ac Reip. „ ſtatus negligitur, ac paulatim in deterius prolabitur, „ una & literarum ſtudia reſtingui atque intercidere cœ„ perunt, nec minus diſciplina militaris peſſumdari. Ita „ factum ut Romanum Imperium bellis impune laceſſere„ tur, ac cædes paſſim promiſcue, & abductiones hominum, „ & urbium everſiones fierent. Acceſſit ad horum malo„ rum cumulum Saracenorum irruptio, qui contra Regiam „ urbem terreſtri expeditione facta, infinitas equitum ac „ peditum copias ex ſubjectis ſibi gentibus collegerant; „ eodemque tempore claſſem ingentem mille octingenta„ rem navium circiter miſerant, Duce Muſulmano: ita „ enim gentili eum lingua vocabant. Quibus rebus cogni-

„ tis,

„ tis, tam militiæ præfecti, quam civiles magiſtratus,
„ quum Theodoſii imperitiam animadverterent, neque
„ tantis hoſtium viribus ſuſtinendis parem eſſe ſcirent,
„ inſtare atque hortari cœperunt, ut Imperio ſeſe abdica-
„ ret, ac tute ſe in ordinem cogi pateretur. Nec condi-
„ tionem abnuit ille, ſed anno Imperii vertente, ſponte ſe
„ abdicavit. Inde de ſucceſſore deligendo conſilium ineunt.
„ Ac tum forte Leo Patricius oblatus eſt, Orientalibus
„ copiis ea tempeſtate præfectus. Hic igitur, ut Impera-
„ tores ſolent, ſolemni pompa ſuſceptus, Aurea porta
„ Byzantium ingreditur, atque in majore Eccleſia Impera.
„ toriam coronam accipit: „ Imperavitque (ut Theophanes teſtatur) a menſis Martii die xxv. decimaquinta Indictione (anni 717.) ad menſis Junii diem XVIII. nona Indictione (anni Chr. 741.) Hujus Leonis Iſaurici anno Imperii tertio (Chr. 718. juxta Pagium, vel 719. ſecundum Baronium) " Nicetas Xylonites (*ut ſcribit Theophanes ad ann. Incarn.* 711.) literis ad Artemium [a] Theſ-
„ ſalonicam relegatum datis, ut ad Terbelium, Bulgaro-
„ rum ſocia arma quæſiturus, & ſubinde adverſus Leonem
„ militaturus, proficiſcatur, monet. Is conſilium ſequu-
„ tus, pergit in Bulgariam, & exercitum, aurique centena-
„ ria quinquaginta accipit. Eo apparatu inſtructus, Con-
„ ſtantinopolim recta tendit. Urbis civibus Artemium a ſe
„ depellentibus, & imperium ejus reſpuentibus, Bulgari
„ virum Leonis poteſtati permiſerunt. Quare acceptis ab
„ eo muneribus, domum redierunt: Imperator vero Ar-
„ temium & Xylonitem interfecit, bonaque Xylonitæ, qui
„ magiſter erat & locuples, publicavit: ſimiliter Siſinium
„ Patricium cognomento Rendacem, & Theognoſtum Pro-
„ toaſecretis, & Nicetam Anthracem, & mœnibus repa-
„ randis præfectum, Artemii familiarem, Bulgari capitis
„ abſciſſione multarunt; ac pariter Iſoëm Patricium & Opſi-
„ cii Comitem, ut amicos adjutoreſque ejus, Leo occidit:
„ alios vero naribus præciſis boniſque publicatis in exi-
„ lium ejecit.

Ter-

a Qui *Anaſtaſius* fuit appellatus, quum Imperator renunciatus eſſet.

XVII. Saraceni ab urbis Byzantinæ obſidione egreſſi, a Bulgaris cæduntur ſub Terbeli eorum Rege.

Terbelim circa Iſtrum ea tempeſtate Regnum ſuum poſſediſſe, declarat Paulus Diaconus lib. 6. de geſtis Langobardorum cap. 47. ubi deſcribens, quomodo Saraceni Conſtantinopolim per continuum triennium obſederunt, donec plurimi eorum fame, bello ac peſte perirent, ac ſic pertæſi obſidionis abſceſſerunt; ſubjungit: " Qui inde egreſſi Bulgarum gentem, quæ eſt ſuper Danubium, bello aggrediuntur: & ab hac quoque victi, ad ſuas naves refugiunt, quibus quum altum peterent, ingruente ſubito tempeſtate, plurimi etiam merſis ſive contritis navibus perierunt. " Hoc ipſum narrat Theophanes ad annum primum Leonis Iſauri, his verbis. " Bellum quoque cum ipſis (*Saracenis*) Bulgarorum natio commiſit, quo, qui rem exacte norunt, viginti duo millia ex eis cæſa referunt. Plurimæ denique ea tempeſtate clades & calamitates in eos incubuerunt, quibus experientia dignoſcerent, Deum & Sanctiſſimam Virginem Dei matrem, Urbem iſtam & Chriſtianorum imperium protegere; neque omnino a Deo deſeri qui eum invocant in veritate, brevi licet ſpatio pro admiſſis peccatis pœnas ſuſtineamus. Sigebertus ex Theophane ad ann. 718. *Bulgares Saracenorum triginta duo millia* (a) *perimunt*. Obſeſſæ a Saracenis, liberatæque divina ope Urbis Regiæ memoria notatur in Menologio Græco, extatque etiam oratio hiſtorica in Auctario Bibliothecæ Patrum Tom. 2.

XVIII. Poſt *Terbelim*, Reges Bulgarorum, I. *Cormeſus*, alias *Comerſius*, II. *Teleſis*. III. *Sabinus*. IV. *Paganus*, V. *Thollerigus* alias *Tzerigus*, VI. *Cardamus* VII. *Chrumnus*. Refellitur Orbinus, qui *Aſanerem* Bulgarum pro filio Chagani Chazariæ obtrudit.

Maurus Orbinus id factum narrat ſub *Aſaner* Bulgarorum poſt Terbelis obitum Rege; additque, Bulgaros ſub eod. Aſaner, Mediam & Armeniam Arabibus bello ereptam, Leoni Imperatori reſtituiſſe, a quo *Regis* titulum deinde conſequutus fuerit, huicque ſucceſſiſſe *Dobrum*. Sed longe aliter de Bulgarorum Regibus ſcribunt Græci Scriptores Theophanes ac Nicephorus, & ex Latinis Sigebertus: nam Theophanes quidem ſuſceptam in Medos & Armenios expeditionem ad annum Leonis Iſauri XII. non Aſanero Bulgarorum Regi tribuit, ſed *filio Chagani Chazariæ Principis*: his verbis: *Hoc anno filius Chagani Chazariæ Principis*

(a) Leg. 22.

pis Mediam & Armeniam infeſtis armis vexavit, & Garachum Arabum Ducem in Armenia obviam factum unacum adjuncto exercitu delevit. Tum vero Armeniorum & Medorum provincias depopulatus, magno ſui nominis terrore Arabibus relicto, domum rediit. Hinc idem Leo Iſaurus anno Imperii XVI. (Theophane teſte) *filium Chagani Scytharum Principis, Conſtantino filio ſuo uxorem dedit, quum Chriſtianam prius eam feciſſet, appellaſſetque Irenem. Hæc ſacris literis erudita, pietate fuit illuſtris, & Leonis Conſtantinique impietatem arguebat.* Porro quæ Theophani *filia Chagani Scytharum* dicitur, eadem *Chazara*, & *Chazariæ principis* filia fuit. Nicephorus in Breviario: *Dum hæc aguntur, Imperator legatos* πρὸς τὸν τῦ ἔθνυς τῶν Χαζάρων ἡγύμενον, *ad Chazarorum gentis principem mittit, qui ejus filiam peterent: quam Conſtantino filio deſpondit.* Unde natus ex Irene & Conſtantino filius, *Leo Chazarus*, & ex *Chazara* Conſtantini filius, appellatur. Cedrenus: Λέων, ὁ ἐκ τῆς Χαζάρας ὑὸς αὐτῦ, ἐβασίλευσεν ἔτη ε̄ *Leo ipſius* (Conſtantini Copronymi) *ex Chazara filius, imperavit annos quinque.* Theophanes ad ann. Conſtantini Copronymi IX. *Tertia Indictione, menſis Januarii die* XXV. *Imperatori Conſtantino ex filia Chagani Chazariæ ſuſceptus eſt filius nomine Leo.* Sigebertus vero de Therbelis ſucceſſoribus ſic ſcribit: *Terbelis* Bulgarorum Rex vixit ad annum Chr. 727. quo ei ſucceſſit *Cormeſus*: qui quum anno 760. obiiſſet, ſucceſſorem habuit *Teleſim*. Teleſis anno 762. Conſtantino Copronymo Imperatori congreſſus, cum multo Bulgarorum damno & opprobrio victus, & ab hoc a Bulgaris repudiatus, cum principibus gentis ab eis perimitur. *Sabinus* poſt eum Bulgaris ab anno 762. dominatur: quumque fœdus cum Romanis iniiſſet, a ſuis rejectus anno 763., ad Imperatorem confugit, ſubſtituto in ejus locum *Pagano*, qui ab anno 763. ad 770. regnavit, *Thellerigo* ſucceſſore relicto: quo Bulgaris imperante, anno 771. Conſtantinus Imperator contra Bulgares navali prælio pugnaturus, navibus ſuis fere duobus millibus impetu Aquilonis contritis, totum pene amiſit exercitum. Thellerigus vero anno 776. ad Leonem Imperatorem fugit, quem baptizatum Imperator

tor Patricium fecit: Bulgari autem *Cardamum* eodem anno ſibi præficiunt, qui ad annum 807. vitam produxit. Cardamo ſucceſſit *Chrunnus*, de quo Sigebertus uſque ad annum 820. meminit: nam *deficiente*(ut inquit)*hiſtoriarum narratione*, *ceſſat etiam* (poſt annum 820.) *narratio de Regno Bulgarorum & Saracenorum*. De eodem vero Chrunno ad ann. 810. hæc idem Sigebertus ſcribit: *Nicephorus Imperator Bulgariam ingreditur: & quia victoriæ temperare neſcivit, a Bulgaris cum multo Senatorii ordinis numero perimitur*: & ad ann. 813. *Michael Imperator Chrunno Bulgaro congreſſus, de bello victus fugit, & ex deſperatione rerum Monachus factus, Imperium deponit*. Nec plura de Bulgaris Sigebertus. Verum longe plura apud Græcos ſcriptores habemus, ex quibus hæc ſubjungimus.

XIX. Conſtantinus Copronymus Syros & Armenios in Thraciam transfert: Sclaviniæ Provincias ad Macedoniam ſitas Imperio Romano ſubjicit, pluribus captivis abductis. Bulgaros ſub Cormeſio Rege ad Longum uſque murum excurrentes, comprimit, & datis acceptiſque mutuis cladibus, tandem Bulgaros ad pacem petendam compellit.

Theophanes ad ann. Conſtantini Copronymi XV. Chr. 756. *Imperator Conſtantinus, quos Theodoſiopoli & Melitina Syros & Armenios eduxit, in Thraciam tranſtulit*. Et mox. *Eodem etiam anno Bulgari ob nova caſtra extructa, nova quoque pacta poſtulant. Imperatore Apocriſarium eorum ſpernente, ipſi ignominiam ulturi, ad Longum uſque murum cum exercitu bene inſtructo irrumpunt: magnaque ſtrage edita, & multitudine captivorum abducta, illæſi & incolumes proprias domos repetunt*. Et ad annum Conſtantini XVIII. *Hoc anno Conſtantinus Sclaviniæ provincias ad Macedoniam ſitas in ſervitutem redegit* (Græc. text. ἠχμαλώτιωσε in captivitatem abduxit) *reliquos vero imperio Romano plane ſubjici cogit*. Demum ad annum ejuſdem Conſtantini XIX. *Imperator armis in Bulgariam motis, venit Beregabam. At Bulgari ad Cluſuram obviam facti, plurimos ex ejus militibus deleverunt, inter quos Leo Patricius & Thracenſium Dux, alter Leo curſus publici Logotheta, & ex confuſa plebe non pauci deſiderati. Eorum arma acceperunt Bulgari: atque ita Romani cum dedecore redierunt*. Aliter belli iſtius eventum commemorat Nicephorus Patriarcha CP. pag. 43. *Conſtantinus oppida per Thraciam exſtruxit, in quibus Syros & Armenios collocavit, quos ex Melitenſium urbe ac Theodoſiopoli tranſtulerat, iiſque neceſſaria omnia liberaliſſime largitus eſt. Hæc oppida*

dum adhuc ædificantur, conſpicati Bulgari, tributa ab Imperatore poſtulant: quo renuente, illi exercitu collecto, Thraciam depopulantur, ac propemodum ad Longos uſque muros excurrunt. Sed occurrente Imperatore, commiſſoque prælio, in fugam conjecti ſunt: quumque eos acrius inſequeretur, quamplurimi e Bulgaris interfecti. Deinde ingentibus terra marique copiis contra eoſdem Imperator profectus eſt. Claſſis ipſa quingentarum numero navium Euxino mari navigans, ad Iſtrum applicuit. Inde Bulgarorum agros incendio vaſtare, innumeros in captivitatem abducere. Imperator ipſe ad Marcellas (quod caſtellum prope Bulgarorum fines poſitum eſt) acie congreſſus, barbaros in fugam convertit, ac bene multos interficit. His cladibus acceptis Bulgari de pace legatos mittunt, obſideſque liberos tradunt. Comerſium tunc Bulgaris præfuiſſe, Theophanes tradit pag. 421. edit. Paris. ubi de Crummo, & Comerſio (*a*) hæc ſcribit: *Hoc anno* (Michaëlis Imperatoris 2. Chriſti 813.) *Crummus Bulgarorum Princeps Dargamerum legatum cum Imperatore Michaele* (Curopalata, vulgo Rhangabe) *tractaturum miſit: conditioneſque Comerſii tunc temporis Bulgariæ domino conceſſas, ac ſub Theodoſio Adramytino & Germano Patriarcha ictas adimpleri poſtulavit. Eæ porro ditionibus utriuſque Principis limites præfigebant a Thraciæ Meleonis: veſtes, rubraſque pelles ad auri librarum triginta pretium dandas: inſuper ex utraque parte fugitivos utrique Principi mutuo reſtituendos, licet in Remp. perduelles forent: mercaturam inter utramque ditionem exercentes res ſuas venales literis & ſigillis commendatas & firmatas in publicas rationes inferre deberent.* Theodoſius (*b*) Adramytenus, Anaſtaſio II. antea Artemio dicto, Theſſalonicam relegato, imperium iniit anno Chr. 716. idque tenuit uſque ad diem 25. Martii Indictione XV. hoc eſt anni ſequentis 717. quo Leo Iſaurus in ejus locum

a Fabricius quoque Biblioth. Græc. Tom. 6. pag. 721. ad ann. Chr. 716. initium imperii Theodoſii Adramytini ponit; ſed pro Artemio, perperam ſcribit, *Philippico Theſſalonicam relegato*.

b Idem Theophanes ad ann. Conſtantini Copronymi XXII. pro Comerſio, *Cormeſium* appellat.

locum ſubrogatus eſt : adeoque Theophanes ſibi ipſe repugnat, quum ad annum Leonis 3. pag. 335. edit. Paris. *Terbelim* tunc Bulgarorum Regem fuiſſe ſcribit, ideſt anno Chr. 719. his verbis : " Eodem anno Nicetas Xylonites,
,, literis ad Artemium Theſſalonicam relegatum datis, ut
,, ad TerbeliumBulgarorum,ſocia arma quæſiturus, & ſub-
,, inde adverſus Leonem militaturus, proficiſcatur, mo-
,, net. Is conſilium ſequutus, pergit in Bulgariam, & exer-
,, citum, aurique centenaria quinquaginta accipit. Eo ap-
,, paratu inſtructus, CP. recta tendit. Urbis civibus Arte-
,, mium a ſe depellentibus, & imperium ejus reſpuenti-
,, bus, Bulgari virum Leonis poteſtati permiſerunt, quare
,, acceptis ab eo muneribus domum redierunt. ,, Quare aut dicendum, *Comerſii* nomen ad ann. Leonis 3. pro Terbelio reponendum ; aut potius *Terbelii* nomen ad ann. Michaëlis 2. pro *Comerſio* legendum.

XX.

Teleſis, qui poſt Comerſium Rex Bulgarorum creatus eſt, cum Sclavinorum auxiliis, vicina Romanorum loca hoſtiliter invadit : Conſtantinus Copronymus anno 763. commiſſo cum Bulgaris prælio, victoria potitur. Bulgari tumultuantes, Teleſum occidunt, Regemque Sabinum creant : quo propter novum tumultum ad Imperatorem fugiente, a Bulgaris Paganus Rex conſtituitur.

Poſt Comerſium Nicephorus ac Theophanes Bulgaris præfuiſſe *Teleſium* ſcribunt. Nicephorus pag. 44. edit. Paris. " Nec longo poſt hæc interjecto tempore Sclavini pa-
,, triis finibus extorres, Euxinum trajiciunt, quorum nu-
,, merus ad octo & ducenta millia perveniſſe dicitur. Hi
,, ad fluvium, quem Artanam nominant, conſederunt.
,, Dum hæc aguntur, apud Hunnos & Bulgaros iſta conti-
,, gerunt. Fœdere illi inter ſe conſtituto, Xerenſibus,
,, quorum in dominatu erant, interfectis, ducem ſibi Te-
,, leſium nomine præficiunt, arrogantem hominem, ac
,, juvenili audacia ferocem, qui collecta militum manu,
,, vicina Romanorum loca & caſtella hoſtiliter populatus
,, eſt. Conſtantinus ejus audaciam ac violentiam animad-
,, vertens, hippagogas naves ad octingentas comparat,
,, quas quum equitatu compleſſet, per Euxinum mare in
,, Iſtrum immittit. Ipſe cum alio exercitu Anchialum per-
,, venit, ad quam ei Teleſius cum Sclavinorum auxiliis
,, haud pœnitendis occurrit. Ibique prælio victus in fu-
,, gam vertitur. Multi utriuſque gentis hoſtium in acies
,, cæſi, nec pauci etiam e primoribus capti. Hac victoria
,, potitus Imperator, Byzantium revertitur: captivos omnes
,, in populum, ac Circenſes præcipue factiones ad necem di-

„ vidit. Bulgari Teleſii infelicitate cognita, hunc per ſe-
„ ditionem opprimunt. Et Sabino cuidam ex ducibus
„ ſuis imperium deferunt. Ille miſſis aliquot expeditis,
„ eorum conjuges & cognatos e latebris eductos ad Sabi-
„ num perducit. Interim Bulgari mutatis animis legatos
„ de pace ad Imperatorem deſtinant. Qui rejectis horum
„ precibus, ſtatim in eos exercitum movet. Barbaris
„ montis ejus, quo undique cincti ſunt, anguſtias muniunt.
„ Horum princeps fide accepta, cum ducibus ſuis ad Im-
„ peratorem pervenit: qui his exceptis, aſſidente Sabino,
„ turbulentos animos & odium illud in Sabinum exprobra-
„ vit, ac poſtremo pacem eis conceſſit. Hæc Indictione
„ prima ſunt facta. „ Adeoque anno Chr. 763. quum
eſſet annus Imperii Conſtantini Copronymi vigeſimus ſe-
cundus: quo anno Theophanes quoque idem factum nar-
rat, his verbis. " Bulgari ſeditione mota, propriis domi-
„ nis continuata unius ſtirpis ſerie poteſtatem hucuſque
„ adeptis illata cæde rejectis, malignæ mentis hominem,
„ nomine Teletzin, annos triginta natum, ſibi ducem
„ præfecerunt. Multi propterea Sclavi patria excedentes,
„ ad Imperatorem ultro ſe contulere: quos ille Artanam
„ incolere conſtituit. Menſis autem Junii die 17. bis mil-
„ lium chelandiorum equos duodecim per ſingula vehen-
„ tium claſſe per Euxinum pontum miſſa, Imperator Thra-
„ ciam verſus perrexit. Teletzes terra marique adverſus
„ ſe paratam audiens, vicinarum nationum viginti milli-
„ bus in auxilium accitis, & per munita loca diſtributis,
„ ipſe præſidio ſe incluſit. Imperator vero in Anchiali agris
„ caſtra metatus eſt. Porro Junii die 30. Indict. 1. feria
„ hebdomadis 5. Teletzes cum numeroſa auxiliariorum
„ multitudine progredi tandem viſus eſt, conſertaque pu-
„ gna, mutua utriuſque partis cædes ingens edita: fuſiſque
„ demum Teletzis copiis, ipſe fugam arripuit: duravitque
„ pugna ab hora quinta uſque ad veſperam, & maxima
„ Bulgarorum numerus certamine illo deletus, multi ca-
„ pti, alii ultro ad Romanos defecerunt. Imperator proſ-
„ pero victoriæ ſucceſſu elatus, Urbem triumphum ducens
„ ingreſſus eſt, lætiſque totius civitatis vocibus exceptus,
„ Bulga-

,, Bulgaros bello captos xylopanduris vinctos in eam invexit, eoſque demum extra Chryſen portam a civibus capite truncari juſſit. Bulgari autem ſeditione in Teletzem mota, ipſum ac cunctos ejus proceres dederunt neci; Sabinum vero, γαμβρὸν ὄντα τοῦ Κορμεσίου τοῦ πάλαι κυρίου αὐτῶν Cormeſii quondam Principis eorum generum, conſtituerunt ducem. Quum vero Sabinus legatos de pace ad Imperatorem confeſtim deſtinaſſet, Bulgari comitiis habitis, Sabino pertinaciter ſe oppoſuerunt, clamantes: Bulgaria, tui cauſa, Romanorum poteſtati ſubjicienda eſt. Aucto demum tumultu, Sabinus in Meſembriæ præſidium fuga ſe ſubducit, & inde ad Imperatorem ſe confert. Alium vero Dominum, nomine Paganum, Bulgari creaverunt.

XXI. Conſtantini Copronymi res geſtæ adverſus Bulgaros ab anno 765. ad 775. ex Theophane & Nicephoro. Severus Sclavinorum Dux multorum malorum in Thracia auctor. Adverſus Ruſſorum Chelandia claſſem Conſtantinus inſtruit. Ante Paganum *Umarus* & *Tolus* Bulgarorum Duces. Poſt Paganum Tellerigus ſeu Tzerigus. Copronymi interitus.

De *Pagano* in locum Sabini Bulgarorum Regis ſubſtituto pergit Theophanes ad ann. Conſtantini Copronymi XXIV. Chr. 765. " Eodem (a) anno Paganus Bulgarorum Dominus, miſſis ad Imperatorem Legatis, ad colloquium & mutuum cum eo conſpectum venire poſtulavit: & accepta fide, ipſe cum ſuis Boiladis, μετὰ τῶν Βοϊλάδων (b) αὐτοῦ, & optimatibus ad Imperatorem ſe contulit. Imperator autem ſede ſua recubans, Sabino ipſi pariter aſſidente, advenientes excepit. Tum rebellione, & quod in Sabinum conceperant, odio exprobrato, ſimulatam pacem cum eis compoſuit. Miſſis porro latenter in Bulgariam militibus, Severum Sclavinum optimatem, multorum pridem in Thracia malorum auctorem in poteſtatem recepit. Comprehenſus eſt etiam Chriſtinus apoſtata fidei conſpurcator, & inter prædones dictos Scamares anteſignanus, qui in portus S. Thomæ mola præciſis manibus & pedibus, accitis medicis commiſſus eſt, & a pube ad thoracem ab eis diſſectus, conſpiciendæ humani corporis compoſitioni novum exhibuit ,, ſpe-

a Cedrenus pag. 465. *Anno XXIV. Conſtantinus pace cum Pagano Bulgarorum Principe facta, ſubito eſt ab urbe profectus clauſtriſque cuſtode ob pacem nimirum iſtam fraudulentam, vacuis inventis, in Bulgariam Tumizam uſque progreſſus, tuguriis in quæ incidebat incenſis, metuens ſibi domum rediit, nullo præclaro facinore edito.*

b Leg. Βοϊβάδων, *Boibadis*, idest, *Voevadis*.

,, ſpectaculum: ac demum in ignem conjectus eſt. Poſt-
,, modum Imperator Urbe inexpectato egreſſus, cluſuras
,, cuſtodia deſtitutas, ob fraudulentæ pacis ſpeciem, repe-
,, riens, in Bulgariam Tunzas uſque penetravit. Tum
,, igne aulis & tuguriis forte repertis ſubjecto, nulla re
,, præclare geſta, ſed ſubito metu correptus, Conſtanti-
,, nopolim remeavit. *Et ad* (*a*) *ann. 25. Chriſti* 766. Cæ-
,, terum Januarii menſis die XXI. Indict. IV. Imperator
,, bello in Bulgaros moto, Chelandiorum bis millia ſex-
,, centa Anchialum miſit, copiis Thematum omnium iis
,, impoſitis. Quum autem litora navigando ſemper lege-
,, rint, boreali vento flante, cuncta paucis exceptis con-
,, fracta ſunt. Immenſus ſane ſuffocatorum numerus exti-
,, tit. Cadaveribus autem colligendis uncos ferreos demi-
,, ſit Imperator, & mortuos unda extractos funereis ho-
,, noribus proſequutus eſt,, *Et ad ann. 33. Chriſti* 774.
,, Hoc anno, menſe Majo Indict. XII. Conſtantinus (*b*)
,, claſſem Chelandiorum bis millium in Bulgariam inſtru-
,, xit: ipſe adverſus Ruſſorum Chelandia **εἰς τὰ Ῥούσια**
,, **χελάνδια**, in Danubium aditum ſibi paraturus movit.
,, Extra cluſuras autem equeſtrium ordinum duces reli-
,, quit, ut Bulgaris in eo repellendo occupatis, ipſi in
,, provinciam, ſi liceret, penetrarent. At ubi (*c*) Bar-
,, nam advenit, metu correptus, jam de reditu cogita-
,, bat. Ex adverſo Bulgari, ejus adventu cognito, ter-
,, rore acti, Boilam, & Tzigatum, ab Imperatore pacis
,, conditiones accepturos, miſerunt. Iis viſis Imperator
,, oppido gaudens, pacem compoſuit, quam etiam datis
,, ad invicem juramentis firmaverunt: Bulgaros nimirum
,, ab infeſtanda Romana ditione, Imperatorem vero ab
,, impetenda bello Bulgaria viciſſim abſtenturos. Condi-
,, tiones iſtas ſcripto mandatas mutuo ſibi tradiderunt. Im-
,, pera-

a Cedren. pag. 466.

b Cedren. pag. 467.

c *Barna*, *Varna*, alias, *Tiberiopolis*, *Strumnitza*, *Stromitza*, *Dionyſiopolis*: Urbs Mœſiæ inferioris, & poſtea Bulgariæ, prope oſtia fluvii Zyræ in Pontum Euxinum. Sedes Metropoleos titulo ornata ſub Achridenſi. Vide Quienum Orient. Chriſtian. Tom. 2. pag. 283. & ſeq.

„ perator pedem referens, ex omnibus Thematibus ad „ tutanda caſtra recens a ſe erecta præſidio relictis militibus, Urbem ingreſſus eſt. Verum menſe octobri, Indictione XI. (*imo* XIII.) (*a*) nuncium a Bulgaria ab occultis amicis acceperat, Bulgariæ Dominum duodecim millia militum & Boiladas expedire, ad Berzetiæ (*b*) „ incolas captivos abigendos, πρὸς τὴν Βερζητίαν, eoſque „ in Bulgariam transferendos. Is ne agnoſceretur bellum „ in Bulgaros movere, ad eum quippe acceſſerant Bulgarorum Apocriſarii, & adhuc moram agebant in Urbe, „ ſe contra Arabes expedire ſimulavit: quare in Aſiam vexilla, & bellicum omnem apparatum tranſmiſit. Porro „ dimiſſis Apocriſariis, de eorum reditu per exploratores certior factus, moto exercitu iter cum feſtinatione arripuit. Tum vero Thematum militibus, qui per „ præſidia diſperſi erant, una cum Thraceſianis accitis, una „ etiam cum ordinibus collectis ex Optimatis exercitum ad „ hominum octoginta millia conflavit: ac per locum, qui „ Lithoſoria dicitur, irrumpens, citra tubæ ſonitum impetum in hoſtes fecit: iiſque in fugam verſis, inſignem „ retulit victoriam: partaque ſpoliorum & captivorum vi „ rediit, & ſolemni ſtipatus obſequio Urbem ingreſſus, „ triumphum egit: bellumque iſtud nobile vocavit, quod „ nemo ſcilicet ſibi reſtitiſſet, nec ulla cædis aut Chriſtiani ſanguinis effuſio edita eſſet." Anno 34. Chriſti 774. „ Imperator violati ad Bulgaros foederis conſcius, copioſam claſſem iterato præparavit: impoſitiſque in eam „ equitum millibus duodecim, duces navigiorum univerſos, quos in comitatu habuit, ante ſe præmiſit: ipſe „ vero

a Pagius ad ann. 774. num. 20 pro *Indict.* XI. legendum putat, *Indict.* XII. ſed fallitur: nam Theophanes res a Conſtantino geſtas *menſe Majo Indict.* XII. ſupra narravecat: ac proinde quum de rebus aliis ſubiungit *menſe Octobri* geſtis, proculdubio deſignat *Indict.* XIII. quæ Kalendis Septembris inchoata fuerat.

b Cedren. pag. 467. *Anno 33, Conſtantinus quum expeditionem feciſſet in Bulgaros, compoſita pace rediit. Quum autem Bulgari XII. millia in Berzetiam mitterent, cognita re Lithoſoream contendit, ibique eos obruit &c.* Apud Theophanem ad ann. mundi 6171. pag. 297. *Numeroſa Chazarorum gens ex interiori Berzeliæ, quæ eſt primæ Sarmatiæ, receſſu prorupit.* ἀπὸ τοῦ ἐνδοτέρου βάθους Βερζελίας τῆς πρώτης Σαρματίας.

„ vero metu retentus, cum equeſtribus copiis remanſit.
„ Claſſis illa Meſembriam uſque delata, & adverſis boreæ
„ flatibus jactata, quin periret univerſa, parum abfuit.
„ Pluribus itaque ſuorum deſideratis, Imperator re infe-
„ cta reverſus eſt. Porro Tzerigus [a] Bulgarorum (b)
„ Dominus a viris ſibi conjunctis & amicitiam ſimulantibus
„ conſilia ſua Imperatori nota fieri perſentiens, ſcribit;
„ patria fugere, & ad te me recipere, conſilium mihi eſt:
„ quamobrem incolumem me apud te futurum fidei argu-
„ mentum tranſmitte. Si amicos uſpiam hic habueris, qui-
„ bus poſſim fidere, & qui futuri ſint adjumento, ſcri-
„ be. Ille animi levitate ductus, cunctorum nomina con-
„ ſcripſit. Eos ita cognitos, Bulgarus medios diſſecuit.
„ Quo comperto Conſtantinus, canos ſuos præ dolere evul-
„ ſit.„ Anno 35. Chriſti 775. Indict. 13. " Imperator [c]
„ Conſtantinus bellum Bulgaris illaturus, Urbem reliquit.
„ Anthracum autem morbo in crura ſibi divinitus immiſſo,
„ & febri ſubinde vehementiſſima correptus, & ardore
„ medicis ob incendii vim penitus ignoto afflictus, ſubdi-
„ torum humeris grabato delatus, Arcadiopolim remea-
„ vit: unde Selymbriam (d) profectus, die XIII. menſis Se-
„ ptembris, Indict. XIV. navi conſcenſa, ad caſtellum
„ Strongylum devectus, infelicem in navigio mortem obiit,
„ vociferans, ac dicens: etiam vivus igni non extinguen-
„ do addictus ſum. Sanctam poſtmodum Virginem & Dei
„ Genitricem hymnis & laudibus celebrari, qui vixerat
hoſtis ejus infeſtiſſimus, poſtulavit.

Theophani Nicephorus concinit quoad Paganum Sabino ſubſtitutum a Bulgaris Indict. III. hoc eſt, anno Chriſti 765. ſed illum *Campaganum* vocat, hoc eſt *Chan Paganum*, ſive Regem Paganum, eique præceſſiſſe ſcribit *Uma-*

---

a Tzerigus, Pagano ſucceſſit anno 770. ex Sigeberto, qui eum *Telericum vocat*.

b Cedrenus pag. 468. Cæterum *Elerichus* Bulgarorum princeps a ſuis familiaribus prodi ſe intelligens &c.

c Cedreno pag. 467. *Anno 35. in Bulgaros quum ſuſcepiſſet expeditionem, irato Deo carbunculi pedes ejus invaſerunt.* &c.

d Cedreno pag. 468 *Selybriam*. Vide Quienum Tom. I. Orient. Chriſtian. pag. 1137. & ſeq. *Selys, & Bria*: nam *Bria* apud Thraces, teſte Strabone, idem erat, ac *Civitas*.

Umarum quemdam, & Toctum, inquiens edit. Paris. pagin. 45. *Indictione deinde tertia Conſtantinus in Bulgariam exercitum ducit, quod Umaro, quem Sabinus ducem præfecerat, imperio exuto, Bulgari Toctum genere Bulgarum Bajani fratrem, ejus loco ſubſtituiſſent: qui ſub adventum Imperatoris, ad ſaltus Iſtro propinquos confugiunt: nec pauci tamen interfecti ſunt: inter quos & Toctus cum fratre Bajano, atque aliis compluribus occiditur. Alius item ex eorum ducibus, quem Campaganum vocant, quum Barnam fugiſſet, ac jam evaſiſſe videretur, a ſervis ſuis peremptus eſt. Quo tempore Bulgariæ magna pars a Romanis igne vaſtata, atque hoſtiliter populata eſt.* Subjungit, nulla temporis nota expreſſa pag. 47. *Eodem anno Conſtantinus contra Bulgaros expeditione facta, cum ſuis ad illorum limites pervenit, & prope eum locum, qui Beriganorum Embole dicitur* (Teophani Beregabe) *conſedit. Ad hæc inſtructa claſſe bis mille ac ſexcentorum navigiorum, & claſſiariis ſupplementis ac militibus, quos partim ex navalibus præfecturis, partim aliis ex locis contraxerat, impoſitis Meſembriam, & Anchialum ad Bulgarorum fines navigare juſſit. Quibus rebus conſternati Barbari, atque equitum & navium multitudine territi, cum Imperatore de conditionibus agunt. Sed quum claſſis ad illius maris litus conſtitiſſet, quod impetuoſus hic locus & navigantibus difficilis eſſet, ſubito coortus a Septentrione vehemens ventus everſas naves, atque ad litus afflictas confregit, nec exiguam vectorum multitudinem fluctus oppreſſit. Inter hæc trepidantibus omnibus juſſi ab Imperatore duces præfocatorum corpora diſpoſitis in mari retibus excipere, ac ſepulturæ tradere. Quibus peractis Conſtantinopolim reverſus eſt.* Ubi Nicephorus rès a Conſtantino diverſis annis geſtas, uno tenore refert. Nec plura de Bulgaris habet, ſed tantummodo pag. 49. hæc de Sclavis ſcribit Indict. VII. hoc eſt, anno Chriſti 769. *At Conſtantinus Legatis ad Sclavinorum principes miſſis, Chriſtianos, qui jamdudum apud eos captivi detinebantur, recepit, quos illi ex inſulis Imbro, Tenedo ac Samothracia duxerant. Hos omnes bis mille ac quingentos fere ſericis ve-*

ſtibus permutatos, cum muneribus abire quoquo vellent permiſit.

XXII. Telleiigus ſeu Tzerigus Bulgarorum Rex ad Leonem Chazarum Imp. profugiens, baptizatur anno 776.

Leone Chazaro, Copronymi filio, imperante, anno ejus ſecundo, hoc eſt Chr. 776. *Tzerigus*, ſive *Telerigus*, Bulgarorum Rex, quum ſubditorum vereretur inſidias, ad Leonem confugit. Theophanes " Telerus (ita ,, eum vocat) Bulgarorum Dominus ad Imperatorem pro- ,, fugit, a quo locata in matrimonium conjugis ſuæ Irenes ,, conſobrina, Patricius creatur. Eum ſacro lavacro ini- ,, tiatum Imperator ſuſcepit, & ſummis honoribus cumula- ,, tum valde adamavit ,,. *Cedrenus p.* 468. Anno Leonis ,, Chazari ſecundo πελλερίγος, Pellerigus Bulgarorum ,, princeps ad Leonem confugit, ab eoque Patricius crea- ,, tur, tradente etiam ſororis uxoris ſuæ filiam ei in ma- ,, trimonium: ſuſceptuſque ab eo ex ſacro lavacro, ma- ,, gnopere charus honoratuſque ei habetur. ,, Fallitur Sigebertus, qui hoc Telerici factum ad ann. Chr. 778. item Pagius, qui ad ann. 777. differt: nam Theophanes, & Cedrenus anno Leonis ſecundo, non tertio, *Telerum* (a) ſive *Telericum*, hoc eſt, *Teler-Chan*, ad Leonem confugiſſe ſcribunt.

XXIII. Sclavi Macedoniam, Græciam, & Peloponneſum circa ann. 750. invadunt. Anno 782. ſub Conſtantino & Irene AA. Romano ſubjiciuntur Imperio. Tributa iis impoſita ſub aliis Imperatoribus.

Sublato Leone, anno Conſtantini & Irenes tertio, Chr. 782. Theophanes ait: *Irene Auguſta, pace cum* (b) *Arabibus confecta, Stauracium Patricium & celeris curſus Logothetam cum numeroſo exercitu adverſus Sclavinorum nationes miſit: qui quum Theſſalonicam & Græciam adiiſſet, regionem omnem Imperio ſubjecit, & tributum pendere coëgit. Quin etiam Peloponneſum penetrans, captivorum ingentem turbam & ſpolia in Rmanam ditionem retulit*. Tum ad annum ſequentem. *Hoc anno menſis Januarii die ſeptimo Stauracius, quem memoravi, ex Sclavina expeditione regreſſus, victoriæ ſolemnia, ducto per circum triumpho, peregit*. Quo anno in Macedoniam, Helladem ſive

a Male apud Cedren. pag. 468. dicitur *Pellerigus*. Nam idem Cedrenus ſupra p. 467. eum vocaverat *Elerichum*.

b Cedrenus pag. 470. *Anno 3. Irene, pace cum Arabibus facta, Stauracium Patricium & Logothetam contra Sclavinos mittit, qui & omnes eos Imperio Irena ſubegit, atque etiam magnam ex Peloponneſo prædam multaque ſpolia abſtulit.*

ſive Græciam, & Peloponneſum, Sclavinorum nationes invaſerint, neque Theophanes, neque alii Scriptores Græci narrant. Porphyrogenitus tamen lib.2. de Thematibus, Themate VI. tempus videtur deſignare, de Peloponneſo ſic ſcribens: *cæterum in ſervitutem redacta fuit univerſa regio, ac barbara effecta, quando peſtilens morbus in omnem terrarum orbem graſſatus eſt, quo tempore Conſtantinus Copronymus Romanorum Imperii ſceptra rexit*. Nimirum poſt annum Chriſti 746. quo immanis Peſtis per totam Græciam ſub Conſtantino Copronymo graſſata eſt, teſte Theophane apud Pagium ad ann. 746. num. 3. *Hoc eodem anno lues peſtilentialis a Cilicia* (lege, *Sicilia* : quæ enim conjunctio Ciliciæ cum Calabria ?) *& Calabria primum exorta, atque velut ignis ſenſim depaſcens, per Monobaſiam* (Peloponneſi urbem) *& Græciam, adjacenteſque inſulas pervagata, tota Indictione XIX.* (anno 746.) *irreligioſum Conſtantinum flagellavit*. Et mox: *Peſtilens illud bubonis virus ad Imperatricem uſque urbem propagatum eſt Indictione XV.* adeoque anno 747. Et poſt pauca. *Inſequente autem primæ Indictionis vere* (anno 748.) *magis ſerpere & graſſari contagium: circa meſſem vero ita ejus incendium exarſit, ut quamplurimæ domus incolis penitus orbæ clauderentur, ac ſepeliendis mortuis amici vivi deficerent*. Hinc Nicephoro Patriarcha CP. teſte, poſt iſtud peſtilentiæ malum, *deſertam urbem CP. ac pene ad vaſtitatem redactam, evocatis novis civibus* Conſtantinus Copronymus *frequentat, quos undique ex provinciis atque inſulis Romano nomini ſubjectis exciverat*. Itaque in vacuam habitatoribus Peloponneſum & magnam Macedoniæ partem circa annum 750. *Sclavini* migrarunt: quos proinde Irene Auguſta ut Imperio ſubjiceret, Stauracium Patricium anno 782. (vel ſequenti, uti contendit Pagius) cum exercitu miſit. De iiſdem Sclavis in Peloponneſo degentibus fuſe agis Porphyrogenitus de Adm. Imp. cap. 49. ubi narrat, Romani Imperii ſceptra tenente *Nicephoro*, eos in Peloponneſi Themate defectionem cogitantes, a S. Andrea Apoſtolo cohibitos fuiſſe: Prætorem autem illius Thematis, qui Corinthi degebat, quum triduo poſt advenìſſet, &

Apoſtoli victoriam intellexiſſet, Nicephoro Imperatori ſignificaſſe incurſionem Sclavinorum, captivorum numerum, vaſtationem, prædam, & quæcumque alia mala Achajæ in partibus intuliſſent: item diuturnam Patrarum urbis obſidionem, continuamque oppidanorum oppreſſionem; deinde S. Andreæ Apoſtoli inſpectionem, auxilium, & integram victoriam, utque ſub oculis hominum viſus eſſet hoſtes invadere, eoſque perſequi, & in fugam convertere, adeo ut ipſi etiam Sclavi ejus vires & ſuppetias Patrenſibus præſtitas perſentiſcerent, ideoque ad ſacram ejus ædem confugerent. His cognitis, Imperatorem juſſiſſe, poſtquam ab Apoſtolo victoria contigiſſet, omnia ei ſpolia donari; & ſtatuiſſe, ipſos quoque Sclavos cum omni familia & facultatibus attribui Templo Apoſtoli, quod in Patrarum Metropoli eſt: & ſigillum ſuper hac re in Metropoli illa dediſſe. Aliud etiam ſigillum a *Leone* Imp. Baſilii filio datum, ſingillatim complectens, quid ii adſcriptitii Metropolitano præſtare deberent Subjungit idem Porphyrogenitus cap. 50. Thematis Peloponneſi Sclavos temporibus Imperatoris *Theophili* ejuſque filii *Michaëlis* deſciſcentes, imperium excuſſiſſe; & ſuo libitu viventes, direptiones, captivitates, prædas, incendia ac furta exercuiſſe. Imperante vero *Michaële* Theophili filio, miſſum fuiſſe Protoſpatharium *Theoctiſtum*, cognomento Brœeniorum, Prætorem ad Thema Peloponneſi cum magna manu Thracum, Macedonum, ceterorumque Thematum Occidentalium, ad eos debellandos ſubjugandoſque: & omnes quidem Sclavos, reliquoſque Thematis Peloponneſi nondum ſubjectos viciſſe eum ac ſubjugaſſe: *Ezeritis* autem & *Milengis*, qui ad latera præcelſi montis Pentadactyli ſedes habebant, impoſuiſſe tributum, Milengis quidem nomiſmata ſexaginta, Ezeritis vero nomiſmata trecenta: quumque hi Imperiali mandato obedientiam ultra exhibere detrectarent, a Protoſpathario *Crinita Arotra* devictis, tributa iis graviora impoſita, Milengis quidem ad ſexaginta nomiſmata, quæ antea ſolvebant, alia quingenta & quadraginta, Ezeritis vero ſupra trecenta priſtina, alia trecenta; ſub *Romano* tamen Imperatore, Sclavos Milengos & Eze-

& Ezeritas ad eundem Imperatorem miſiſſe, ut tributa tantum ſolverent, quemadmodum primitus ſolebant: Imperatorem autem ob Sclavorum adventum veritum, ne Sclavis conjuncti omnino ipſum Themate Peloponneſi exuerent, auream illis bullam dediſſe, ut tributa ab iis pendi ſolita in priſtinum ſtatum redigerentur. Hactenus de Sclavis Peloponneſi.

XXIV. Cardamus Bulgarorum Rex ab anno 778. in Romanam ditionem invadere ſolitus, ſub Conſtantino & Irene de Romanis triumphat anno 788. 790. & ſeq.

Bulgari in Romanos invadentes, Conſtantinum Imperatorem exſtimularunt, ut bellum ipſis moveret. Theophanes ad annum Conſtantini & Irenes IX. Chriſti 788. *Philetus Thraciæ Dux Strimonem verſus profectus, nullis circa ſe diſpoſitis excubiarum cuſtodibus, Bulgaris ex improviſo ingruentibus, cum pluribus aliis interfectus eſt.* Et ad ann. Conſtantini ſolius (a) primum, Chr. 790. *Menſe Aprili Imperator expeditione in Bulgaros ſuſcepta, ad caſtrum quod Probati dicitur, juxta Sancti Georgii rivum venit: ubi quum in Cardamum Bulgariæ Dominum incidiſſet, levi pugna veſpere commiſſa, Romani timore perculſi, per noctem in fugam ſe dederunt: atque ita cum dedecore reverſi ſunt. Bulgari etiam exterriti, in provinciam ſe receperunt.* Et ad annum ſequentem. *Porro Julio menſe exercitum in Bulgaros expedivit, & caſtrum Marcellorum condidit. Ejuſdem vero menſis Julii die vigeſimo, Cardamus Bulgariæ Dominus copiis ditionis ſuæ omnibus eductis, poſtmodum in locis munitis ſubſtitit. Imperator juvenili ardore ſuccenſus, & a falſis vatibus victoriam ei prænunciantibus ſeductus, inconſulte & agminibus incompoſitis pugnam conferens, gravi clade afficitur. Urbem itaque fugitivus repetit multis, non ex gregariis modo militibus, ſed & viris in dignitate conſtitutis amiſſis, inter quos fuerunt Michaël Magiſter Lachanodraco, Bardas Patricius, Stephanus Protoſpatharius, Chamæus, ac Nicetas, & Theognoſtus, qui Duces exſtiterunt, homineſque ex Imperatorio comitatu non pauci: Pancratius etiam falſus ille vates & Aſtro-*

a Cedren. pag. 472. *Imperator porro expeditione in Bulgaros facta, victor rediit.* Et ad ann. Conſtantini ſolius ſecundum: *In Bulgaros exercitum ducens, Cardamo eorum domino occurrit: amiſſoque militum magno numero, & multis Ducibus, ipſaque etiam coborte, & omnibus impedimentis, atque equis, ægre fuga in Urbem elapſus eſt.*

Aſtronomus, qui Imperatoris victoriam futuram prædixerat. Ad hæc Bulgari impedimentis, facultatibus, equis, & tentoriorum omni apparatu, cum univerſa Imperatoria ſupellectile potiti fuerunt. Ad annum Conſtantini ſolius (*a*) ſextum: *Cardamus Bulgariæ Dominus Imperatorem his verbis interpellavit: aut tributa mihi perſolve, aut ad Chryſen uſque portam arma, & per Thraciam univerſam vaſtitatem inferam. At Imperator involuta ſudario equina ſtercora ad eum remiſit, cum ejuſmodi reſponſis: Tributa quæ te deceant miſi: ſenior autem quum ſis, huc uſque venientem te fatigari nolo, ego ad Marcellorum caſtrum obvius prodibo: Tu fac illuc etiam te conferas. De ſucceſſu Deus judicabit. Advocatis autem trans fretum poſitis copiis, exercitum univerſum Imperator collegit, & Berſiniciam uſque profectus eſt. Cardamus ex adverſo ad Abrolebum ſylvam venit, & metu retentus, luco ſe abdidit. Imperator animis exercitui additis, ad lucum Abrolebam proceſſit, diebus continuis ſeptemdecim hoſtem ad pugnam laceſſens: quam ille viribus diffidens inire recuſavit, & in provinciam ſe recepit*. Cangius humanum quid paſſus, in Familiis Sclavonicis cap. 6. pag. 308. de Cardamo Bulgarorum Rege loquens, hoc quod modo ex Theophane retuli a Conſtantino in Cardamum motum bellum, ad ann. Chr. 781. perperam refert, & illud Leoni tribuit his verbis: *Verum anno 781. cladem hanc ultus eſt Leo, fugato Cardamo, a quo per legatos provocatus fuerat, ſi tributo ſubdi renueret*.

XXV.

Acamerus alias Dargamerus Sclavinorum Berzetiæ Princeps. Crumus, alias Crumnus & Crunnus, Bulgarorum Rex poſt Cardamum, cum Nicephoro Imp. bellū committens anno 806. 808. 809. & 811., inſignem victoriam reportat, cæſo ipſo Imperatore unacum innumerabili optimatum, & militum multitudine, cujus cædis memoria in Menæis Græcorum recolitur.

Conſtantino filio excæcato, Irene matre imperium arripiente, anno ejus imperantis ſolius 2. (ut Theophanes ſcribit) *menſe Martio Indictionis ſeptimæ* (adeoque anno Chr. 799.) " Acamerus Sclavinorum Belzetiæ Princeps Ἀκάμηρος ὁ τῶν Σκλαβίνων τῆς Βελζητίας ἄρχων, a Græcis qui" buſdam excitus, filios Conſtantini in libertatem aſſerere, " ex

a Cedren. pag. 473. *Anno 6. Cardames Bulgaror. Princeps Conſtantino ita ſcripſit: aut perſolve mihi quod pactum eſt: aut uſque ad portam Auream veniam. Reſcripſit Imperator: Quod decuit, ex pacto tibi miſi. Senex es: ideo te fatigari nolo huc uſque proficiſcendo; ſed ipſe ad te veniam: Deus decernet. Contractoque exercitu, in eum duxit, profligatumque in ſuam uſque ditionem eſt perſequutus*.

b *Belzetia* Eadem alibi *Berylia*, *Berzitia*, & *Berzelia*, regio Sarmatis vicina: unde Chazarorum natio erupit. Vide Tom. 1. pag. 430.

„ ex eis non neminem Imperatorem creare ſtatuit : quod „ ubi Imperatrix Irene accepit, ad Conſtantinum , cognomento Serantapechum , Patricium ejus filium ; qui tum „ Spatharius erat & Imperatricis ipſius nepos , Teophylactum miſit, qui omnes oculis orbavit : atque ita paratam „ in ſe conjurationem diſſipavit. „ At Irene in ordinem redacta , quum Nicephorus ὁ γενικὸς λογοθέτης , anno 802. Imperium uſurpaſſet , anno imperii ejus v. Chriſti 806. " bellum in Bulgaros (*verba ſunt Theophanis*) convertit : & „ Adrianopolim profectus , quum ab Imperatoriis aulicis „ & militum ordinibus conſpirationem in ſe motam intellexiſſet, re prorſus infecta, & a propoſito ſibi fine longe „ ſepoſitus , niſi forte a ſeveritate in contribules exercita, „ quos verberibus , exiliis , & bonorum proſcriptionibus „ ultus eſt , Conſtantinopolim remeavit . „ Bulgaris tum imperabat *Crumus* vel Crummus , uti a Conſtantino Porphyrogenito in chronographia lib. 1. cap. 2. , ſeu *Crunnus* a Sigeberto loco ſupracit. & *Crumas* in Francorum annalibus appellatur : de quo ad ann. Nicephori 7. Chr. 808. hæc ſcribit Theophanes . " Hoc eodem (a) anno erogato „ in milites ſtipendio ad Stromonem , Bulgari irruentes illud interceperunt , auri libras centum ſupra mille: „ Varia exercitus plebe trucidata cum ipſo duce & pluribus optimatibus : aderant quippe ex aliis quoque Thematibus taxati Proceres haud pauci , quorum communis „ fuit jactura : occupatiſque univerſi exercitus ſarcinis , „ Bulgari rediere . Hoc etiam anno ante Paſchatis ſolemnia Crummus Bulgarorum princeps expeditione ſuſcepta , & inſtructo in Sardicam exercitu , qua dolis, qua „ pa-

a Cedrenus pag. 478. ad ann. 7. Nicephori . *Eodem anno quum ad Strymonem Stipendia multitudini ſolverentur , Bulgari ſubito irruentes , ea interceperunt , auri libras 1100. ducemque cum exercitu occiderunt , & rapto valde diſceſſerunt . Eo ipſo tempore Crumus Bulgaror. Princeps Sardicam cepit , & 6. millia militum necavit . Nicephorus autem expeditione contra eum facta , magnum & memorabile nihil egit ; elapſos quidem fuga Duces , veniam poſcentes , ea non dignans , transfugere ad hoſtes coegit : fuit inter eos Euthymius Spatharius mechanicus . Orta contra ſe ſeditione , pleroſque donis delinitos , poſtmodo publicationibus bonorum , exiliis ultus eſt . Idem ut exercitus deprimeret , quod non mali excogitavit in Chriſtianos ? Primo enim Chriſtianos ex omnibus regionibus in Slaviniam coegit demigrare , & eorum habitationes divendidit .* Cetera.

,, pactis, urbem cepit: & ex Romanis agilitidibus, supromiſoua privatorum hominum plebe haud numerata, militum millia ſex interfecit. Nicephorus autem feria 3. ſalutaris Dominicæ paſſionis hebdomadis adverſus eum egreſſus, nihil laude dignum edidit: quinimo ducibus fuga ſibi ſalutem conſulentibus, veniamque pro animi parvitate admiſſa petentibus, eam denegavit, & in hoſtium partes tranſire compulit, inter quos Euthymius Spatharius inſtruendarum belli machinarum expertiſſimus extitit. Nicephorus autem proprio dedecori daturus acceſſionem, perjuriis ſacris ad Imperatricem Urbem datis, Sanctum Paſchatis feſtum in Crummi aula ſe peregiſſe mentitus, etiam Sardicam ab hoſtibus relictam reſtaurare volentem obſiſtentis exercitus vim merito timuiſſe, quod nimirum ab urbe reparanda ductorum ſuorum & procerum opera, copiæ omnes Imperatorem violenter deterruerint, ipſe per literas perſuadere conatus eſt.,, De eodem Crummo idem Theophanes ad annum Nicephori 8. Chr. 809. ." Nicephorus datis in publicum ,, veteratoriæ & à Deo penitus alienæ ſuæ mentis, per ,, calliditates & aſtutias, tot indiciis, militares copias ,, affligere & deprimere meditatus, milites Chriſtianos ex ,, unoquoque Themate patriam deſerere, & facultatibus ,, divenditis, in Sclaviniam migrare edicto promulgato ,, ſanxit,,. Anno IX. Chriſti 811." Tantis (*a*) etiam ſi- ,, gnis haud eruditus novus ille Achab, *Nicephorus*, Phalarim, & Midam divitiarum cupidine ſuperans, adverſus ,, Bulgaros una cum Stauracio filio exercitum parat: & ,, menſis Maji die . . imperante urbe profectus, Nicetæ ,, Patricio & generali Logothetæ mandavit, publicos Ecclesiarum & Monaſteriorum cenſus augeret, & in octo ,, ſequentes annos penſionem a procerum domibus exigeret: quod gravi, communique luctui cauſam dedit. ,, A quodam autem fideli ſuo famulo, Theodoſio, inquam,.

---

a Cedren. pag. 481. ad ann. 9 *His novus ille Achaabus nihil emendatus; Phalarim & Midam inexpleta ſuperans avaritia, cum Stauracio filio in Bulgares ſe armat. Quumque urbe egrederetur, Nicetam Patricium ac generalem Logothetam juſſit publicos cenſus Eccleſiarum & Monaſteriorum afferre.* Cetera.

„ quam, Sallibaræ filio viro Patricio reprehenſus eſt ac
„ monitus verbis iſtiuſmodi : omnes adverſum nos vocife-
„ rantur, inquit, Domine, & ſiquid adverſi nobis acci-
„ derit, omnes caſu noſtro lætabuntur. Nicephorus re-
„ ſpondit : Deus qui corda hominum indurat, meum pari-
„ ter induravit. Quid boni in ſubditos meos a Nice-
„ phoro profluere poteſt, Theodoſi? Ne præter ea,
„ quæ experiris, aliud quippiam expectes. Iſta viva
„ voce referentem Theodoſium audivi (*inquit Theo-*
„ *phanes*). Igitur copiis non ſolum ex Thracia, ſed
„ ex ulterioribus etiam provinciis in unum collectis, mul-
„ tiſque pauperibus eo adactis, ut propriis ſtipendiis mili-
„ tarent, fundis & baculis armati, ex quo diris omnibus
„ eum & una exercitum ejus univerſum devovebant, ad-
„ verſus Bulgaros contendit. At quum populares illæ tur-
„ bæ Marcellos advenifſent, extimuit Crummus, & de
„ pace tractare molitus eſt: ſed Nicephorus tam proprii
„ conſilii pravitate, quam ejuſdem ſecum ſenſus conſilia-
„ riorum ſuggeſtionibus impeditus, tractatum recuſavit:
„ tandemque poſt varios per invia loca circuitus, poſt ex-
„ poſitum periculo exercitum, Thraſotimidus menſis Ju-
„ lii die vigeſimo Bulgariam ingreditur ſub Canis perni-
„ cioſiſſimum exortum. Iſtud autem frequenter inſonabat:
„ Quis ibit, & decipiet Achab? ſive Deus etenim, ſive op-
„ poſitus hoſtis, cuncta trahit & regit. Prius autem, quam
„ in Bulgariam penetraret, Byzantius famulus ejus inti-
„ mus Imperatoria veſte, & auri libris centum ſecum ſub-
„ latis, a Marcellis ad Crummum profugit : quam do-
„ meſtici fugam plurimi in ſiniſtrum omen Nicephoro in-
„ terpretati ſunt. Poſt dies vero tres, & conflictus pri-
„ mos leviores, quum fortunam in vota conſpirantem ſe-
„ cum trahere videretur, haud proſperitatis auctori Deo
„ victoriæ ſucceſſum adſcripſit; ſed Stauracii ſolius feli-
„ citatem ac providentiam laudavit : & iis, qui ingreſſum
„ in Bulgariam diſſuadebant, pœnas comminatus eſt. Por-
„ ro animalia ratione carentia, & ipſos infantes neci cru-
„ deliter tradi mandavit : & relictis civium ſuorum cada-
„ veribus inſepultis, ſolam congerendorum ſpoliorum

„ curam ſuſcepit: Clauſtris & ſigillis Crummi concla-
„ via velut propria communiit: eorum qui prædam atti-
„ giſſent, Chriſtianorum aures & membra præſcidit: Crum-
„ mi aulam, ita dictam, incendit. Is animo fractus, de-
„ miſſis verbis Nicephoro ſignificat: Quoniam viciſti, tol-
„ le quod tibi placitum eſt, & diſcede cum pace. At ille
„ pacis inimicus, pacem non admiſit. Quo Crummus exaſ-
„ peratus, regionis aditus & exitus ligneis ſeptis in muri
„ modum communivit. Quod quum reſciſſet Nicephorus,
„ ſubito terrore quaſi fulmine ictus, provinciam circumi-
„ bat, & quod moliretur opus, hærebat. Cladem itaque
„ præſagiens, ſuis dixit: nullus periculum evadere, niſi
„ volucres fiamus, ſperare valet. Bini dies, nimirum fe-
„ ria quinta & ſexta, in hæc machinamenta inſumpti. No-
„ cte vero, quæ Sabbatum præceſſit, graves tumultus &
„ armatorum hominum motus circa Nicephorum & ejus
„ milites auditi, eunctorum animos in terrorem & anxie-
„ tatem conjecerunt. Mox ſub crepuſculum impetu facto
„ in Nicephori & Optimatum eius tentoria, ipſos miſera-
„ biliter obtruncarunt: inter quos Aëtius Patricius, Pe-
„ trus Patricius, Siſinius Triphyllius Patricius, Theodoſius
„ Patricius, Salbaras dictus, qui multis ærumnis & malis
„ illatis Beatam Irenem afflixit; præfectus quoque etiam
„ ipſe Patricius: Romanus Patricius & Orientalium Dux,
„ & alii plurimi Protoſpatharii, Spatharii, agminum du-
„ ctores, excubitorum Domeſticus: Imperatoriæ vigiliæ
„ Drungarius; Thraciæ Dux, & multi præterea Thema-
„ tum proceres & officiales, cum innumera militum plebe;
„ adeo ut Chriſtianorum decor omnis & ſplendor eo die
„ proſtratus fuerit & omnino extinctus; Armaque pariter
„ univerſa & Imperatoris ſupellex omnis perierit. Incom-
„ poſitum ſane iſtius diei relatum, ceu qui luctum & que-
„ relas omnes exſuperet, abſit ut Chriſtiani iterum alibi
„ oculis proſpiciant. Contigerunt iſta (*a*) Julii die 25.
„ Ind. IV. Crummus autem amputatum Nicephori caput, ad-
„ ventantibus ad ſe variis nationibus oſtentandum per dies
„ mul-

a, Ideſt, anno Chr. 811.

„ multos in Romanorum dedecus & vituperium in ligno „ ſuſpendit. Poſtmodum vero illud ſuſpendio revulſum, „ carnibus nudatum, & argento tectum, compotaturis „ Sclavinorum Principibus in poculum gloriabundus effor- „ mavit. Innumeris viduis & orphanis uno die factis, lu- „ ctuique intolerabili totum Imperium obtinenti, ſola ejus „ mors medelæ pariter & ſolatio fuit. Cædis ejus modum „ nullus qui e prælio evaſit incolumis, enarrare potuit. „ Quidam etenim cadentem a Chriſtianis petrarum cumu- „ lo obrutum referunt. Effeminati autem ejus miniſtri evi- „ rati, cum quibus ipſe concumbebat, partim valli incen- „ dio conſumpti, partim enſe jugulati, unacum eo inter- „ ierunt. „ Hactenus Theophanes. Menæa ad diem xxiv. Julii celebrant memoriam eorum, qui occiſi ſunt a Bulgaris, Nicephoro imperante.

XXVI. Crumi Bulgarorum Regis victoria de Michaele Rhangabe Imperatore reportata anno 812. & ſeqq. Michaeli Imperium abdicanti, ſuccedit Leo Armenius anno 813.

Michaël Curopalata, cognomento Rhangabe, poſt Nicephori cædem, Imperium obtinuit menſis Octobris die 2. Indictione v. (anno Chr. 811.) Menſis ſubinde ejuſdem die 12. Procopia Auguſtæ nomen cum corona accepit in Auguſtei Triclinio, donaque quamplurima in Senatum contulit: occiſorum inſuper bello Bulgarico e Thematibus militum uxoribus, talenta auri quinque largita eſt. Ceteras hujus Auguſtæ præclaras animi dotes enarrat Theophanes ad annum Michaëlis primum mox: ſubjungit: *Ceterum menſis Junii die 17.* (anno Chr. 812.) *Michael in Bulgaros profectione ſuſcepta, itineris ſociam, Tzulum uſque* (alias Tzur caſtrum) *Procopiam uxorem habuit. Porro quum* (a) *Crummus Bulgarorum Dux Debeltum obſidione cepiſſet, oppidanos una cum Epiſcopo ejus ſe poteſtati ſubmittentes in regionem aliam tranſportavit. Militares autem Michaelis copiæ, maxime Opſicii & Thracenſium peſſimis nefariorum hortamentis ad inſidias & contumelias ſe converterunt: quos Michael donis & oratione ad eos habita delinitos in ordinem compoſuit. Ubi Romani exercitus ſeditionem, & ob belli ſive in caſtris & aperto marte, ſive*

 in

a Cedren. pag. 483. ad ann. 1. Michaëlis Curopalatæ, cognomento Rhangabe. *At Crummus Bulgarorum Princeps ſucceſſibus elatus quum videret, ſuis quoque animos recenti victoria auctos, incendiis & populationibus Occidentem vaſtabat.* Cetera.

in præſidiis ſuſtinendi metum eos tumultuari Bulgari perceperunt ; in Thraciam utque Macedoniam latius graſſati ſunt. Sub id tempus Anchialo & Berrhoeu defertis, nemine inſequente fugam Chriſtiani arripuere; Nicæamque & Probati caſtrum, & alia quædam minutiora loca, quemadmodum Philippopolim, Philippos, & Strymonem incolentes occaſionem nacti, in patrias ſuas fuga ſe receperunt. Paulicianos intelligit Theophanes, Athinganos, & Tetraditas, quos Conſtantinus Copronymus & Nicephorus Logotheta ibi collocatos in ſummo pretio habuerant. Eodem anno 812. *Crummus Bulgarorum Princeps (a) Dargamerum legatum cum Imp. Michaele tractaturum miſit, conditioneſque (b) Comerſii tunc temporis Bulgariæ Domino conceſſas, ac ſub Theodoſio Adramytino, & Germano Patriarcha ictas, adimpleri poſtulavit. Eæ porro ditionibus utriuſque Principis limites præfigebant a Thraciæ Meleonis: veſtes rubraſque pelles ad auri librarum triginta pretium dandas: inſuper ex utraque parte fugitivos utrique Principi mutuo reſtituendos, licet in Remp. perduelles forent: mercaturam inter utramque ditionem exercentes res ſuas venales literis & ſigillis commendatas & firmatas in publicas rationes inferre deberent. Scriptis præterea minis Imperatorem conteſtatus; niſi pacem, inquit, quantocyus duxeris amplexandam, tuo ipſius judicio in Meſembriam obſidionem parabo. His acceptis Imperator, improborum conſiliis ductus, pacem admittere detrectavit. Falſæ quippe pie-*

---

a Græc. text. Κρῦμος ὁ τῶν Βυλγάρων ϛρατηγὸς διὰ Δαργαμηρῦ τὰ περὶ τῆς εἰρήνης αὖθις πρὸς Μιχαὴλ Βασιλέα ἐπρεσβεύσατο. Hic vocatus *Dargamerus*, Crumi Bulgarorum Principis Legatus, qui ſupra apud eundem Theophanem ad annum Irenes ſolius imperantis ſecundum dicitur pag. 400. Ἀκαμῆρος ὁ τῶν σκλαβηνῶν τῆς Βελζητίας ἄρχων, *Acamerus Sclavinorum Belzetiæ Princeps.*

b Zonaras pag. 1.6. *Crumus Bulgarorum Princeps legatos ad Imp. miſit, pacem iis conditionibus petens, quæ ſub Theodoſio Adramyteno & Patriarcha Germano conceſſa eſſent.* Et poſt pauca. *Imperator autem quum Patriarcha & primorum Sacerdotum quibuſdam deliberationem de pace Bulgarica, & transfugis quibuſdam Crumo tradendis propoſuiſſet, (nam id etiam inter cætera Barbarus poſtularat) Patriarcha & Sacerdotes præſtare cenſuerunt, transfugis traditis, paucos male tractari, quam turbas innumerabiles. Sed Senatores aulici & Theodorus Studites, pace repudiata, ſupplices tradendos eſſe negaverunt. Quæ res paci Bulgaricæ impedimento fuit.* Cetera.

pietatis obtentu, dicam melius ignorantiæ, quæ rem communem perderet, ductu, conſultores iſti ſiniſtri ſuggerebant, fugitivos minime reſtituendos: ac in datæ ſententiæ argumentum Evangelica Domini auctoritate prolata: ad me accedentem, ajebant, non ejiciam foras. Hæc Theophanes. At Conſtantinus Porphyrogenitus, qui Theophanis Chronographiam continuavit, ejuſdem ſententiæ eſt cum conſiliariis, quos Theophanes reprehendit, & cum Sancto Theodoro Studita, lib. 1. num. 5. hæc ſcribens: *Quum jam Bulgarorum Dux Crumnus concordiam, & pacis fœdera amicitiaſque ambire ſe ſimularet, ac animum pacis cupidum præferret, dummodo annua quæ pendi ſolita erant, Romani tributa præſtarent; ea demum adjecta conditione, ut & Bulgarorum viciſſimque Romanorum in poſterum transfugæ, ſuæ quique genti redderentur: Transfugarum caput illud abſurdum Senatui viſum eſt, quamquam Michael Imperator totus in Principis Bulgarorum ſententiam ibat, quod ineundæ pacis occaſionem illum ſibi nolebat aufugere. Obtinuit tamen Senatus ſententia, quam Theoctiſtus Magiſter ſequeretur, ac cui vim ac pondus auctoritate ſua adjiceret. Iterum ergo relictis colloquiis, ad belli aleam revocatum negotium: idque magis decere merito judicatum eſt: quomodo enim non omnem humanitatis ſenſum exuiſſe arbitrandus eſt, qui hominem caſu aliquo, aut viciſſitudine in errorem prolapſum, patriaque, qua nihil dulcius eſſe ajunt, contempta, ad hæc uxore & liberis, ceu ad aras inviolabiles, ad Romanæ ditionis loca confugientem, Scythicæ gentis immanitati, cujus a feris nihil indoles differat, dedendos putaverit?* Hæc Conſtantinus. Eandem quoque cum Theoctiſto ac Theodoro Studita ſententiam adverſus Theophanem tuentur Jo. Scylitzes Curopalates pag. 4. & Cedrenus pag. 486. his verbis: *Ceterum bellum inter Romanos & Bulgaros, quos cladem paſſos* (imperante Rhangabè) *diximus, cum aliis de cauſis conflatum fuerat; tum eam vel præcipuam habuit, quam referemus. Bulgarica quædam gens paternis ſedibus relictis, in ditionem Romanam immigraverat, ac concedente imperatore Michaële, hinc inde ſedes poſuerat. Sed & Romanorum quidam ſuperioribus*

bel-

bellis a Bulgaris capti, ruptis vinculis domum redierant. Eos univerſos Crumus Bulgarorum princeps dedi ſibi poſtulaverat. Et ſane quidam Romanorum dedendos judicaverant, in eamque ſententiam & Imperator, & magni aliquot nominis Monachi conceſſerant: perfugarum enim deditione ſe barbaricis prædationibus liberatum iri ſperabant. Alii autem eam ſententiam improbaverunt, quorum princeps Nicephorus Patriarcha, & Theoctiſtus Magiſter, ſua ætate virtute & prudentia præſtantiſſimus, aliique non pauci. Nam hi Deo committendam ſuam ſalutem judicabant, neque transfugarum deditione barbarorum placandam ſuperbiam, omnipotenti auxilio Dei poſthabito. Proinde Crumo repulſam paſſo, bellum id exarſit, quo ingens Romanorum accidit clades; aliud nimirum Deo jam tum aliquid præmoliente. Verum tam Curopalates quam Cedrenus falluntur, dum contra pacis conditionem a Crumo expetitam ſtetiſſe Nicephorum Patriarcham ſcribunt: is enim unacum Nicæno, & Cyziceno Epiſcopis atque Imperatore pro pace ſententiam tulit, Theophane ac Zonara teſtibus.

Pergit Theophanes. *Medio vero menſis Octobris decurſu aciem inſtruxit Crummus adverſus Meſembriam, machinis ad urbis expugnationem adductis, quarum uſum a Nicephoro Chriſtianorum profligatore ex occaſione hujuſmodi acceperat. Arabem enim quemdam arte mechanica præſtantem & in ea verſatiſſimum, ad Eccleſiæ baptiſmum accedentem, militiæ adſcripſerat, & Adrianopoli ſedem aſſignaverat. At quum pro merito nec expectatam mercedem, nec beneficium viro impertiretur, quinimo ſtipendiorum parte truncata ſpe defraudaret, & ad querelas compulſum etiam duris verberibus caſtigaſſet; ille deſperatione actus, ad Bulgaros profugit, & condendarum machinarum artem omnem eos edocuit. Machinis igitur iſtiuſmodi Crummus inſtructus, nemine ex inertia væcordiaque vires adverſus opponente, intra menſis finem urbe potitus eſt. Imperator in mentis anguſtiam conjectus, menſis Novembris Kalendis, Patriarcha ad colloquium advocato, de componenda cum hoſtibus pace conſilium quærebat. Aderant Conventui Ni-*

cænus

cænus & Cyzicenus Metropolitæ , & ex pravis conſiliariis manus haud contemnenda .. Ac Patriarcha quidem (is erat S. Nicephorus) *& Metropolitæ Imperatoris ſenſum ſequuti pacem amplectebantur : ſed improbi conſiliarii unacum Theodoro Studii Præpoſito , everſis contrariæ ſententiæ dictis , eam rejiciebant confirmantes , pacem quæ Dei mandata reſcindat , non eſſe admittendam : iſtud enim, venientem ad me non emittam foras , Dominus decrevit, ajebant; quæ proferrent , & in cujus argumentum hæc producenda , vere neſcii* . Et poſt pauca , quibus Theophanes contrariam ſententiam & rationibus & auctoritate S. Germani Patriarchæ confirmat: " Iſta, ut præmiſimus, Novembris die primo
,, geſta ſunt. Menſis autem Auguſti die quarto(*Ann. Chr.*
,, 813.) cometes viſus eſt lunarum duarum ad invicem jun-
,, ctarum formam referens , quæ rurſus abinvicem ſejunctæ
,, & in varias formas figuratæ , in hominis capite truncati
,, ſpeciem deſierunt . Inſequenti infelix nuncius de Me-
,, ſembriæ clade ad nos delatus eſt , qui omnes ob gravio-
,, rum malorum expectationem perterruit . Eam enim bo-
,, norum omnium ad commodam habitationem neceſſario-
,, rum copia refertam comperientes, una cum Debelto ce-
,, pere: quibus in locis Siphones æreі 36. atque ignis liqui-
,, di per eos emittendi, nec non auri argentique vis immen-
,, ſa reperta eſt. ,, Et poſt pauca de Chriſtianis ex Palæſtina & univerſa Syria in Cyprum ſeſe recipientibus ob intolerandum Arabum jugum . " Porro menſe Febr. Chriſtiani duo
,, ex Bulgaria fuga lapſi , Crumum ex improviſo Thraciam
,, devaſtare conſiliatum , Imperatori nunciaverunt . Menſis
,, autem ejuſdem die 15. Imperatore profectionem ſuſcipi-
,, ente, Crumus, Deo ita provide diſponente, multis exer-
,, citus ſui deſideratis, infecta re pedem in propriam ditio-
,, nem retulit; Imperator vero Adrianopolim ſe conferens,
,, rebus in ea ſecundum ordinem compoſitis , cum gaudio
,, CP. reverſus eſt . In Sancti ſubinde Patriarchæ Taraſii
,, Monaſterium una cum Procopia Auguſta profectus , ſa-
,, crum ejus ſepulcrum laminis argenteis pondo 95. libra-
,, rum circumtexit . Cæterum Meſembria Romanis erepta,
,, Imperator pacis conditiones a Crummo oblatas repu-
,, dians,

Digitized by Google

„ dians, exercitum ex Thematibus cunctis collectum, in
„ Thraciam juſſit trajicere: quod cuncti moleſte ferre,
„ maxime Cappadoces, atque Armeniaci. Imperatorem
„ itaque militares copias urbe educentem, Procopia Au-
„ guſta uſque ad Aquæductus juxta Heracliam proſequuta
„ eſt: quod milites ægerrime paſſi, Imperatorem conviciis
„ & contumeliis palam inceſſebant. Maji porro menſis die 4.
„ ſolis defectio contigit, ipſo ſecundum horoſcopum ad
„ gradum Tauri duodecimum exoriente: ex quo terror
„ ingens militum animis incubuit. Imperator autem duci-
„ bus & militaribus ordinibus eductis, Thraciam obambu-
„ lare, ſed neque Meſembriam aggredi, neque profligan-
„ dis hoſtibus neceſſarium quippiam moliri auſus eſt; in-
„ ſanis nimirum conſiliariorum ſuorum ſermonibus fidem
„ adhibens, qui quum artis bellicæ rudes plane eſſent,
„ hoſtem in eum minime proceſſurum affirmabant; ſed
„ potius in propria regione ſemper conſeſſurum. Porro
„ Provincialium rebus neceſſariis deſtitutorum, rapiniſque
„ & invaſionibus oppidanos vexantium barbarica excur-
„ ſione gravior multo damnoſiorque extitit adventus. Sub
„ menſis autem Junii principium Crummus Bulgarorum
„ Princeps, aciebus ad pugnam paratis, Chriſtianorum
„ exercitum numeroſiſſimum eſſe ſuſpicatus, in Romanos
„ movit: & ad Berſiniciam triceſimo circiter lapide ab Im-
„ peratoris caſtris ſua poſuit. Tum vero Leo Orientalium
„ Dux & Patricius, & Joannes cognomento Aplaces, Ma-
„ cedoniæ Dux ac pariter Patricius, ad pugnam commit-
„ tendam expediti, & animis incitati, a perverſis Impera-
„ toris conſiliariis præpediti ſunt. Urbe autem univerſa una-
„ cum ſuo Pontifice preces ac proceſſiones ad Sanctorum
„ Apoſtolorum peragente, quidam ex impiis ſectatoribus
„ hæreſeos, quam Deo exoſus Conſtantinus tenuit, Impe-
„ ratoriorum Sepulcrorum, nemine propter turbæ frequen-
„ tiam advertente, portam, vecte in eam impulſo, de
„ repente cum fragore, tamquam divino quopiam edito
„ miraculo fecerunt apertam: mox intro ſe ferentes, ad
„ ſeductoris tumulum proſtrati, ipſum, non Deum, in-
„ vocavere, dicentes: Exurge, & Reip. jamjam pereunti
„ ſuc-

Digitized by Google

,, ſuccurre. Confeſtimque eum, qui tartarum cum dæmo-
,, nibus incolit, equo inſidentem ad prælium in barbaros
,, proceſſiſſe denunciaverunt. Iſti ab urbis Præfecto com-
,, prehenſi, primo quidem Sepulcrorum portas, ſeipſis,
,, ac divina manu reſeratas, mendaciter aſſerentes, ubi
,, ad Præfecti tribunal aſtiterunt, teſtimoniis labantes to-
,, tam vectium impulſorum fabulam, nondum cruciatibus
,, ac quæſtionibus applicati, enarravere. Eos urbis præfe-
,, ctus vectibus ex hac cauſa alligatos, ad ignominiæ pom-
,, pam, pœnæ cauſam ac delictum ore aperto conclamantes,
,, tes, publice traducendos edixit. *Et mox*. Menſis porro
,, Junii [a] die 22. Chriſtianis ſimul & Bulgaris ad pugnam
,, in invicem committendam ad Adrianopolim ex æquo in-
,, ſtructis, Chriſtiani in prælio peſſime ſe geſſerunt: id au-
,, tem victoriæ ceſſit hoſtibus; ut plures ex ipſis nondum
,, primi conflictus initi ſpectatores effecti, velociſſima ta-
,, men fuga pugnæ ſe ſubduxerint: adeo ut Crummus ipſe
,, ſpectaculi novitate deterritus, inſidiarum in ſuos ſtru-
,, ctarum, quod oculis probabat, apparatum exiſtimaret,
,, ac ne fugientes inſequerentur, ſuos aliquando detinue-
,, rit: ubi vero præcipitis ejuſmodi fugæ veritatem ani-
,, madvertit, hoſtes a tergo inſectatus, caſtris eorum, &
,, opimis ſpoliis direptis, ſtragem maximam edidit. Im-
,, perator pariter fuga elapſus, verſus Urbem pedem refe-
,, rebat, & militares ordines & eorum ductores maledi-
,, ctis inceſſens, Imperii poteſtate ſeſe abdicaturum dato
,, jurejurando pollicitus eſt: ac Leoni Patricio & Orien-
,, talium Duci, ceu viro pietate conſpicuo & militari
,, virtute præſtanti, ac jam Reip. adminiſtrandæ idoneo,
,, aperuit conſilium: ſed eo dignitatem ultro delatam ad-
,, mittere recuſante, Thematum regendorum poteſtate
,, ipſi relicta, Junii die 24. imperantem Urbem repetiit:
,, ac Imperium quidem deponere, aliumque Principem
,, in thronum ſubrogare meditatus, ab uxore & proceribus
,, ſummam poſt eum in adminiſtranda Rep. poteſtatem ad-

a Ita in Græc. textu. At Latinus Interpres perperam, pro Junio menſem *Julium* ponit.

„ eptis, conſilium exequi non eſt permiſſus. Sane Nicephorus Sanctiſſimus Patriarcha propoſitis aſſentiebatur: „ quum nimirum, ſi eo pacto novus Imperator deſignaretur, ipſe Michaël & liberi ejus incolumes facile forent „ ſalvandi. Interea Duces militareſque copiæ omnes, de „ Imperatoris fuga certiores factæ, ab ejuſcemodi homine „ imperari non amplius ferendum ratæ, conſilio inter ſe „ inito, Leonem Orientalium Ducem, bono publico conſuleret, & Chriſtianam Remp. erigeret, rogaverunt. „ Ille ruinam Imperio imminentem, & Barbarorum qui „ vix reprimi poſſent, violentas excurſiones mente perpendens, fideique erga Imperatores ſervandæ, ſuique „ ipſius a fraudis labe immunem cuſtodiendi ſtudioſus, „ aliquo tempore ſubſtitit, & pro viribus dignitati admittendæ moras oppoſuit. At quum hoſtem magnis itineribus ad Urbem contendere animadvertit, a Patriarcha „ Nicephoro, quem de recta ſua in Deum fide certiorem „ fecit, ut ex ipſius nutu & ejus prece comite projectum „ colligat Imperium, per literas expetiit. Tum vero ducibus & univerſis agminibus ſtipatus, in Tribunalium ante Urbem poſitum conſcendens, legitimus Romanorum „ Imperator ſalutatur: medioque jam die Conſtantinopolim porta, quæ Chryſe dicitur, ingreſſus, in Regiam „ ſe confert. Michaël Leonis deſignatione audita, cum „ Procopia & liberis in Oratorium quod ad Forum eſt, „ confugiens, capillis detonſis, una cum ſuis Monaſticum „ habitum induit. Poſtera luce, quæ (*a*) Julii menſis fuit „ undecima, Indict. VI. feria hebdomadis ſecunda, in „ magnæ Eccleſiæ ambone a Nicephoro Patriarcha coronatus, Urbis muros de die & nocte diligentius cuſtodiri „ præcepit: ipſe vero cunctos excitans, & ad meliorem „ ſpem concipiendam animans, Deum, immaculatæ Dei „ genitricis ſanctorumque omnium interventu, brevi poſt- „ hac

a Theophanis continuator Anonymus pag. 411. edit. Pariſ. *Coronatus eſt menſe Junii die* 10. *Indict.* VII. Leo itaque Palatium ingreſſus eſt: & aſſumptis Imperii inſignibus, celebri proceſſu facto Eccleſiam adiit, & conſcenſo *ambone, a Nicephoro tunc temporis Patriarcha coronatus eſt menſis Junii die* 10. *Indict.* 7. hoc eſt, anno Chr. 814. Sed legendum, *menſis Julii die* XI. *Ind.* VI. uti habet Theophanes.

„ hac novum & inopinatum aliquod opus editurum , nec „ propter peccatorum noſtrorum multitudinem immenſam „ uſquequaque nos pudore ſuffundendos confiſus , muros „ per ſeipſum continuus explorator obibat . „ Hæc Theophanes de Michaëlis exitu , & Leonis Armeni initiis : etſi enim hic poſteá conceptam ab Orthodoxis de ipſo ſpem fefellit , in hæreſim Iconoclaſtarum prolapſus , & in ſanctos viros debacchatus ; non is tamen erat , antequam Imperium capeſſeret , niſi uti a Theophane , auctore vivo & præſente , deſcribitur : ac proinde poſteriora Leonis tempora reſpexiſſe mihi videntur ii auctores , qui eidem Leoni cauſam cladis a Bulgaris acceptæ adſcribunt, utpote qui, ut ajunt , fugam conſulto arripuerit , ut populorum odio hac ratione in Michaëlem concitato , viam ſibi ad Imperium aperiret . Cæterum Michaëlem in ea pugna a Leone proditum fuiſſe, aſſerunt Conſtantinus Porphyrogenitus, Joannes Scylitzes , Cedrenus , & Nicetas in vita S. Ignatii Patriarchæ CP.

XXVII. Crumus capta Adrianopoli , captivos Macedonum aliarumque regionum innumeros in Bulgariam & trans Danubium deportari jubet ann. 813.

Mala , quibus Conſtantinopolis , & vicinæ civitates afflictæ fuere , poſtquam Leo Bardæ Armeni filius Imperium ſuſcepit , narrat idem Theophanes in fine ſuæ Chronographiæ : " Porro Crummus , junior Sennacherim , victoriis in ſuperbiam elatus , proprio fratre ad obſidendam Adrianopolim cum ſuis copiis relicto , poſt dies ſex „ a demandato Leoni Imperio , cum maximo peditum , „ equitumque numero ad urbem propius accedens , oſtentata exercitus ſequentis ſe virtute, ad muros a Blachernis ad Chryſen uſque portam protenſos obambulabat ; „ profaniſque , & vere dæmoniacis ſacrificiis ad pratum „ Chryſæ portæ adjacens peractis,in ipſamChryſen portam „ haſtam infigere ab Imperatore expetiit : quo petita reſpuente , in proprium tentorium receſſit . Quum autem „ civitatis muros & inſtructiſſimum Imperatoris exercitum „ haud ſine admiratione vidiſſet , obſidionem ponere poſſe deſperans , ad pacis ineunda foedera convertitur . „ Num igitur pacem Romani expeterent , inito cum eis „ colloquio experiri tentavit . Imperator occaſione captata , lancea perfodere molitus eſt . Verum delictorum „ no-

„ noſtrorum multitudine prohibitus, & ad hujuſmodi tro-
„ phæum excitandum ſociorum ineptitudine deluſus, cœ-
„ ptum opus in felicem exitum deducere non valuit.
„ Crummo enim plura vulnera inflixerunt, nullum tamen
„ intulerunt lethale. Ex quo in rabiem verſus homo per-
„ ditiſſimus, expeditis militibus ad Sanctum Mamantem
„ miſſis, Palatium ibidem erectum igne ſuppoſito conſum-
„ pſit. Tum vero æreo Circi leone, & Hydræ dracone
„ cum ſelectioribus marmoribus in currus conjectis, retro
„ pedem tulit: & obſidione ad Adrianopolim poſita, eam
„ demum armorum vi ſubjugavit. „ His verbis Theophanes Chronographiam ſuam a primo Diocletiani Imperatoris anno inchoatam abſolvit: iiſdemque ipſis verbis Leo Grammaticus Chronographiam ſuam inchoavit p. 445. inquiens:
" Novus autem Sennacherim Crumus victoriis elatus, pro-
„ prio fratre Adrianopolim obſidione bellica vexante re-
„ licto, poſt dies ſex imperii a Leone aſſumpti ad Urbem
„ rediens, a Blachernis ad portam Chryſen dictam extra mu-
„ ros poteſtatem oſtentans circumvolitabat, & nefanda ſa-
„ crificia ad Chryſes portæ prata peragebat. Mox pacem
„ componi ab Imperatore petiit, aut ad Chryſen portam
„ haſtam figere. Imperatore renuente, Urbis muros, &
„ Imperatoris exercitus ordinem miratus, in tentorium
„ regreſſus, ad pacis conditionem verbis fallacibus defle-
„ ctit. Imperator occaſione accepta, inſidiis e medio tol-
„ lere molitus, miniſtrorum ignavia conſilium perficere
„ prohibitus eſt, illis quidem ictum infligentibus, verum
„ mortalem non inferentibus plagam. Ob id inſaniens il-
„ la pernicies, miſſis equitibus palatium ad S. Mamantem
„ erectum combuſſit, & æreo Circi Leone, una cum Ur-
„ ſo, & Hydra dracone, marmoribuſque perpulchris,
„ curribus impoſitis, Adrianopolim obſeſſurus regreſſus eſt.
„ Ea capta, Macedonum nobilium quamplurimos cum
„ immenſa populi multitudine trans Danubium deportatos
„ ad ejus regiones habitare juſſit. „ Hæc verbatim fere exſcribit Georgius Monachus num. 3. & ſeqq. addens in fine:
" Obſeſſaque Adrianopoli, ipſam quoque cepit: traje-
„ cto denique cum ingenti multitudine ac Macedonum in-
„ ge-

„ genua pube flumine, in Danubio conſedit: quum inte-
„ rim impietatis in Urbe opera Leo pronus exequeretur.„
Verum incertus Continuator Theophanis fuſius id factum
narrat pag. 431. " Venerunt itaque Bulgari, nullo ipſis
„ occurrente, vel aditum prohibente, uſque ad civita-
„ tis portam: Et Crummus ſacra pro more faciens ad Chry-
„ ſen portam homines, & animalia plurima mactavit: &
„ ad maris litus tinctis aqua pedibus lotus eſt totus; popu-
„ loque aqua reſperſo, fauſtis acclamationibus ab eo cumu-
„ latus: medioque pellicum agmine petranſito, ab eis
„ laudem & honorem excepit: ſpectantibus ex muris ci-
„ vibus cunctis, nulloque prohibere vel telum in eum
„ mittere auſo. His pro libito peractis, & quæ decre-
„ verat geſtis, Urbem obſidione cinxit, & undequaque
„ circumvallavit, dieſque plurimos moratus, & Urbis
„ loca vicina deprædatus, auri penſum annuum, veſti-
„ mentorumque numerum non contemnendum, & ele-
„ ctarum virginum gregem non modicum expetiit. Qua-
„ re conſilio cum proceribus habito, Crummo ſignificavit
„ Leo: cum paucis quibuſdam arma non ferentibus ad ma-
„ ris uſque litus procede: noſque pariter navicula ſine
„ armis mari prodibimus; habitoque colloquio, quæ expe-
„ tiiſti, cuncta præſtabimus. His ita ſignificatis, nonnullos
„ ad trium numerum armatos noctuque eductos, extra por-
„ tam Blachernarum in domunculis Gallæ occultaverunt,
„ iiſque ſignum dederunt: nobis cum Crumo colloquen-
„ tibus, ſignum aliquod edemus, quod conſpicati, fo-
„ ras erumpite, & eum interficite. Poſtero die Bulgaris
„ ad Sanctorum mercede non conductorum ædem ſtantibus
„ extra civitatis portam, ex condicto Crumus verſus ma-
„ re profectus eſt cum tribus aliis, Logotheta videlicet
„ ejus, & Conſtantino Patzici, qui ante plures annos
„ in Bulgariam fugerat, filio alium filium præſentem ex
„ Crumi ſorore habente. Quatuor iſti reliquo exercitu
„ diſcedentes, & inermes cum aliis tribus juxta condi-
„ ctum ad mare devenerunt, inſidias ſibi paratas igno-
„ rantes. Egreſſi ſunt pariter ex Urbe lintre vecti, qui
„ cum Crumo colloquium habituri erant: & accepta fide
„ e navi

„ e navi prodierunt. Crumus equo deſcendens, in ter-
„ ram deſedit, ejus equo ſella frænisque inſtructo Con-
„ ſtantini filii manu detento. Ipſis ad invicem differenti-
„ bus, non nemo ſignum ex Urbe dedit: fuit is Exabu-
„ les, qui manu caput aperuit. Animadvertit Crumus, &
„ animo percuſſus, exiliit, & in equum jam paratum a
„ ſociis evectus, equitare coepit: mox populus e moeni-
„ bus in clamorem erupit: Crux vicit. Ipſo fugam arri-
„ piente armati viri ex domunculis egreſſi, retro inſequu-
„ ti ſunt, & emiſſis telis vulnera inferre meditabantur.
„ Is omnino ſolus in exercitum ſe recepit; alii tres qui
„ in navicula remanſerant, detenti ſunt: Logotheta con-
„ feſtim occiſus eſt; Conſtantinus autem & ejus filius vi-
„ vi ſervati. His ita geſtis, iratus Crumus, incendi
„ ſubvertique locum omnem poſtero die juſſit: poſitoque
„ incendio, cunctas Eccleſias trans civitatis portum præ-
„ claras quaſvis, & ab Irene, Nicephoro, & Michaele
„ reparatas, nec non Monaſteria, palatia, domos, ſuburba-
„ na combuſſerunt. Ad Sanctum Mamantem pariter pro-
„ greſſi, Palatiis ibidem conſtitutis, geminiſque cubi-
„ culis ſubjecerunt ignem, columnas confregerunt, &
„ plumbum repertum rapuerunt, animantiumque ſtatuas
„ in circo poſitas tulerunt ſecum: captivos omnes dede-
„ runt neci, nec jumentis ipſis & animalibus pepercere.
„ Hinc portus, cui Steni nomen, litore tractuque ſu-
„ periore peragrato, navalia ſuccenderunt, ſublatiſque ſe-
„ cum ſpoliis pluribus diſceſſerunt: tum occupata dexte-
„ ra civitatis parte, ad Orientem ignem a porta Chryſe ad
„ Rhegium uſque miſerunt. Athyra deinde profecti, ca-
„ ſtrum ibi erectum demoliti ſunt: & præclarum illum pon-
„ tem quamvis firmiſſimum dejecerunt. Selybriam poſt-
„ modum profecti, ad ſolum uſque caſtrum ibidem conſtru-
„ ctum deturbarunt: necnon Eccleſias, domoſque ſuc-
„ cenderunt. „ Enumerat poſtea Continuator civitates &
caſtra a Crumo vel incenſa, vel ſolo æquata, vel dire-
pta: tandemque ſubdit. " Adrianopolim porro munitam
„ reperientes obſederunt: quam quum expugnare non poſ-
„ ſent, protractis obſidionis diebus, machinas inſtruxe-
„ runt,

„ runt, & caſtrum oppugnaverunt: cives malis coarctati „ ope deſtituti, & fame pereuntes, hoſtibus fecere de- „ ditionem. Bulgari captivis ad numerum immenſum ab- „ ductis, ablata quoque eorum ſupellectile, in Bulga- „ riam trans Iſtrum flumen deportaverunt. Hæc dum ge- „ runtur, Urbe non egreſſus eſt Leo, ſed Imperium ty- „ rannice tenebat Quum jam autem Feſta veniſſent (na- „ talitiorum Domini videlicet) filium adhuc puſillum, „ Symbatem nomine, Conſtantinumque vocari mentitus, „ Stemmate redimivit: reſiduique populi multitudine ex „ variis urbibus congregata collegit exercitum, ſtipen- „ dioque dato, Leonem & Conſtantinum fauſtis accla- „ mationibus proſequi juſſit; Imperatores ſceptra pridem „ conſequutos Leonem & Conſtantinum Iſauros imitatus, „ & quorum hæreſim renovavit, ſibique multos annos eo- „ rum inſtar, & ut laude conſpicuus foret, comprecatus: „ cujus Deus, imminutis ejus filiique annis, conſilium con- „ fudit.

XXVIII. Crumus Rex Bulgariæ anno 814. extinguitur.

Hæc anno 813. geſta ſunt, quo Adrianopolis a Crumo capta, & Macedonum ingens multitudo trans Danubium a Bulgaris translata: quæ Cedrenus (a) ſic deſcribit, ubi de Baſilio Macedone: " Poſtquam Crumus Bulgarorum „ princeps victoriis contra Romanos inflatus, Adrianopo- „ lim obſedit, ita ut nulla ei manus reſiſtere auderet, „ quod ob felicitatem quam diximus, intolerandus eſſet, „ diutinaque obſidione eo civitatem redegiſſet, ut neceſ- „ ſariorum inopia rerum deditionis conditiones acciperet, „ omnes qui in ipſa urbe erant, in quibus etiam Manuel „ Archiepiſcopus, in Bulgariam tranſtulit. Eo igitur tem- „ pore cum aliis parentes quoque Imperat. (*Baſilii nempe* „ *Macedonis*) lac adhuc ſugentem ſecum ipſum deferentes, „ in Bulgarorum regionem abducti ſunt: ubi & ipſe incly- „ tus Archiepiſcopus & Imperatoris parentes, incorruptam „ in Chriſtum fidem ſervantes, Bulgarorum pleroſque ad „ Orthodoxam fidem traduxere, quum nondum gens illa „ ad verum Dei cultum adducta eſſet, & in plurimis Bul- „ gariæ

(a) Edit. Pariſ. pag. 558.

Google

„ gariæ locis Chriſtianæ doctrinæ ſemina jecere. „ Quid poſtea Crumus ex Adrianopolitana expeditione reverſus egerit, & quomodo a Leone Aug. juxta urbem Byzantinam inſidiis petitus, teloque ictus fuerit, narrant Continuator Anonymus Theophanis, & Simeon (*a*) Logotheta in Annalibus, qui relata inauguratione Symbatis Imperatoris Leonis filii, die Natali Chriſti exeuntis anni 813. peracta, ſtatim de Bulgaris ſubjungunt: „ Cæterum (*b*) aëris „ ſerenitate hiemem totam occupante, ſubſidentibuſque „ fluminum aquis, Bulgari armis a capite ad pedes tecti „ ad hominum triginta millia eruperunt, & Arcadiopolim „ uſque, Regina (*c*) pertranſito (hic fluvius eſt ita di„ ctus) pervenerunt, populumque omnem, copioſum ſa„ ne, fecerunt captivum. Prius vero quam captivos traji„ cerent, dies octo decidit immenſus imber, quo fluvius „ intumeſcens, maris inſtar, exundavit. Bulgari, ne trans„ fretarent impediti, cuſtodita ſemper captivitate, dies „ quindecim ad ripas ſteterunt. Leo nuncio ab eis accep„ to, ut opem ferret, non advertit, neque urbe egreſſus „ eſt, nec alios quoſvis in auxilium ſummiſit. Interim re„ deunte aëris tranquillitate, & fluvio decreſcente, Bul„ gari ſilvas cædere, pontemque ſtruere captivos compu„ lerunt: atque ita cum captivis omnibus, virorum ſimul, „ mulierum, & puerorum millibus quinquaginta, tranſie„ runt. Illi captivorum facultates omnes, ad ſtragulas „ uſque Armenias, grandeſque tapetes acu pictos, generis „ omnis veſtimenta, inſtrumentaque ad uſum ærea, cur„ ribus impoſita, boumque & ovium greges abductos tranſ„ vexerunt; & hoc pacto Bulgariam ingreſſi ſunt; Princi„ pe inique ad imperium, Dei permiſſu, promoto, pedem „ non efferente, neque ad captivorum opem alios egre„ di permittente. „ His peractis, rumor ad eum delatus in hæc verba: " Crumus ingentem exercitum coëgit, „ Abareſque, & ex Sclaviniis cunctis, copias collegit. „ præ-

a Verba Anonymi hæc ſunt. Edit. Pariſ. pag. 434.
b Num. 10 ad 13.
c πὶν Ῥηγὶν. Simeon. Logoth.

„ præparata inſuper inſtrumenta, machinaſque cunctas ex-
„ pugnandis urbibus idoneas, arte facta grandia, tribulos,
„ tetrabulos, teſtudines, ſcalas excelſas, globos, vectes,
„ funes, arietes, baliſtas, ignea jacula, petrarias, ſcor-
„ piones, tela jaculatoria, fundas, uno verbo machinas
„ omnes invadendis turribus & civitatibus capiendis, ut
„ ad occiduam urbis partem, Blachernarumque murum,
„ urbem aggrediatur. Tormenta iſthæc cuncta, ad urbis
„ partem, qua telum in eum immiſſum eſt, applicare me-
„ ditatur; inſtrumentis hiſce præfatis deportandis, & cur-
„ ribus vehendis, boum millia plurima in ſtabulis jam diſ-
„ poſuit; currus autem ferro vinctos ad quinque millia
„ fieri juſſit. Leo his auditis, & miſſis exploratoribus,
„ veritateque comperta, populi multitudinem immenſam
„ & artifices congregavit, murumque alium præter eum
„ qui ad Blachernas, cœpit exſtruere, profundamque &
„ amplam foſſam exciſam opponere. Vix operi manu ad-
„ mota, hoc eſt, opere adhuc infecto, ut Deus qui conſi-
„ lia gentium diſſipat & populorum mentem reprobat, ir-
„ ritat quoque conſilia Principum, qui non in machinis
„ vel robore homines quid aggredi poſſe commonſtrat, ut
„ hæc, inquam, iterum patefaceret Deus, nondum immi-
„ nente vere, ut retulerunt quidam captivitate Bulgarica
„ liberati, circa feriam magnam Quintam(*quæ in diem* 13.
„ *Apr. anno Chr.* 814 *incidit*) Bulgariæ Princeps Crumus
„ ille celebris, qui Urbem occupare deſtinabat, vitæ fi-
„ nem perſenſit, inviſibili virtute jugulatus, qua ſangui-
„ num rivos, ore, naribus, & auribus emiſit, atque ita in
„ malis animam depoſuit. His elatus Leo, quaſi ipſe,
„ non Deus compeſcuiſſet bellum, in urbes omnes re-
„ gioneſque miſſis Sacris nunciavit: Bulgaros urbi vici-
„ nos comperi: ſolertiaque, robore, ductuque meo
„ Principem eorum quum telo confodiſſem, cunctos fu-
„ gavi. Vulneris iſtius cauſa moritur, inquit, hoſtis
„ noſter. *Simeon Logotheta addit*: Ajunt vocem cælitus
„ miſſam mox erupiſſe, impii Regis mortis nunciam,
„ ipſamque non paucis navigantibus auditam: ſignato-
„ que tempore, & hora [quum hora noctis decima

„ ageretur] qui obſervarunt, ſic tandem ſe rem ha-
„ buiſſe invenerunt.

XXIX. De Crumi Bulgarorum Regis interitu rebuſque geſtis.

Hactenus de Crumi interitu continuator Theophanis & Simeon Logotheta; nimirum ex vulnere per inſidias juxta Urbis mœnia, uti Leo jactabat, accepto; vel potius, inviſibili virtute jugulatus, qua ſanguinum rivos ore, naribus, & auribus emittens, animam exhalavit, quemadmodum laudati auctores tradunt. Funibus a ſubditis ſtrangulatum eum fuiſſe, perhibent Menæa Baſilii Imperatoris ad (a) diem XXII. Januarii, ubi & Crumo ſucceſſiſſe Tzochus dicitur in hæc verba: *Leone Armeno imperante, Crumus Bulgarorum princeps cum ingenti populi multitudine Adrianopolim Thraciæ venit, eaque jure belli capta, ſimul etiam Sanctiſſimum Manuelem Epiſcopum comprehendit: cui primum ab humeris manus præcidit: deinde diſſectum gladio medium, feris devorandum tradidit. Quare ob hanc impietatem excæcatus, a proprio populo odio habitus eſt, & ab eodem funibus ſtrangulatus. Suffectus in Bulgarorum Principatum (b) Tzocus, captivos Chriſtianos omnes, Duces, Presbyteros, Diaconos & Laicos, in unum collectos, compulit Chriſtianam fidem ejurare: nondum enim Chriſti fide imbuti erant Bulgari. Quumque id facere nollent, alios aliis tormentis excruciatos miſerabiliter interfecit.* Sed de his poſtea dicam. Cangius in Familiis Sclavonicis cap. 6. de Crumo agens: *Funibus* (inquit) *ſtrangulatum a ſubditis ſcribunt Menæa, quæ Baſilii Imperatoris nomen præferunt: Scylitzes vero, & Theophanis continuator, a Leone Imp. in prælio deletum Crumum tradunt, non indicato cæterum loco, in quo commiſſum fuerit: tametſi probabile ſit id tum accidiſſe, quum Crumum oppreſſurus, cum copiis urbe egreſſus, pactis cætera inductis, in incautos Bulgaros irruit.* Memoriæ lapſu vir doctus pro *Conſtantini Porphyrogeniti Continuatore*, *Theophanis continuatorem* poſuit: nam hic (ut ſupra vidimus) Crumum ſcribit, dum Byzan-

a Certamen SS. Manuelis, Georgii, Leonis, & Socior. qui ab impiis Bulgaris occiſi ſunt, imperante Leone Armeno, XXII. Jan. Tom. 2. pag. 112. edit. Urbini 1727.
b Male apud Quienum Tom. 1. Orient. Chr. pag. 1174. *Trojus*.

Byzantium obſidet, telo in eum immiſſo vulneratum, mox emiſſo per os, nares & anres ſanguinum rivo, interiiſſe; quod & Simeon Logotheta confirmat. At vero Scylitzes, Cedrenus, atque Porphyrogeniti continuator, nulla facta Crumi interitus mentione, deletum in prælio a Leone Augoſto Crumum tradunt. Scylitzæ, & Cedreni verba præmitto, mox Continuatoris ſubjungam. Sic itaque ſcribit Jo. Scylitzes Curopalates pag. 4. & Cedrenus pag. 487. *Interea Bulgari recenti adbuc de Romanis victoria inflati, in Thraciam incurſiones faciebant, & obvia quæque deprædando populandoque vaſtabant: Viſum ergo eſt Imperatori, legatos pacis componendæ cauſa ad Bulgarum mittere. Sed eo ferociente, ac pacem ſuperbe recuſante, coactus eſt bello decernere. Commiſſo autem grandi prælio, quum denuo Romani exercitus vincerentur, Bulgarique iis perſequendis ſe darent: Leo cum ſuo ſodalitio eminenti loco ſtans, pugnamque ſpectans, animadvertit, Bulgaros ordinibus ſuis ſolutis effuſe perſecutioni ſe dediſſe. Ibi tum cobortatus ſuos, obteſtatuſque, ut fortes & ſtrenuos ſe præberent, neque Romanorum gloriam ad nibilum redigi paterentur; magno cum impetu boſtes adoritur, & obvios improviſa impreſſione pellens, ſubita re Bulgarorum omnem exercitum perterret, eamque trepidationem inter eos excitat, ut virtus omnis eorum animis abierit. Ceciderunt eo in prælio complures Bulgari, atque ipſe ὁ τῶν ὅλων ἀρχηγός, omnium Dux: ſed is celeriter a ſuis in equum liberum impoſitus, fuga ſalutem conſecutus eſt. Multo plures capti ſunt, quam interfecti. Hoc præclarum facinus Bulgarorum inſolentiam depreſſit, & animos Romanorum demiſſos atque proſtratos confirmavit, & erexit.* Cedrenus *Crumum* quidem diſertim non nominat; ſed dum *Bulgaros recenti adbuc de Romanis victoria inflatos, in Thraciam incurriſſe* ſcribit, proculdubio ſignificat, id bellum cum eodem *Crumo* fuiſſe commiſſum; de quo ſubjungit: *Ceciderunt eo in prælio complures Bulgari, atque ipſe omnium Dux; ſed is celeriter a ſuis in equum liberum impoſitus, fuga ſalutem conſequutus eſt*: & ſtatim addit: *Imperator ampliſſimo cum triumpho & ſpoliis in urbem reverſus, ad alia negotia animum adjecit:*

jecit: nimirum, Sabbatii Philomelienſis monachi, ac Theodoti Meliſſeni Caſſiteræ fraudibus circumventus, edicto adverſus Sacras Imagines promulgato, Nicephorum Patriarcham die 13. Martii anni 815. in exilium mittit, Theodoto ipſo Meliſſeno in Patriarchatu ſuffecto.

At vero Conſtantini Porphyrogeniti Continuator, qui ejuſdem Porphyrogeniti [a] temporibus ſcribebat, atque inde ſuam exorſus eſt Chronographiam, ubi Theophanes (b) deſierat; quum ſupra a num. 5. acceptam a Crumo Bulgarorum principe cladem narraſſet; ſubjicit num. 13. de eodem utique Crumo ſub initium ſuſcepti a Leone Armeno Imperii: *Ubi autem Bulgarorum Principem ſuperiori victoria elatum, majoreſque ſpiritus ducentem, vicinam rurſus audivit vaſtare regionem, & agros demetere ac populari, multamque tum hominum, tum pecorum prædam agere, domoſque præterea incendere, ac omnino intolerabilem eſſe; primum quidem* (Leo Armenius Imp.) *operæ pretium duxit, miſſa legatione, officii ac pacis admonere. Ubi autem nihil Barbari iras inflexit, diruta mœnium, opera ſua ſtudioque inſtaurans, Urbis res brevi in tuto poſuit; venienſque Meſembriam, ſtratagemate ejuſmodi hoſtibus illuſit. Dies non paucos caſtris poſitis, altoque vallo ducto atque aggere, pene defoſſus cum copiis ſubſtitit, annonas quotidie ex Romano ſolo in promptu habens, quum ne vel ad delicias ullo commeatu deficeretur. Ubi autem aſſidentes Bulgaros armiſque in eum inſtructos commeatus penuria laborare audivit, noctu diſcedens e loco, in quo conſederat, haud ſpernenda militum aſſumpta manu (virorum ſcilicet fortium, & qui laboris patientes eſſent,) cum uno dumtaxat communicato conſilio, inſidiandi cauſa in montem quemdam contendit. Ubi autem diluxit, nec in caſtris Imperator repertus eſt, fugiſſe eum cuncti exiſtimarunt; quod nimirum ejus diſceſſionis conſilium univerſos*

a Quatuor quippe libros de Imperio Leonis Armenii, Michaelis Balbi Amorienſis Theophili Michaelis filii & Michaelis Theophili ac Theodoræ fil. conſcriptos, eidem Porphyrogenito nuncupavit. Vide Prologum edit. Reg. pag. 1.

b Is (nimirum Theophanes) in Michaelis Curopalatæ Imperio, acceptaque a Bulgaris clade per ſuorum proditionem, Leonis dumtaxat proclamati Auguſti leviuſ facta mentione, ſcribendi finem fecit. In Prologo pag. 3.

Digitized by Google

ſos lateret. Hinc hoſtes aſſumptis armis impetum tenere non poterant; aut ullo modo ſuis ſe finibus continere; ſed & aggreſſione facta, in manus ſe exercitum habere, nulloque negotio ejus potituros, putabant. Quum ecce Leo per noctis ſilentia e monte deſcendens, in hoſtes nihil mali ſubverentes irruit: inermibuſque ac ſomno ſolutis congreſſus, per exiſtimatam illam Imperatoris fugam, tantam illorum dedit ſtragem, Romanis ex condicto undique ingruentibus, ut eorum exercitum omnem profligaverit; ac ne ſignifer quidem (ut ajunt) ſoſpes evaſerit. Sed & incurſione facta regionem omnem deprædatus, puberes quidem omnes inde abduxit; parvulis autem ad ſaxa ac humum alliſis, Romanam mox ditionem repetit. Eam ob rem, ex eo tempore, Leonis collis ei colli nomen inditum eſt; ac qui illac iter habent Bulgari, caput moventes, locum digito oſtendunt, nec quicquam acceptæ tunc cladis memoriam obliterant. Felix ille ſucceſſus ferociorem longeque audaciorem hominem reddidit, inque eam crudelitatem, in qua fuerat educatus, impulit. Tum de Sabbatio ac Theodoto Caſſitera, deque mota in ſacrarum Imaginum cultores perſecutione loquitur, nullam faciens Crumi interitus aut accepti ab eo juxta Urbis mœnia vulneris mentionem.

Pagius tamen mortuo Crumo id factum ad annum Chriſti 814. enarrans, ſic ait num. 10. " Quum porro Leo ,, ſeſe jactaret,quod Bulgaros Urbi imminentes offendiſſet ,, ac ſuperaſſet, apparet, Crumo demortuo, Leonem in ,, Bulgariam perrexiſſe,&MeſembriamBulgaris ſtratagema- ,, te eripuiſſe; quod Continuator, & Simeon tacent, ſed ,, quod pluribus exponitConſtantinusPorphyrogenitus lib.1. ,, num. 13. qui tamen memoratas Bulgarorum devaſtatio- ,, nes prætermiſit. ,, Verum præterquam quod Porphyrogenitus, ſive potius ejus Continuator, num. 13. deprædationes Bulgarorum, [ut modo recitavi] deſcribit; alias quoque a Crumo in Thracia antea factas idem ipſe Porphyrogenitus in vita Avi Baſilii Macedonis num. 4. commemorat, ubi de Crumo Adrianopolim expugnante ſic ſcribit: " Quia vero Crumus ille, Bulgarorum princeps, violatis ,, quæ illi cum Romanis intercedebant fœderibus, hoſtili ,, ag-

„ aggere cinctam Adrianopolim, diuque ab eo obſeſſam, „ qua laborabat neceſſariorum penuria, ad deditionem „ coëgerat, civeſque omnes ac incolas, nec non etiam „ Manuelem ejuſce urbis Epiſcopum, in Bulgariam tranſ„ tulit; accidit Baſilii quoque parentes cum reliquis, il„ lo adhuc in faſciis agente, in Bulgarorum regionem „ transferri: ubi propriam Chriſtianorum fidem illiba„ tam cuſtodientes, (tum ſcilicet mirabilis ille Præ„ ſul, tum plebs illi pari captivitate comes) multos „ barbarorum ad veram Chriſti fidem adduxerunt: [non„ dum enim gens illa animum ad pietatem tranſtule„ rat:] multiſque locis Chriſtianæ doctrinæ jecerunt ſe„ mina, a gentilium errore Scythas retrahentes, & ad „ divinæ cognitionis lucem traducentes. Quibus in„ illos ira percitus Crumi ſucceſſor Murtago, cum Ma„ nuelem virum ſanctiſſimum, tum alios plures ejus rei „ delatos, quum tentando ad ejurandam fidem inducere „ nequiviſſet, variis tormentis excruciatos, per mortem „ Martyres conſecravit. Sicque contigit multos ſanguinis „ neceſſitudine Baſilio conjunctos eique affines, Martyrii „ gloria potiri, ut nec ejus, quæ inde eſt, honeſtatis poſ„ ſet expers videri.

Quod autem non *Crumo demortuo*, uti Pagius autumat, id bellum a Leone Armenio ſit ſuſceptum, ſed adverſus Crumum ipſum, qui & in eodem bello ſagitta confoſſus ex equo deciderit, mox alteri equo a ſuis impoſitus, fuga quidem ſalutem conſecutus ſit, ſed paulo poſt ſanguinum rivos ex ore, naribus, & auribus emittens, exſpiraverit; [quamquam de Crumi interitu, ut ſupra dixi, neque Porphyrogeniti Continuator, neque Cedrenus aut Curopalates meminerit] claris tamen verbis teſtatur Zonaras, qui pag. 129. ſic ait: *Cæterum Leo imperio potitus* (menſe ſcil. Julio anni 813.) *Michaelem Balbum Patricium fecit & Scholæ Excubitorum Comitem: Thomam, qui & ipſe ex iis fuerat, qui Bardani equum adduxerant juxta Monachi ædes, Turmarcham Legionis Fœderatorum deſignavit. Bulgaris autem Thraciam vaſtantibus, Legatos ad Ducem eorum de pace miſit, quem, quum recenti victo-*

victoria inflatus, pacis conditiones repudiaret, bello adortus eſt. Sed Barbari, victoria rurſus ad ipſos inclinante, Romanos in fugam verſos a tergo contemptim nulloque ordine ſunt inſecuti, alii alio diſperſi. Quo Imperator animadverſo (nam in editiore loco ſtabat) ſuos ad pugnam cohortatur: Barbaros fortiter aggreditur, & ſubita converſione perterrefactos, maxima ex parte cædit, magnamque turbam capit: nec multum abfuit, quin ipſe Crumus ſagitta ictus, equoque delapſus occideretur, ni ſatellites conglobati, ſcutis protecto, & alteri equo impoſito fugam aperuiſſent. Imperator igitur triumphans, multaque præda parta, Regiam ingreſſus, non multo poſt inſaniam contra Sacras Imagines eſt auſpicatus. Itaque res Bulgarorum geſta ita ſe habuit. Anno 813. quum pacis tractatio irrita eſſet, Michaël Imperator exercitum in Thraciam trajici juſſit: ſed neque Meſembriam, quam anno antecedente Crumus ceperat, aggredi auſus eſt, neque profligandis copiis neceſſarium quippiam moliri. Menſis vero Junii die 22. Chriſtianis ſimul & Bulgaris ad pugnam committendam ad Adrianopolim ex æquo inſtructis, Chriſtiani velociſſima fuga pugnæ ſe ſubduxere, & Crumus illos a tergo inſecutus, caſtris eorum & opimis ſpoliis direptis, ſtragem maximam edidit. Imperator fuga elapſus, Leoni Patricio regendorum Thematum poteſtate relicta, die 24. Junii Byzantium repetiit. Tum Leo a militaribus copiis Imperator ſalutatus die 10. Julii; Michaele cum uxore & filiis Monaſticum habitum induto, poſtera die, quæ fuit undecima Julii, Indict. 6. feria 2. in magnæ Eccleſiæ ambone a Nicephoro Patriarcha coronatus eſt. Crumus proprio fratre ad obſidendam Adrianopolim relicto, poſt dies 6. a demandato Leoni Imperio, ad Urbem propius acceſſit: & ad pacis ineunda fœdera converſus eſt: annuit Leo Imperator, condicto colloquii cum Crumo habendi loco. Sed quum ipſis adinvicem differentibus, ſignum ex Urbe datum fuiſſet, ut prodeuntes e latebris armati homines, Crumum interficerent, id Crumus animadvertens, exiliit, & in equum jam paratum a ſociis evectus, equitare cœpit: ipſo fugam arripiente, arma-

armati viri ex domunculis egreſſi, retro inſecuti ſunt, & emiſſis telis, ſe eum vulneraſſe putarunt: ſed aut nullum, aut leve vulnus fuit: Ille enim ad ſuos incolumis evadens, incendi ſubvertique locum omnem poſtero die juſſit. Et poſt civitates & caſtra vel incenſa vel ſolo everſa, vel direpta, Adrianopolim petiit: qua capta, captivos in Bulgariam tranſtulit. Hæc dum gererentur, Urbe non egreſſus eſt Leo; ſed quum natalitiorum Domini ſolemnia adveniſſent, filium adhuc puſillum, Symbatem nomine, Conſtantinum appellatum, coronavit: reſiduique populi multitudine ex variis urbibus congregata, collegit exercitum. Anno ſequenti, qui erat Chriſti 814. & Leonis 2. Crumus Arcadiopolim veniens, ac ſuperato Regio ſive potius Regina fluvio, ingentem hominum multitudinem ſub jugum miſit, captivoſque ad quinquaginta circiter millia cum maxima præda in Bulgariam traduxit: tum conflato ex Abaribus & Sclavinis exercitu, ad Urbis occiduam partem Blachernarumque murum, ubi anno ſuperiore telis petitus fuerat, caſtra metatur. Sed quum Urbem expugnare adhibitis diverſi generis machinis non poſſet (Leo enim diruta mœnium opera ſua ſtudioque inſtaurans, Urbis res in tuto poſuerat) vicinam Thraciæ regionem vaſtare domoſque incendere cœpit, repudiatis quas Leo offerebat pacis conditionibus. Tum vero Imperator coactus eſt cum Bulgaris bello decernere: ſed Barbaris, (ut Zonaras, Curopalates, Cedrenus, & Conſtantini Continuator ſcribunt,) victoria ad ipſos inclinante, Romanos in fugam verſos a tergo contemptim & nullo ordine inſecutis, & aliis alio diſperſis, Imperator, qui in loco editiore ſtabat, hoc animadverſo, nocte intempeſta, magno cum impetu hoſtes adortus, & obvios improviſa impreſſione pellens, maxima ex parte cædit: nec multum abfuit, quin ipſe Crumus equo delapſus occideretur, niſi ſatellites conglobati, ſcutis protectò & alteri equo impoſito fugam aperuiſſent. Imperator triumphans, Urbem regreditur, ubi a quibuſdam a captivitate Bulgarica liberatis, accepit, Crumum Bulgariæ principem circa feriam magnam quintam (anni utique 814.) emiſſo ex ore, naribus & auribus ſanguine animam exhalaſſe. Unde miſſis in urbes regio-

gioneſque literis nunciavit: *Bulgaros urbi vicinos comperi: ſolertiaque, robore, ductuque meo Principem eorum quum telo confodiſſem, cunctos fugavi: vulneris iſtius cauſa moritur hoſtis noſter*. Non igitur anno 815. (uti Cangius autumat) illud cum Bulgaris bellum commiſſum, morſque Crumi contigit, ſed anno 814. Neque Crumus ex eo vulnere, quod ſive in primo, ſive in ſecundo bello acceperat (uti Leo Imp. jactanter evulgavit) occubuit; ſed, uti Continuator Theophanis & Simeon Logotheta tradunt, *inviſibili virtute jugulatus, qua ſanguinum rivos ore, naribus, & auribus emiſit*.

XXX. *Poſt Crumi interitum, Bulgarorum Rex Murtagon. Alii ejuſdem gentis Duces Ducumus & Ditzengus ſeu Tzocus. Manuel Epiſc. Adrianop. Georgius Deb. lti, aliique Martyres; de quibus Menæa Græcorum ad XXII. Januarii.*

Crumo defuncto, *Murtagon* Bulgarorum regnum eſt conſecutus. Hic inducias cum Leone Armenio ad annos 30. pactus eſt: Manuelem Epiſcopum & alios captivos Chriſtianos martyrio affecit: Michaëli Balbo, a quo Thomas defecerat, quique Conſtantinopolim obſidione vallaverat, ſuppetias laturus, Thomam commiſſo prælio fudit: ad Ludovicum Pium Imperatorem legatos miſit, qui utriuſque imperii terminos definirent; ſed re infecta dimiſſi ſunt, quum nuncius veniſſet, Murtagonem cæſum fuiſſe, aut Regno dejectum. *Mutrago*, *Martago*, *Mortago*, *Omortag*, & *Crytago* appellatur: ſic enim nomen مراد خان *Morad-Chan*, a Græcis & Latinis corrumpitur. Porphyrogenitus in vita Baſilii Macedonis num. 4. poſtquam a Crumo captam Adrianopolim, translatoſque in Bulgariam captivos narraſſet, ſubjungit de iiſdem captivis Chriſtianis: " Ubi propriam Chriſtianorum fidem illibatam cuſtodientes, tum „ ſcilicet mirabilis ille Præſul (*Manuel*) tum plebs illi „ pari captivitate comes, multos barbarorum ad veram „ Chriſti fidem adduxerunt, multiſque locis Chriſtianæ „ doctrinæ jecerunt ſemina, a gentilium errore Scythas „ retrahentes, & ad divinæ cognitionis lucem traducentes. Quibus in illos ira percitus Crumi ſucceſſor Μυτράγων Mutrago, cum Manuelem virum ſanctiſſimum, tum „ alios plures, ejus rei delatos, quum tentando ad ejurandam fidem inducere nequiviſſet; variis tormentis „ cruciatos, per mortem Martyres conſecravit. Sicque „ contigit multos ſanguinis neceſſitudine Baſilio conjunctos

„ eique affines, martyrii gloria potiri, ut nec ejus, quæ
„ inde eſt honeſtatis, poſſet expers videri. Jam vero quum
„ plebem ſuam Deus viſitaret, atque ei in patriam redi-
„ tum præſtaret (Bulgarorum enim princeps Romanas
„ diutius vires acieſque ferre non valens, collum rurſus
„ ſubdere annuebat) congregata apud eum, quæ in pa-
„ triam dimittenda erat, Chriſtianorum turba, conjectis
„ in puerum Baſilium oculis, liberali forma decorum gra-
„ tiuſque ſubridentem ac circumſalientem, indole forma-
„ que delectatus, illum ad ſe traxit, pomumque ei miræ
„ magnitudinis dedit. Puer vero animi candore cum pari
„ fiducia Principis incumbens genibus, morum illa ſimpli-
„ citate, ingenuitatis ſuæ illuſtre ſpecimen dabat, adeo
„ ut Princeps etiam atque etiam admiraretur; ſtipatorum
„ vero cohors ſecum ipſa tacita furore commoveretur. „
Conſtantinum exſcribunt Cedrenus, Curopalates, & Zonaras. Cedrenus pag. 558. " Crumo vita defuncto ſucceſſit
„ Κρυτάγων Crytago, longe anteceſſore crudelior. Hic
„ animadvertens Bulgaricam gentem paulatim ad Chriſtia-
„ niſmum deſciſcere, inflammato ob eam rem animo,
„ Manuelum & præcipuos ejus ſocios ad ſe vocat: ac pri-
„ mum manſueta oratione ſuadet, ut Chriſtianam fidem
„ deſerant: poſt, quum eos neque pollicitationibus, ne-
„ que minis flecti ſentiret, acerbe excruciatos interficit.
„ Hoc modo Manuelus, multique ſub eo illuſtres, aliique
„ ſanguine juncti, ſua morte veræ religioni teſtimonium
„ tulerunt. Tandem reliquis captivis Deus in patriam re-
„ deundi occaſionem paravit. Nam princeps Bulgarorum
„ ſæpius cladem paſſus, quum jam Romanorum viribus re-
„ ſiſtere nequiret, pacem bello prætulit, captivoſque di-
„ miſit. Quos quum congregatos, jamque in patriam
„ iter ingreſſuros contemplaretur, Baſilium tunc τὴν
„ παιδικὴν παραλλάσσοντα ἡλικίαν, ex pueritia adoleſcen-
„ tiam (*a*) ingreſſum videt, eleganti vultu præditum &
„ ſua-

a Ita & Curopalates: *Princeps Bulgarorum, captivorum ſpectator erat, & forte Baſilium puerum conſpicatus, qui quum jam e pueritia exceſſiſſet, pubeſcere incipiebat.* Tam Curopalates, quam Cedrenus hallucinantur in eo, quod ſcribunt, Baſilium, dum adhuc in Bulgaria verſaretur, ex pueritia adoleſcentiam ingreſſum eſſe, quum ante-

„ ſuaviter ſubridentem atque circumſaltantem, eum ad ſe „ vocat, manibuſque apprehendit & oſculatur, pomumque „ raræ magnitudinis donat: quod adoleſcentulus ſimplici „ audacia genibus principis innitens accepit, morum mi- „ nime fucata ſimplicitate indolis ſuæ ingenuitatem demon- „ ſtrans; itaque & miraculo attonitus fuit princeps, & „ ſubditi clanculum indignati ſunt, tali adoleſcenti domum „ redeundi poteſtatem concedi. Sed tamen, Deo propi- „ tio, captivi omnes domum dimiſſi abierunt, interque „ hos etiam Baſilii parentes, chariſſimum ſecum ducen- „ tes filium ſuum.. „ Curopalates iiſdem fere verbis rem narrat pag. 42. ſed pro *Crytago* habet *Cutragon*, ſic: *Sed Crumum mors occupavit; Cutragon vero illius ſucceſſor, longe vincens immanitate ſuperiorem, neque factum ignorans, ac paulatim Bulgarorum genus ad Chriſtianorum cultum transferri ſentiens, magna exarſit iracundia, ſacrumque Archiepiſcopum Manuelem cum eximiis illis viris, qui cum ipſo erant, ſibi præſto eſſe imperavit, non ſine magna ira; quos primum blandis ac mitibus verbis ab orthodoxa & inculpata Chriſtianorum fide deducere conabatur. Verum ubi præſtantiores eos, quam qui pollicitationibus aut minis expugnari poſſent, comperit, multis primum verberibus cæſos, Martyrii nece interficiendos curat. Et Manuel inclytus Archiepiſcopus cum illuſtribus illis viris, qui ſecum erant, præclaro martyrio vitam finivit; & multi item illius conſanguinei, martyrii gloria dignati ſunt. Quumque oporteret jam reliquos captivos in patriam redire, ſiquidem divinitus ipſis reditus parabatur, Bulgarorum Princeps ſæpe fractus, quum amplius Romanis copiis reſiſtere nequiret, conciliata pace, captivos liberat.* Zonaras pag. 163. *Crumo defuncto, ſucceſſor ejus multis cladibus a Romanis acceptis, pacem cum Imperatore fecit, captivis quos habebat, (ita enim convenerat) dimiſſis.*: Nimirum anno Chr. 817. quo pax inter Romanos & Bulgaros, & inter

Tom. II. Y y 2. Leo-

que fateatur, eum adhuc lactentem in eam regionem translatum, ideſt anno 813. narret que quæ puero, non vero quæ e pueritia egreſſo conveniunt, dum captivi, facta pace, a Murtagone in patriam dimitterentur, hoc eſt, circa ann. 817.

Leonem Imp. & Murtagonem Regem fuit ſancita, ut mox dicam. Proximus itaque Crumi ſucceſſor *Murtagon* fuit, qui Crumum anno 814. defunctum excepit: ac proinde primo, erroris redarguitur Sigebertus Gemblacenſis, qui vitam Crumi uſque ad annum Chriſti 820. produxit, uti ſupra vidimus. Secundo, allucinatur Cangius, qui ante Murtagonem ponit duos alios Bulgarorum Principes, in hæc verba. XIII. "Doucomus Bulgaris poſt Crumum imperavit: „ cui haud multo poſt extincto, ſucceſſit XIV. Ditzengus, „ ſeu Tzocus, Princeps feroci ac crudeli animo, qui Ma„ nuelem Adrianopolitanum Archiepiſcopum, compluresque „ chriſtianos interfecit, quorum memoriam agunt „ Græci ſub XXII. Januarii. Is quum cæcitatem incurriſ„ ſet, a ſuis interfectus eſt. XV. Mortagon, poſt Ditzen„ gum Bulgarorum regnum eſt conſequutus. Mutragon ap„ pellatur a Porphyrogenito in Baſilii Avi vita: Omortag „ vero ab Eginhardo & Hermanno Contracto. In Chriſtia„ nos pariter, qui fidem abnegare renuerant, inumaniter „ ſæviit, interfectis iis, atque ipſo Debeltenſi Archiepiſ„ copo Georgio. „ Nullum alium Auctorem citat, quam Menæa Græcorum, & Baſilii Imperatoris, ad diem XXII. Januarii. Verum in Menologio quidem Baſiliano, *Tzochi* tantummodo poſt Crummum fit mentio, his verbis: "Quare „ ob hanc impietatem (*a*) (Crumus) excæcatus, a proprio „ populo odio habitus eſt, & ab eodem funibus ſtrangula„ tus. Suffectus in Bulgarorum Principatum Τζόκος ὁ ἀθιό„ πατος, impiiſſimus Tzocus, captivos Chriſtianos omnes, „ Duces, Presbyteros, Diaconos, & laicos, in unum „ collectos, compulit Chriſtianam fidem ejurare: nondum „ enim Chriſti fide imbuti erant Bulgari. Quumque id fa„ cere nollent, alios quidem decollari juſſit: alios aliis „ tormentis excruciatos miſerabiliter interfecit. „ Auctor hujus Menologii fallitur primo, dum Crumum excæcatum & funibus ſtrangulatum ſcribit: nam auctores longe Menæorum ſcriptore veraciores affirmant, eum ſanguine emiſſo [illegible] extin-

a Nimirum, quia Manuelem Epiſcopum præciſis ab humeris manibus, diſſectum gladio medium, feris devorandum tradiderat.

extinctum fuiſſe. Deinde fallitur, dum Sanctum Manuelem ſub Crumo paſſum ſcribit, quum Phorphyrogenitus aliique ſupra laudati, Manuelis Martyrium accidiſſe ſub Murtagone Crumi ſucceſſore affirment: major autem fides eſt adhibenda Porphyrogenito, quam aliis poſterioribus ſcriptoribus. Demum fallitur, dum pro Murtagone Crumi ſucceſſore ponit *Tzocum*: niſi dicendum ſit binomium eum fuiſſe. At vero in Menæis Græcis, pro uno Tzoco Crumi ſucceſſore, duo confinguntur, *Ducumus* nempe, immediatus Crumi ſucceſſor, & *Ditzengus* poſt Ducumum: paſſi autem non ſub Crumo, neque ſub *Ducumo* martyres illi dicuntur, ſed *Manuel* quidem Adrianopolis Epiſcopus, diſſectus medius ſub *Ditzengo*; reliqui vero ſub *Murtagone*: nimirum *Georgius Debelti Epiſcopus*, & *Petrus Epiſcopus*, poſt verbera, gladio percuſſi; item *alii trecenti* & *ſeptuaginea ſeptem*, nec non *Leo*, & *Joannes*, Chriſtianorum Strategi: & alter *Leo Nicææ Epiſcopus*; *&* *Gabriel*, & *Sionius*, & *Parodus Presbyter*: omnes iſti gladio percuſſi martyrium ſub Murtagone ſubiiſſe narrantur. De Regibus enim Bulgarorum hæc in iiſdem Menæis ad XXII. Jan. leguntur. Κρύμου δὲ τὸ ζῆν ἀπορρήξαντος, Δούκουμος τὴν ἀρχὴν διαδέχεται. καὶ αὐτοῦ κατὰ πόδας τεθνηκότος, Δίτζεγγος ἄρχων τῶν Βουλγάρων γνωρίζεται, ὠμὸς καὶ ἀπάνθρωπος. ὃς τὸν μέγαν ἀρχιερέα Μανουὴλ μέσον διχάσας, καὶ τὰς χεῖρας σὺν τοῖς ὤμοις ἀποτεμὼν, βορὰν τοῖς κυσὶ παρέθετο. καὶ ἀορασίᾳ πληγεὶς, ὑπὸ τῶν οἰκείων ἀναιρεῖται. Μουρτάγων δὲ τὴν τύχην δεξάμενος, ἅπαντας τοὺς Χριστιανοὺς, τοὺς μὴ πειθομένους τὸν Χριστὸν ἀρνήσασθαι, ἐξ ἀνθρώπων ποιεῖ. *Crumo autem e vivis ſublato, Ducumus in Principatu ſuccedit. Hoc vero etiam poſt illum defuncto, Ditzengus Bulgarorum Princeps declaratur, crudelis & inhumanus: qui magnum Pontificem Manuelem diſſectum medium, manibus ab humeris præciſis, devorandum canibus tradidit. Sed quum cæcitatem incurriſſet, a ſuis interficitur. Murtagon igitur dignitatem adeptus, Chriſtianos omnes, qui Chriſtum abnegare renuerant, interficit.* Demum de aliis poſt Murtagonem Ducibus οὐ μόνον δὲ οὗτος ὁ δυσσεβὴς Μουρτάγων, ἀλλὰ καὶ οἱ κατὰ διαδοχὴν Βουλγαρικοὶ γενόμενοι ἄρχοντες, πολλοὺς τῶν Χριστιανῶν διὰ ποικίλων κολάσεων

τῶ

τῷ θανάτῳ παρέπεμψαι. *Neque hic impius Murtagon tantum, ſed etiam alii ejus ſucceſſores Bulgarorum Principes, complures Chriſtianos variis tormentis excruciatos morti tradidere*. Hæc in Menæis. Verum audiendi potius ſunt Conſtantinus Porphyrogenitus, Curopalates, & Cedrenus, qui immediatum Crumi ſucceſſorem faciunt *Murtagonem*, ſub quo ii Martyres omnes paſſi. Quid? ſi Menæorum auctor ex *Umaro* & *Toſto* ducibus, qui inter *Sabinum* & *Paganum* Bulgarorum Reges ad annum 765. a Nicephoro memorantur, nomina *Ducumi*, & *Ditzengi* ſive *Izochi* formans, illos ad an. 814. poſt Crumi interitum regnaſſe confinxerit? Fieri etiam poteſt, ut Crumo, & poſt illum Murtagone, principatum Bulgaricum obtinentibus, *Ducumus* & *Ditzengus* Duces fuerint, qui variis tormentis Chriſtianos ſubjecerint. Nam *Bulgaris*, *Slavis*, *Hunnis Abaribus*, *Ruſſis*, Præter unum ſupremum Regem, alios quoque inferioris ſubſellii Regulos præfuiſſe, certum eſt.

XXXI. Murtagon pacem facit cum Leone Imp. Ab eodem captivi Chriſtiani in libertatem aſſerti anno 817. & ſuppetiæ anno 822. Michaeli Balbo adverſus Thomam latæ.

Eundem *Murtagonem* inducias cum Leone Armenio ad annos 30. pactum fuiſſe, narrat Porphyrogeniti Continuator lib. 1. num. xx. " Quum tricennales cum Hunnis, „ quos Bulgaros vocant, ineundæ illæ (Leoni Imperato„ri) eſſent induciæ, καὶ γὰρ τὰς τριακοντούτας σπονδὰς τοῖς Οὔννοις δὴ τούτοις τοῖς καλουμένοις Βουλγάροις ἐνωμότως ποιῶν, „ paciſque foedera jurejurando firmanda; non quibus „ Chriſtiani ſolent ſacramentis uſus eſt; ut nimirum „ Deum cæleſteſque virtutes, ſive quæ Chriſti, Deique „ Parens carne fuit, dictorum, geſtorumque inſpectores „ teſteſque adhiberet; ſed velut Barbarus quidam, omniſque religionis expers, canes, quibus gens improba „ immolat, iis geſtorum teſtibus utebatur, & diſſecabat; „ nec quibus illi libenter ingurgitantur, hæc ipſe ad firmandam fidem ore guſtare exhorrebat. Quod vero „ Chriſtianam fidem eis concredidit, ad quam a nobis „ aliquando, ut videbatur, eſſent traducendi; ne ſic „ quidem impietati litare eum puduit. Tum enim in eo, „ quod fidei margaritas, juxta Domini ſeutentiam, mittebat ante porcos, hiſque illos vir impius vere execrandus, ore tenus uti compellabat; tumque in eo rurſus, „ quod

„ quod ipſe Romani moderator Imperii, in publico conventu, in theatro, promiſcua infidelium, fideliumque multitudine referto, initiari non erubuit ac conſecrari, non alio plane præmio, quam æterno verme & igne dignus fuit. „ Rem eandem narrat Ignatius Diaconus in vita S. Nicephori Patriarchæ CP. num. 80. " Quis amicitias atque foedera turpiter ac indecore cum vicinis Hunnis ab illo inita ferventiſſimis lacrymis non deploret? „ Nempe illorum ſuperſtitiones Leo, ipſi illi noſtra uſurpantes legitima, mutuo firmaverunt pacta: & videre erat Imperatorem Romanum libare aquam e calice in terram, equorumque clitellas verſare manibus, dein terna lora tangere, foenumque in altum attollere, & ſe omni hac ceremonia rituque devovere. Gentes vero divina noſtra Symbola ſceleſtis contrectare manibus, ac per illorum virtutem ſacrilego ſe obſtringere ſacramento. Nonne hæc crudelitatis fuere germina? Nonne apertus in Criſtum furor & execratio? „ Vides, tam Porphyrogeniti Continuatorem, quam Ignatium Diaconum in vita S. Nicephori Patriarchæ CP. & auctorem anonymum vitæ S. Theodori Studitæ apud Combefiſium Tom. I. Supplementi Bibliothecæ Patrum Græco Latinæ pag. 903. Bulgaros *Hunnorum* vocabulo deſignare: Porphyrogenitum denique in vita Baſilii num. 4. eos *Scythas* appellare: Qui loquendi modus viros doctos (ut ait Pagius) irretitos tenuit. Chriſtiani qui a Bulgaris captivi detinebantur, & qui nondum martyrium paſſi erant, tunc in libertatem aſſerti ſunt, quum pax eo, quo diximus, modo Bulgaros inter & Græcos ſancita eſt: Anno nimirum circiter Chriſti 817. Leonis 5. vide Pagium ad eund. ann. num. 19. tametſi Melchior Inchofer in Hiſtoria Hungarica martyrium eorum, qui ſub Murtagone paſſi ſunt, antequam pax illa firmata fuiſſet, anno 818. accidiſſe ſcribit.

Vivebat Murtagon anno Chriſti 822. quo Michaeli Balbo Imperatori contra Thomam, qui Conſtantinopolim obſidione vallaverat, commodum auxilio venit. Pagius ad ann. 822. num. x. & ſeqq. tum ex epiſtola a Michaele & Theophilo Auguſtis anno 824. menſe Aprili ad Ludovi-

cum

Digitized by Google

cum Imperatorem ſcripta, tum ex Porphyrogenito, Leone Grammatico, Simeone Logotheta, Zonara, & Cedreno exponit, quis & cujuſmodi fuerit Thomas ille, qui ultimo Leonis anno arrepta tyrannide, Conſtantinopolim obſedit, & quomodo Martagon Bulgarorum Rex, qui annorum triginta inducias cum Leone fecerat, ultro ſuppetias Michaeli tulit, pugnaque cum Thoma commiſſa, eum fuderit. Porro de Thomæ tyranni natalibus & primordiis, duplex fertur Scriptorum opinio. Alii eum Romanum, hoc eſt Græcum, genere faciunt, ut Simeon Logotheta in Michaele Amoræo Balbo num. 2. Ῥωμαῖος γὰρ ὢν, ϗ ἀφανὴς, πρὸς Συρίαν ἀφίκετο: *Romanus enim quum eſſet & homo obſcurus, in Syriam profectus eſt*. Porphyrogenitus autem in Chronograph. lib. 2. num. x. Sclavum fuiſſe affirmat: " Una, eaque prima opinio [in quam & ego manibus pe-
,, dibuſque eo] ſcriptis quibuſdam monumentis facienti-
,, bus fidem, hæc eſt: nempe ortum Thomam ex obſcu-
,, ris, tenuibuſque parentibus, ad hæc Sclavorum ſatis
,, proſapia, qui ſæpius in Oriente cohæſerunt. ,, Quum autem in patria ægre vitam ſuſtentare poſſet, Conſtantinopolim venit. Ibi quum viro cuidam Senatorii Ordinis adhærens, thorum ejus polluere conatus eſſet, ad Agarenos profugit, a quibus militari cohorti præfectus, Romanum Imperium ſeſe illorum ditionis facturum promiſit. Nequis vero apud Romanos illi negotium faceret, dixit ſe eſſe *Conſtantinum Irenes filium*, ſociumque ſibi aſſumpſit, cui *Conſtantii* nomen indidit, filiumque ſuum appellavit, ac juſſit, ut ex alia parte Romanam ditionem popularetur. Leo Armenius Reipublicæ tunc habenas moderabatur ſub imperii ſui extrema tempora. Is parum validis adverſus illum conflatis copiis, ſuis quidem cladis auctor fuit, ut qui primo hoſtium incurſu terga dederint; illum vero audaciorem fecit, ac majora quam pro ſui ratione ſapere impulit. Poſtquam res ei ex voto ſucceſſiſſent, caput diademate ornari voluit. Porphyrogenitus num. 12. " Quo-
,, circa nec conſilio ſuo fruſtratus eſt: quin & Coronam,
,, Imperii inſigne, conſequitur, & Imperator ab Antio-
,, chenæ tunc Eccleſiæ Præſule, Jacobo nomine (*imo Jobo*)

,, *bo*) proclamatur, cogitque ingentem exercitum; quin ,, potius collatum accepit, ad corroborandum ſibi Impe- ,, rium; nec ex illis dumtaxat Agarenis, qui nobis vicini ,, ſunt & finitimi, verum etiam ex iis, qui remotiora ac ,, interiora colunt, Ægyptiis ſcilicet, Indis, Perſis, Aſ- ,, ſyriis, Armenis, Chaldæis, Iberis, Zechis, Cabi- ,, ris, iisque omnibus, qui Manetis (*a*) doctrinam & opi- ,, niones ſequuntur ,, Octoginta itaque hominum armatorum millia in exercitu habens, unoque verbo ac nutu quo vellet educens, cum exercitu Michaelis Balbi congreſſus, aliis occiſis, aliis fugatis, tyrannidem ſtabilivit: imo & Claſſe Imperatoria potitus eſt. Abydo in Thraciam trajiciens, Orientalibus fere omnibus ſubactis, in demortui filii locum alium adoptavit nomine *Anaſtaſium*, qui ſacro Monachi habitu abjecto, civilem ſumpſerat. Tum ipſam Urbem Conſtantinopolitanam obſidione cinxit, & navali exercitu circumdedit in menſe Decembri, decima quinta Indictione, adeoque exeunte anno 821. Terra autem crebra prælia fiebant, *Theophilo* Imperatoris filio duce, ſed æquo fere Marte pugnabatur. In ea obſidione, Michael & Theophilus Dei auxilia implorant. Porphyrogenitus num. 14. " His ita ex animo conſtitutis, dum apparatui ,, caſtriſque componendis *Thomas* dies aliquot inſumit; ve- ,, lut e ſpecula Michaelem videt belli ſignum in Blacher- ,, nenſi Deiparæ tecto defigere, atque inde vires adverſus ,, hoſtes depoſcere, ſibique corrogare; ejuſque filium ,, Theophilum una cum ſacro ordine, Urbis ambitum om- ,, nem atque moenia circumire, ac tum vivificum Crucis ,, Lignum, tum intactæ Chriſti Dei noſtri Parentis veſtem ,, circumferre. Ea res ejus maxime ſpes dejecit.. ,, Interea aliquid accidit, quo res Thomæ labefactatæ ſunt. Nam rumore defectionis ejus & Urbis obſidionis paſſim ſparſo, Murtagon Bulgarorum Princeps ſponte ſuppetias Imperatori venit. Porphyrogenitus num. 17. " Eo rerum ,, ſtatu Murtagon Bulgarorum Rex Μορτάγων ὁ τῶν Βυλγά-

---

a Porphyrogenitus τῦ μάνεντος. Fortaſſe, pro Manete, reponendum nomen *Machometis*. Hujus enim, non Manetis, aſſeclæ fuerunt qui hic nominantur populi.

,, ρων Βασιλεὺς , famâ excitus, quæ jam totum Orbem per-
,, vaſerat , Romanorum Imperatorem intra muros obſeſ-
,, ſum teneri , miſſo clam ad Michaelem nuncio , ultro
,, ſe auxilia miſſurum pollicetur , ac copias quantæ ad-
,, verſus hoſtem ſufficerentur. At ille , ſive revera Roma-
,, norum in Thomæ caſtris militantium reverentia inque
,, eos miſeratione, ſive alias , parcendum ſumptibus duce-
,, bat [nullus enim unquam Imperatorum illo fuit ſordi-
,, dior :] laudato Bulgari propoſito , auxilia recuſavit ,
,, nec quidquid demum tyrannus præſtitiſſet , eis ſe uſu-
,, rum ſignificavit . Murtagon tamen , ut qui alioqui bel-
,, lis , prædaque ac ſpoliis gauderet , fœduſque tricennale
,, cum ejus deceſſore Leone pactum confirmare , magiſque
,, ſtabilire quæreret , adverſus Tyrannum exercitum pa-
,, rat . Quamobrem Romanorum fines audacter ingreſſus ,
,, ad locum , cui Ceductus (*i. e. Aquæductus*) nomen ,
,, caſtra ponit. Percrebreſcebat rumor, nec fieri poterat, ut
,, irruptio Tyrannum falleret . Merito itaque perturbatur,
,, animoque plane attonitus eſt . Ubi tamen emerſit , ex-
,, que ea ſe æſtuatione collegit , adverſus illum expedi-
,, tionem paravit . Quoniam autem diviſo exercitu , ſe
,, prorſus debilem fore cladique obnoxium videbat , (nam
,, & in expugnanda Urbe Auguſta non exiguo ſed numeroſo
,, fortique exercitu opus erat, eoque magis, quod jam Impe-
,, rator exercitum haud contemnendum paraverat, quique
,, adeo conſerto pede pugnare poſſet, nec raro hoſtium ſtra-
,, gem dare ; nec vero contra Bulgarorum copias aliter
,, quam magno , validoque exercitu pugna inſtrui pote-
,, rat: ne igitur velut rapidus quidam torrens in duos quoſ-
,, dam deductus rivulos , quam pro priori virtute hoſtibus
,, imbellior appareret , & qui facile edomari poſſet , Ur-
,, bis obſidionem in totum ſolvit ; inque Bulgaros , qui-
,, bus ſe parem eſſe arbitrabatur , profectus , in eo quem
,, diximus Ceducti loco , cum eis pugnam committit . Cæ-
,, terum Tyrannus in eo prælio , magna ſuorum ſtrage vin-
,, citur ; nec adeo hoſtes clade afficit , ſed ipſe ab eis in-
,, genti clade afficitur . Quumque aliter non liceret , fu-
,, ga ſalutem expediunt , qui e prælio incolumes fuerant,
,, ar-

Digitized by Google

„ arduoque quodam loco nec facili acceſſu diſperſi, ſecum „ cogitabant, quomodo rurſus coirent ac agmen inſtaurarent. Bulgarorum autem Princeps ſtatim captivos, qui „ venerant in poteſtatem, aſſumens, ingentiſque prædæ „ compos factus, victoria ferox, eaque ſuperbiens, redit in patriam. Claſſis ad obſidendam Urbem relicta, „ audita ſuorum ſtrage, tota ad Imperatorem deficit, il„ lique adjungitur „ Poſtremo Thomam Michaele aggreſſo, commiſſaque pugna, Tyrannus cum paucis (*a*) Adrianopolim abire coactus eſt, quem Michael annonæ penuria per quinque menſes oppugnavit. Quare cives urgente fame Thomam vinctum Imperatori tradidere, qui eum morte affecit medio menſe Octobri, ac proinde anno Chr. 822.

XXXII. Dalmatæ ſub Michaele Balbo a Romano Imperio deſicientes, ſui juris fiunt.

Michaele Balbo ac Theophilo imperantibus, poſtquam Creta Inſula a Saracenis occupata eſſet, circa annum Chriſti 826. *Dalmatia* quoque ſui juris effecta, a Romano defecit Imperio. Conſtantinus Porphyrogenitus in Chronograph. lib. 2. num. 28. " Sed & omnis Dalmatia ſub id tem„ pus a Romano Imperio defecit, ſuique omnes juris, ac „ ſibi capita extiterunt, quoad uſque inclytus ille Baſi„ lius Imperium regendum ſuſcepit; tunc enim Romanæ „ facti ſunt ditionis „ Idem Porphyrogenitus de Adm. Imp. cap. 29. " Ab Imperio autem Heraclii Romanorum Impe„ ratoris, uti quum de Chrobatis & Serblis agemus dictu„ ri ſumus, univerſa Dalmatia, nec non finitimæ illi gen„ tes, Chrobati ſcilicet, Serbli, Zachlumi, Terbunio„ tæ, Canalitæ, Diocletiani, & Arentani qui & Paga„ ni nuncupati ſunt, ditione Romanæ ſe ſubtraxerunt: „ quippe quum Romanum Imperium per imperantium „ tunc temporis ignaviam, maximo Michaelis Amorienſis „ Balbi, tantum non exſpiraſſet, qui Dalmatiæ oppida in„ colebant, ſui juris facti, neque Romano Imperato„ ri, neque cuiquam alteri ſubjecti: itidem conterminæ „ illis gentes, Chrobati, Serbli, Zachlumitæ, Terbu„ niotæ, Canalitæ, Diocletiani, & Pagani, excuſſis Ro-

a Adrianopolim. Ita Scriptores Græci omnes, præter Georgium Monachum, qui in Michaele Balbo, num. 8. pro Adrianopoli habet, *Arcadiopolim*.

„ mani Imperii habenis, liberi, ſuiſque, non alienis legibus uſi ſunt. „ Pagius ad ann. 826. num. 21. " At „ non ſolum Creta inſula, verum etiam Dalmatia, Michaele & Theophilo filio imperantibus, Orientalium Imperatorum jugum excuſſit, ut idem Conſtantinus, Zonaras, aliique Scriptores teſtantur. Adriatici maris dominium Græcos ſervaſſe, & in diviſione Imperii, tempore Caroli Magni ſimul cum Dalmatia poſſediſſe, ſupra retulimus. Sed illud in dies attenuabatur, tandemque anno circiter ſequenti penitus extinctum eſt, „ Dalmatæque liberi, ſuiſque, non alienis legibus uſi „ fuerunt, inquit Porphyrogenneta lib. de Admin. Imp. „ cap. 29. Ubi tamen Dalmatiæ nomine intelligendum „ tantum quidquid Orientali Imperio in Dalmatia parebat. „ Recedentibus itaque ex Adriatico Græcorum claſſibus, „ ejus accolæ Dalmatæ & Servii, ſui juris effecti ſunt. „ Quumque non multo poſt bella civilia Francorum Imperium debilitaſſent, Croatæ qui eis parebant, ſpretis pactis inter duo Imperia initis, fimbrias dilatare, & „ Adriaticum infeſtare coepere: : Venetique primum in „ Adriatico claſſem pro Orientali Imperio contra Saracenos, qui Siciliam occuparant, miſerunt, Juſtiniani „ Participatii Ducis tempore; ſed non ante annum ſequentem, *ideſt* 827.. Qua de re legendus Joannes „ Lucius.

XXXIII. Murtagoni Uladimirus Bulgariæ Rex ſuccedit. Qui in ſuperiorem Pannoniam anno 827. invaſit. Ludovicus Boieus anno 828. contra ipſum a Ludovico Pio patre mittitur. Captivorum Macedonum, & in primis *Baſilii*, in patriam reditus.

Porro quo tempore a Græcorum Imperio Dalmatæ defecerunt, Murtagon Bulgarus anno 824. Legatos ad Ludovicum Auguſtum miſit, de terminis ac finibus Bulgaros inter & Francos conſtituendis. Sed ii in Ludovici comitatu diu detenti, tandem re infecta dimiſſi ſunt anno 826. quum Nuncius veniſſet, Bulgarum interemptum fuiſſe, vel certe regno abactum a quodam e proceribus, licet de hac re nihil certi adhuc conſtaret, uti ſupra ex Francorum Annalibus diximus. Vero tamen ſimile eſt (inquit Cangius) eum, a quo Mortagon interemptus, quique ei ſucceſſiſſe dicebatur, fuiſſe *Baldimirum*, ſeu *Uladimirum*, Crumi ex filio nepotem, & *Simeonis*, qui poſt *Borizem* regnavit, parentem. Quippe ſub Imperatore Theophilo, qui Impe-

Digitized by Google

Imperium ſub anni 829. exitum accepit, regnaſſe traditur a Leone Grammatico pag. 458. atque is cenſeri debet, qui in ſuperiorem Pannoniam, neque Francis, neque Balderico Foro-Julienſi duce, cui harum provinciarum a Ludovico Auguſto demandata erat præfectura, obſiſtentibus, anno 828. irrupit: unde poſtmodum Baldericus ab eodem Ludovico dignitatibus omnibus exutus eſt, quemadmodum ſupra ex Eginhardo narravimus. Juvat hic verba Leonis Grammatici recitare, qui de Baſilio Macedone, quæ fuerit ejus educatio & unde fuerit ortus, ſic ſcribit pag. 458. edit. Paris. " Is Macedoniam habuit patriam in Adriano-
„ poleos pagis ſub Michaelis Rhangabe, Ignatii Patriar-
„ chæ parentis, Imperio. Ejus tempore Crummus Bulga-
„ riæ princeps adverſus Chriſtianos arma movit; & Mi-
„ chaele in fugam verſo, Leoneque Armenio ſubinde tyran-
„ nidem arripiente, & imperante, profectus Crummus,
„ Urbem obſedit. A Leone autem Armenio (*imo ab aliis*
„ *in domunculis Gallæ deliteſcentibus*) telo petitus, &
„ in Bulgariam reverſurus, miſit qui ad Sancti Mamantis
„ loca prædas agerent, & animalia ærea ibidem poſita ra-
„ perent. Inde Adrianopolim declinans, armorum vi ce-
„ pit, & virorum millia (*a*) duodecim abſque mulieribus
„ tranſtulit, & eos Danubium juſſit habitare. Tempore de-
„ inde Theophili Imperatoris erat Magiſter militiæ Cordy-
„ les nominatus in Macedonia. Is habebat filium, Bardam
„ nomine, & virili ætate provectum, quem vice ſua Ma-
„ cedonibus trans Danubii fluminis ripas habitantibus do-
„ minari reliquit. Ipſe quodam invento & arte, ad Theo-
„ philum acceſſit, quem gaudens excepit, & eo quod ex-
„ petebat cognito, ut navigia conſequerentur & in urbem
„ redirent, mandavit. Erat porro Baldimer Bulgariæ
„ princeps, Crummi nepos, & pater Simeonis, ἦν δὲ
„ ἄρχων Βυλγαρείας Βαλδίμερ, ἔγγονος Κρύμυ πατὴρ Σιμεῶνος

Ca-

a In Synaxario Græcor. ad 22. Jan., ἐπεὶ δὲ Κρῦμος ἐγκρατὴς ἐγένετο τῆς πόλεως ἐξέβαλον ἔξω πάντας Χιλιάδας τὸν ἀριθμὸν Τεσσαράκοντα. *Poſtquam vero Crummus urbem cepit, Captivos inde eduxit omnes, numero quadraginta millia;* hyperbolice.

„ Captivorum vero turmæ de reditu in Romaniam cum „ uxoribus & filiis inierunt conſilium, & Michaele Bulgaro verſus Theſſalonicam profecto, cum facultatibus ſuis „ trajicere cœperunt. Quod quum reſciſſet (*a*) Crumus, „ in adverſam fluminis ripam tranſiit, bellum illaturus. „ Macedones re deſperata, Tzantzem & Cordylem ſibi „ Duces præficiunt, & conſerto prælio, quoſdam occiderunt, quoſdam etiam captivos abduxerunt. Bulgari qui „ trajicere non potuerunt, res a Macedonibus geſtas annunciaturi, ad (*b*) Hungaros deflexerunt, *περιερρύηκασι τοῖς οὔγγροις*: interim navigia ab Imperatore miſſa captivoſque ſuſceptura ut in urbem deveherent, appulerunt, „ & una pariter Hunni numero infiniti adventare viſi ſunt. „ Macedones iis conſpectis, cum lacrymis vociferabantur „ dicentes: Deus Sancti Adriani, ſuccurre nobis; & ad „ belli pugnam una ſe præpararunt. Turci vero dicebant: „ ſupellectilem omnem veſtram tradite, & quo deſideratis, abite. Non conſenſerunt illi; verum diebus continuis tribus ad prælium parati conſiſtebant: quarta vero „ navigia conſcenderunt. Eo cognito, Turci ab hora diei „ quinta ad veſperam uſque prælium inierunt, eorumque „ gens fugantibus Macedonibus terga dedit. Inſequenti „ die diſceſſum illis aggredientibus, Hunni rurſum ad „ prælium diſpoſiti apparuerunt. Macedonum vero quidam nomine Leo, ex Gemoſtorum genere, qui deinde „ Hetæriarches fuit, ſumptis animis ſe oppoſuit: adjunctique alii Macedonum præcipui adverſarios in fugam „ verterunt, & impetum in eos fecerunt, ac tandem reverſi, naves Imperatorem adituri repetierunt incolumes, & humaniter ab eo recepti, in Macedoniam patriam ſibi propriam regreſſi ſunt. Erat autem Baſilius „ æta-

a *Crummus*. μαθὼν δὲ ὁ Κόμας τοῦτο, *quod quum reſciſſet Comes*. Ita in textu. At in margine, Κροῦμος: non recte. Nam Theophilo imperante, *Crumus* jam obierat, & poſt eum alii Bulgarorum Principes: ac proinde legendum, Βωγόρις, Bogoris Michael Bulgarus, qui tunc regnabat, & Theſſalonicam verſus abierat.

b *Hungaros*. Nimirum ſermo eſt de *Hunnis Iguris*, qui & *Hunni* abſolute, & *Turci*, & *Hunni Abares* vocantur: de quorum nomine ea regio *Hunnia* appellabatur, & *Avaria*.

„ ætate juvenili florens, e captivitate redux; in qua Leo-
„ nis Imperatoris & Michaelis Amorii toto tempore per-
„ manſit, & Theophilo imperante rediit: adeoque anni
„ ejus numerabantur viginti quinque. Patriæ propriæ re-
„ ſtitutus, Macedoniæ Duci, cognomento Tzantzi, ob-
„ ſequium redditurus, adhæſit, a quo nihil emolumenti
„ accepto, Urbis Regiæ experiri cupiens ubertatem, ad
„ eam profectus eſt. „ Pergit Leo Grammaticus differens de Baſilii in urbem ingreſſu, aliiſque rebus geſtis, quæ ad rem noſtram non faciunt. Quod vero de Baſilio & Macedonibus captivis ſcribit, ſub Theophilo Imp. ad patriam reverſis, id Conſtantino Porphyrogenito aliiſque Græcis ſcriptoribus ſupra laudatis repugnat, a quibus ſub Murtagone Bulgaro, & Leone Armenio illud factum narratur. Eſto enim, aliqui e Macedonia Chriſtiani, in captivitate Bulgarorum degentes, Theophili temporibus & Bladimero Bulgaris imperante, eo quo Leo Grammaticus ſcribit modo, in patriam redierint, at Baſilium adhuc puerulum cum multis captivis ſub Murtagone, eodemque conſentiente, Adrianopolim rediiſſe, certum eſt ex Porphyrogenito, ipſius Baſilii ex filio nepote: qui proinde tam Leone Grammatico, quam Curopalata & Cedreno, Baſilium, dum adhuc in Bulgaria verſaretur, ex pueritia adoleſcentiam ingreſſum eſſe ſcribentibus antiquior eſt, & hac in re fide dignior.

XXXIV. Chazaria Romano Imperio ſubjecta, Chagano petente. Situs Zechiæ, Papagiæ, Chazachiæ, Alaniæ, & Abaſgiæ.

Idem Porphyrogenitus ſub Theophilo, qui Michaelem Balbum excepit, reparatas Romanæ ditionis jacturas teſtatur, Chazaria, pro Dalmatia, Romanis ſubjecta. Sic enim ſcribit in Chronogr. lib. 3. num 28. " Eodem fere
„ tempore (*hoc eſt, circa ann. Chr. 836.*) Chaganus
„ Chazariæ ac Pechus, ὅ, τε Χαγάνος Χαζαρίας, καὶ ὁ πὲχ,
„ miſſa legatione Imperatorem rogant, ut caſtrum Sarcel
„ nuncupatum (quod interpretatione nominis, λευκὸν
„ ὄικημα, *Domus Candida* dicitur) ipſis ædificet. Porro
„ locus eſt ad Thanaim fluvium, quo hinc inde Patzina-
„ ces & Chazaritæ diſterminantur; ubi & Chazaritæ præ-
„ ſidiarii trecenti, commutatis vicibus per tempus, alii
„ aliis ſubſtituti, ſtationem habent. Horum poſtulatis an-

„ nuens.

„ nuens Imperator, Petronam Camateri ſic dicti, Spa-
„ tharocandidatum cum claſſe Regia, & Paphlagoniæ
„ Capitaneo miſit, rem præſtituros, quam illi rogaverant.
„ Ubi autem Cherſonam appulſus eſt, longiores naves in
„ terram ſubductas, illic in ſtatione relinquit: rotundis
„ vero impoſitas copias, ad Tanaim uſque, quo loco ex-
„ truendum illis oppidum erat, trajecit. Quia autem lo-
„ cus lapides non habebat, ex fluvii glarea calcem fudit,
„ exque ſubjecta humo lutum in lateres excoquens, ar-
„ dua quidem molitione, laborantium tamen multitudine,
„ magnifice perfecto opere, domum redit. Reverſus ve-
„ ro Petronas, Imperatorem de Cherſona monet, ut qui
„ gentis mores locique gentium expertus didicerat: non
„ aliter regionis oppidorumque pleno jure compotem fore,
„ quam ſi proprium urbi gentique Præſidem Ducemque
„ præficeret; non indigenis Principibus, ac primatibus
„ res ſuas crederet. Hactenus enim nemo, regionem
„ procuraturus, Conſtantinopoli Præſes mitti ſolebat; ſed
„ quem illi primatem vocant, una cum Patribus civitatis,
„ cuncta gubernabat. Imperator approbato conſilio, ipſum
„ quem diximus, Petronam, uſu regionis peritum judi-
„ cans, Protoſpatharii dignitate auctum, Præſidem mit-
„ tit; Primario, ac reliquis civibus imperans, ut nulla
„ tergiverſatione miſſo Præſidi obaudiant. Hincque per-
„ crebuit, ut Præſides Cherſonæ præficiantur. Atque in
„ eum modum, tum præſidium Sarcel exſtructum eſt,
„ tum deinceps miſſi Byzantio Cherſonam Præſides. „
Hanc ipſam de caſtro Sarcel, Chazarorum oppido, deque
Cherſona, & Petrona Præſide, narrationem idem Porphy-
rogenitus exhibet in lib. de admin. Imp. cap. 42. hoc præ-
fixo titulo: " Deſcriptio tractus a Theſſalonica uſque ad
„ flumen Danubium & urbem Belegradam; Turciæque &
„ Patzinaciæ uſque ad Chazarorum urbem Sarcel, & Ruſ-
„ ſiam, & Necropylas, quæ ſunt ad Pontum, prope
„ Danaprim flumen; Cherſonis item, atque Boſpori, ubi
„ Climatum ſeu regionum urbes ſunt: deinde uſque ad
„ paludem Mæotidem, quæ ob magnitudinem mare ap-
„ pellatur; & ad urbem Tamatarcha dictam. Præterea
„ etiam

Digitized by Google

„ etiam Zechiæ, Papagiæ, Chazachiæ, Alaniæ, & Abaſ-
„ giæ, uſque ad Soteriopolim. „ Ibidem terminos Turcorum, ideſt Hunnorum, & Chazarorum, aliarumque gentium, prout ſuo tempore conſtituti erant, definiens: *A Theſſalonica* (inquit) *uſque ad Danubium flumen, in quo urbs Belegrada, octo dierum iter eſt, ſiquis non feſtinanter, ſed interquieſcens proficiſcatur, & habitant quidem trans Danubium flumen Turcæ in terra Moraviæ, atque etiam ulterius inter Danubium & Sabam fluvios. Ab inferioribus vero partibus Danubii, ex oppoſito Diſtræ, procurrit Patzinacia, eaque extenditur ad Sarcel uſque, quod Chazarorum oppidum eſt, in quo præſidiarii ſunt, ſingulis annis permutari ſoliti. Significat autem Sarcel apud ipſos,* ἄσπρον ὁσπίτιον, *Album Hoſpitium, quod ædificatum eſt a Petrona cognomine Camatero Spatharocandidato, Chazaris id a Theophilo Imp. petentibus. Chaganus enim ille & Chazariæ Pechus, miſſis ad eundem Imperatorem legatis, conſtrui ſibi oppidum Sarcel petierunt.* Tum vero, poſtquam caſtri illius ædificationem retuliſſet, ſubjungit regionum illarum accuratam deſcriptionem, quam hic apponere, operæ pretium duco; ut nimirum, quæ de populis illis narrantur, facilius intelligi queant. *A Danubio flumine ad urbem laudatam Sarcel uſque, iter eſt dierum ſexaginta: interjacent vero complures fluvii, quorum maximi duo, nimirum Danaſtris, & Danapris; reliqui ſunt, Syngul, Hybul, Almatæ, Cuphis, Bogu, aliique quamplurimi. Et ſuperioris Danapreos fluminis partes Ruſſi accolunt, per quod navigantes, ad Romanos proficiſcuntur. Patzinacia autem Ruſſiam univerſam & Boſporum complectitur uſque Cherſonem, & uſque Sardt, Burat, & triginta partes. Maritima vero ora a Danubio flumine ad Danaprim uſque, continet millaria* 120. *Danaſtris a Danapri diſtat milliaria* 80. *illudque Aureum litus appellatur. Ab oſtio fluminis Danapreos, Adaru occurrunt, ibique magnus ſinus eſt, qui Necropyla nuncupatur, quem plane tranſire nemo poteſt. Et a Danapri Cherſonam uſque, milliaria ſunt* 300. *& in medio Paludes ac Portus, in quibus ſalem Cherſonitæ conficiunt. A Cherſone ad Boſporum, cli-*

matum urbes ſunt; diſtantque milliaria 300. Et a Boſporo, paludis Mæotidis oſtium eſt, quæ & mare ab omnibus propter magnitudinem nuncupatur, influuntque in illam fluvii magni multi magnique. Ad ſeptentrionem habet Danaprim fluvium, ex quo Ruſſi proficiſcuntur in nigram Bulgariam, Chazariam, & Syriam. Atque ille ipſe Mæotidis ſinus pertingit e regione Necropylarum uſque, quæ a Danapri abſunt milliaria circiter 4. ibique miſcetur, ubi veteres mare trajiciebant ducta foſſa per mediam Cherſonam, regiones & Boſpori terram, quæ mille aut amplius milliaria occupabat: ſed temporis tractu ea obruta, in ſilvam denſam converſa eſt, & duas tantum vias habet, per quas in Cherſonam, Boſporum, & (a) Regiones, τὰ κλίματα, Patzinacitæ proficiſcuntur. Ad Orientaliorem vero Mæotidis paludis partem fluvii quamplurimi eam ingrediuntur, ut Tanais, qui a Sarcel venit, & Choracul, in quo Oxiani piſcis captura eſt, itemque alii fluvii, Bal, Burlio, Chader, atque alii complures. Sed eſt & Mæotidis paludis oſtium, quod Burlic cognominatur, & in Pontum defluit; ubi Boſporus eſt, cui oppoſita urbs Tamatarcha nuncupata: prædictum autem oſtium eſt trajectu octodecim milliarium, & in medio octodecim milliarium inſula magna & depreſſa eſt, quæ Atech nuncupatur. A Tamatarcha 18. aut 20. milliaribus, fluvius eſt Ucruch appellatus, qui Zichiam & Tamatarcha ſeparat. Ab Ucruch uſque Nicopſin flumen, in quo etiam urbs ejuſdem nominis appellatur, Zichia eſt, ad ſpatium milliarium 300. Supra Zichiam, Papagia regio jacet; ſupra Papagiam, Caſachia: ſupra Caſachiam, mons Caucaſus: ſupra montem Caucaſum, Alania regio. Zichiæ autem ora maritima inſulas habet, unam.

---

a τὰ Κλίματα. Ita vocantur novem regiones Chazarorum, de quibus Porphyrogenitus de Adm. Imp. cap. 10. *Chazaris bellum inferre Uzi poſſunt, utpote conterMINI. Sic etiam Princeps Alaniæ, quia novem Chazariæ regiones, τὰ ἐννέα κλίματα τῆς Χαζαρίας, Alaniæ adjacent.* Ex cap. 11. *Alaniæ Principe cum Chazaris pacem non habente, ſed Imperatoris Romani amicitiam potiorem ducente, ſi illi in amicitia & pace perſeverare nolint, poteſt ille ingenti Chazaros damno afficere, in viis excubando, & ex improviſo illos aggrediendo, dum ad Sarcel, & ad Regiones, τὰ Κλίματα, & Cherſonam proficiſcuntur.*

unam magnam, & tres parvas, intra quas & aliæ ſunt inſulæ a Zichis cultæ habitatæque, puta Turganerch, & Tzarbaguni; & ad Pteleas alia, in quam, Alanis invadentibus, Zichi confugiunt. Quæ vero mari adjacet regio a complemento Zichiæ ſive Nicopſis fluvii, uſque ad urbem Soteriopolim, Abaſgia eſt; ſuntque milliaria trecenta. Hactenus Porphyrogenitus. Per eam occaſionem, qua Præſes Romanus in urbem Cherſonam mittebatur, videtur Chazaris Evangelium poſtea per ſanctum Cyrillum fuiſſe annunciatum, ut mox dicam.

XXXV. Bogoris Bulgarorum Rex poſt Uladimirum: pacem cum Theodora Auguſta firmat. Recepta ſorore, Theodorum Cupharam eidem Theodoræ reſtituit. Chriſti fidem amplectitur.

Baldimiro (ſeu potius Uladimiro) *Bogorim* ſucceſſiſſe in regnum Bulgarorum, conſtat: quo tamen anno, nihil certi tradunt Scriptores. Unde etiam incertum, an *Bogoris* ſit, an vero *Bladimirus*, quem anno 845. & 852. legatos ad Ludovicum Germaniæ Regem miſiſſe, & in quem eundem Ludovicum anno 853. arma moviſſe, ex Annalibus Francorum ſupra diximus. Id demum conſtat, *Bogorim* tum primum apud Byzantinos ſcriptores memorari, Michaële Theophili filio imperante, cui quum ob puerilem ætatem ſub Theodoræ matris tutela imperium adminiſtranti, per nuncios bellum indixiſſet Bogoris, Theodora virili fœmina animo, audax dedit reſponſum; mutatoque ille conſilio, priſtina cum Græcis pacta inſtauravit. Simeon Logotheta præmittit motum a Bulgaris in Romanos ſub iiſdem Michaële, ac Theodora bellum, inquiens: *Anno ejus* (Michaelis cum Theodora matre) *undecimo*, (h. e. Chriſti 852.) *Sancto Patriarcha* (a) *Methodio defuncto, ejus loco ordinatur Ignatius, Michaelis Curopalatæ quondam Imperatoris filius. Bulgaris autem Thraciam ac Macedoniam infeſtantibus, expeditis Theodora cohortibus, eorum inhibuit impetum ac repreſſit.* Idipſum ſcribit Leo Grammaticus pag. 460. *Bulgari autem factis per Thraciam & Ma-*

a Sibi ipſe repugnat Simeon Logotheta, dum annum Michaelis xı. componit cum obitu Methodii & ordinatione Ignatii Patriarchæ: nam Methodio die 14. Junii anni 846. defuncto ſucceſſit Ignatius: at annus Michaelis cum Theodora quidem *undecimus*, incidit in annum Chr. 851. Solius autem Michaelis annus undecimus, poſtquam Theodora Cœnobio fuit incluſa, congruit anno Chr. 867. (ante diem 24. Septembris, quo die cæſus fuit, Indict. 1. hora noctis tertia, uti Porphyrogenitus ſcribit) qui tamen annus longe diſtat a morte Methodii, & a prima poſt Methodium Ignatii inauguratione.

& Macedoniam excurſionibus, provincias illas devaſtabant. Theodora in adverſum præſidia diſpoſuit. Milites porro ad Bulgariæ caſtra poſiti, Bulgaros per globos & cohortes aggreſſi, per eorum regionem deprædabantur, & his occiſis, aliis in captivitatem abductis, Bulgaros & eorum regionem reddidere ſubjectam. Idem Leo Grammaticus de Bogori ac Theodora num. 21. pag. 436. non expreſſo anno, antea hæc ſcripſerat: *Adhuc Theodora rerum potiente, Bogaris Bulgarorum Dux,* Βόγαρις ὁ ἄρχων Βυλγαρίας, *mulierem audiens Imperii Romani clavum tenere, nunciis ad eam miſſis, denunciat, pacis rupto fœdere, aciem ſe adverſus Romanos educturum. Cui illa: noveris, inquit, me quoque juſtis copiis viciſſim educturam, foreque ſperamus, ut tui potiamur: ſin minus, ſic quoque tui potiar, clara mihi conſtante victoria, quod mulierem, non certe virum, abs te victum habiturus ſis. Eo reſponſo mitior Barbarus factus, pacem coluit, ac dilectionis fœdera renovavit.* Rem eandem narrat Porphyrogenitus in Chronogr. lib. 4. num 13. *Cæterum Bulgariæ princeps,* Βόγωρις ἔτος ὤν, *Bogoris nomine, audito fœminam rerum potiri, ferocius ipſe efferri. Miſſis itaque ad Theodoram nunciis, minatur, rupto fœdere adverſus eam ſe copias educturum. At illa nihil muliebre aut non ſatis virile in animum inducens, ita renunciavit: me quoque viciſſim adverſum te offendes copias educentem, nec me victoria poti-turam diffido. Sin autem minime contigerit, ipſeque me viceris, ſic quoque ipſa ſuperavero, penes quam manifeſta victoriæ jura futura ſint, quum tibi non vir, ſed mulier victa conceſſerit. Hoc reſponſo perterritus Barbarus, nihil ferocius moliri auſus, amicitiæque rurſus fœdera renovavit.* Videntur hæc geſta ſub initium Imperiii Theodoræ, atque adeo circa annum Chriſti 843. quo tempore, nimirum ſtante inter Bulgaros, & Romanos foedere, ea contigiſſe exiſtimo, quæ de Theodoro Cuphara atque ſorore Bogoris Bulgarorum Principis Leo Grammaticus num. 22. ſic ſcribit
" Inquirente Theodora de Monacho Theodoro Cu-
" phara, diu ante in captivitatem abducto, Bogaris quo-
" que arrepta occaſione de ſorore ſua perinde captiva, in-
" que

Digitized by Google

„ que Imperatoris Aula detenta, ſignificat. Didicerat
„ hæc literas ac Chriſtianorum ordinem, ergaque Deum
„ venerationem ac fidem. Nacta igitur ut ad fratrem re-
„ verteretur, nullum ei laudandæ rei Chriſtianæ finem
„ faciebat, ac fratrem hortandi, ut ad veram fidem ani-
„ mum transferret: quamquam is, qua laborabat incre-
„ dulitate, ad veritatem hactenus oculos aperire noluit.
„ Verum fame regionem omnem late devaſtante, neceſſe
„ habuit tranſgredi Romanorum fines; „ Nimirum tunc
Bulgari ea in Romanorum ditione fecerunt, quæ ad annum Michaelis ac Theodoræ undecimum, Chr. 852. ſupra ſunt expoſita. Sic enim Leonis Grammatici verba intelliguntur, quibus ait: *Verum fame regionem omnem late devaſtante, neceſſe habuit tranſgredi Romanorum fines*, hoc eſt, eos populari. At Porphyrogenitus hanc ipſam narrationem videtur loco non ſuo retuliſſe: nimirum ad annum quartum Michaëlis ac Theodoræ, Chriſti 845. ubi captivorum commutationem famemque Bulgariæ ingruentem cum ipſius Bogoris ad Chriſti fidem converſione perperam conjungit, inquiens: " Inter hæc Theodora omni diligentia perquiren-
„ dum ſtatuit (ſic nuncupatum) Theodorum Monachum,
„ cognomento Cupharam, ſive quibuſdam inſomniis viſo-
„ que monita, ſive alia ratione inducta. Is vero diu an-
„ te inter captivos fuerat abductus. Mittit ergo ad Bulga-
„ riæ Principem, datiſque literis rogat, ut hominem ſe-
„ dulo perquiri jubeat, quo libuerit pretio ex ipſo redi-
„ mendum. Ille viciſſim occaſionem nactus, miſſis Le-
„ gatis ſororem ad ſe remitti petit, Romanorum quon-
„ dam excurſionibus captam, & quæ tunc in Aula ſervare-
„ tur. Hæc itaque ad Chriſti fidem probe translato animo,
„ doctaque literas per eas captivitatis moras, omnemque
„ præterea Chriſtianorum ordinem, inque Deum reveren-
„ tiam ac de illo opinionem [uti par eſt] plurimum ad-
„ mirata, quum ad fratrem reverſa eſſet, nullum unquam
„ finem faciebat prædicandæ illi Chriſtianæ inſtitutionis, &
„ obſecrandi, fideique ac pietatis in eo ſemina jaciendi,
„ Ille jam pauca quædam ab eo, quem diximus, Cuphara
„ didicerat, primæque inſtitutionis rudimenta audierat.
„ Miſſo

„ Miſſo itaque Monacho , commutationis jure Sororem „ recepit . Manſit tamen id quod erat, infidelitate ſcilicet „ laborans , ſuæque adhuc cultor ſuperſtitionis . Cæterum „ plaga quædam divinitus illata (famis ſcilicet : ſic enim „ comparatum , ut qui addictiore indole , craſſiorique „ ingenio ſunt ac terreni , erudiantur , malaque dedoceantur) illius infeſtans regionem, direque affligens , Deum „ (cujus ſæpius , ut par eſt , Theodorus , Sororque laudes proſequuti eſſent , ac cujus erant cultores) malorum depulſorem invocare cogit . Quo a malis liberante , Bogoris veram amplectitur fidem , ac lavacrum regenerationis ab Epiſcopo , qui ab Urbe Regia miſſus fuerat , conſequutus , ex Imperatoris nomine Michael „ appellatur „ Verum perturbatus heic & confuſus narrationis ordo . Nam fames , quæ regionem Bulgaricam devaſtabat , coëgit quidem Bogorim , ut cum ſuo exercitu in Romanam ditionem invaderet , quemadmodum Simeon Logotheta ſcribit ; non tamen , ut invocato Deo ſtatim Chriſtianus fieret , quemadmodum verba Porphyrogeniti indicant , qui proinde errandi cauſam dedit non ſolum Curopalatæ , Cedreno , & Zonaræ , ut cum fame invocationem Dei & converſionem Bogoris copularent, iis verbis : " Princeps ea de cauſa æger et animi dubius , ad eum „ confugit , qui ſibi a Sorore annunciabatur , eumque depulſorem famis & interitus populi invocat : quæ invocatio quum depulſis malis efficax eſſet , cognita invocati „ numinis potentia , petiit mitti ſibi aliquem , a quo arcanis Chriſtianæ religionis erudiretur , & ſacro Baptiſmate initiaretur : idque miſſo Pontifice factum eſt „ non ſolum , inquam , errandi occaſionem Curopalatæ, Zonaræ , ac Cedreno dedit : ſed etiam Baronio , Henſchenio in elogio Theodoræ Auguſtæ ad diem XI. Febr. quo a Græcis colitur § . IX. aliiſque fere omnibus hiſtoricis recentioribus, ut Bulgarorum ad Chriſti fidem converſionem anno Chr. 845 . Michaëlis ac Theodoræ 4. factam aſſererent . Ex illa fame id tantummodo conſequutum eſt , ut Bogoris in Romanos invaderet , & a Romanis reprimeretur : facta autem pace , & ſubminiſtratis Bogori ejuſque genti

genti neceſſariis alimentis, cogitare coepit Bogoris de Chriſtiana Religione amplexanda; non tamen id exequutus eſt, niſi anno Chriſti 865. uti Tomo ſequenti demonſtrabo, ubi de Bulgarorum converſione ſermo erit.

FINIS TOMI SECUNDI.

IN-

Digitized by Google

INDEX
TOMI SECUNDI.

CAPUT I. Slavi, & Abares Hunni ſub Regibus Francorum, uſque ad Caroli Magni tempora Slavos a Gothis, Winidis, & Hunnis Abaribus longe differre. pag. 1.

I. Prologus. pag. 1.

II. Hunni Abares in Thuringiam invadunt, temporibus Sigeberti Francorum Regis. Bis cum Francis confligunt: pacem demum componunt. pag. 2.

III. A Brunichilde Regina acceptis muneribus, e Thuringia, in quam excurrerant, ad Pannoniam Hunni Abares revertuntur: Bajoarios Sclavi ſuperant. pag. 4.

IV. Dagobertus Francorum Rex Sclavos & Abares intra ſuos limites conſiſtere compellit. ibid.

V. Sclavi Vvinidi in Hunnos Abares conſpirant, eoſque ſuperant: Samonem, natione Francum, ſibi Regem conſtituunt. ibid.

VI. Dagobertus Francorum Rex adverſus Samonem Sclavorum Vvinidorum Regem dirigit exercitum ex Alemannis, Langobardis, & Auſtraſiis conflatum. Auſtraſii profligantur. pag. 5.

VII. Bulgari ab Hunnis Abaribus e Pannonia expulſi, in Bajoariam ſe recipiunt, ubi omnes ad unum, juſſu Dagoberti, interficiuntur. pag. 8.

VIII. Saxones Dagoberto Regi promittunt, Francorum limitem ab Hunnis Abaribus ſe defenſuros, ſi tributo levarentur. Illis tamen tributo liberatis, nec promiſſa ſolventibus, Sigeberto filio Auſtraſiis Rege impoſito, Dagobertus Sclavorum incurſionibus occurrit. pag. 9.

IX. Sclavi, Hunni Abares, Vvinidi & Gothi, origine & lingua differunt, etſi commiſta eorum nomina apud Scriptores occurrant. Farlatus, vir doctiſſimus, auctor Illyrici ſacri laudatur. p. 11.

X. Slavi Vvinidi differunt ab aliis Slavis, quibus Bajanus Hunnorum Abarum Rex imperabat. Notatur proinde cl. Farlatus. p. 15.

XI. Marana Schiſmaticorum Epiſcoporum Synodus apud Mauricium Imp. agit, ne Francorum Epiſcopi in terris Hunnorum & Sclavorum Epiſcopos mitterent aut conſecrarent. pag. 19.

XII. Sanctus Columbanus ad Vvinidos Slavos proficiſci cogitavit, ut illos Chriſtiana fide imbueret: ab Angelo tamen intellexit, nondum adveniſſe opportunum converſionis eorum tempus. Euſtaſius Columbani diſcipulus Bojos nonnullos convertit: Rupertus Juvavienſis Epiſcopus plenius per Bavariam fidem diſſeminavit. Sanctus

Digitized by Google

ctus Amandus ad Sclavos penetravit. Pauci Sclavi ſub Dagoberto Chriſtianam fidem amplexi. pag. 21.
XIII. Animadverſiones in ea quæ de Slavis Vvinidis in vita S. Virgilii Epiſcopi Salisburgenſis narrantur; ac præſertim de Samone Slavorum Rege, deque primis Carinthiæ Ducibus. pag. 23.
XIV. Epitome Chronici Slavorum ab Helmoldo Presbytero Buzovienſi conſcripti circa Chriſtianam fidem a Slavis Vvinidis ſuſceptam temporibus Caroli Magni. p. 25.
XV. Reges Winidorum Slavorum Pippino Francorum Regi opem adverſus Saxones rebellantes ferunt. p. 29.
CAPUT II. Slavi, & Abares Huuni temporibus Caroli Magni. p. 31.
I. Slavorum Winidorum multitudo anno Chr. 780. baptiſmum ſuſcepit. Saxones quoque Baptiſmo, licet ficte, abluuntur. p. 31.
II. Reges Hunnorum Abarum, & Igurorum legatos ad Carolum Magnum mittunt anno 782. p. 33.
III. Sclavorum Soraborum, & Saxonum contumaciam Carolus Magnus anno 782. comprimit. p. 34.
IV. Hunni Abares commiſſo cum Francis in Italia, & cum Bajoariis in Germania bello, utrobique profligantur anno 788. p. 35.
V. Slavi Wilſi, quorum Rex Witzan, anno 789. a Carolo Magno ſubjugantur. p. 36.
VI. Hunnorum cum Francis circa limites anno 790. altercatio. p. 38.
VII. Reportata a Carolo M. de Hunnis Pannoniæ anno 791. victoria. p. 38.
VIII. Saxones Chriſtianam fidem, quam acceperant, ejurantes, miſſa ad Hunnos Abares legatione, illos ad arma in Francos convertenda anno 792. ſollicitant. p. 41.
IX. Ponte navali ſuper Danubium conſtructo Carolus Magnus dum copias ſuas anno 793. in Pannoniam mitteret, hæ a Saxonibus interceptæ delentur. p. 42.
X. Witzan Slavorum Vvilſorum & Abotritorum Rex dum ad Carolum M. tamquam fœdere junctus accederet, a perfidis Saxonibus anno 795. cæditur. Carolus M. Saxoniam vaſtat, & acceptis obſidibus in Franciam revertitur. Tudo ſeu Theudo Hunnorum Abarum Rex Legatos ad Carolum mittit, ſeque cum ſuis fidem Chriſti ſuſcepturum ſpondet. p. 43.
XI. Theudo cum Hunnis Abaribus ſuis baptizatur, Alii Abarum Principes inteſtina clade pereunt. Henricus Dux Forojulienſis cum *Svonimiro* Sclavo in Pannoniam ingreſſus, Abares ſuperat, eorumque theſaurum, Ringum dictum, ſpoliat, & ad Carolum M. anno 796. mittit. p. 45.
XII. Hunni in Pannonia alii Abares, alii Iguri; pluribus etiam Regulis ſubjecti. De Hunnorum ad Chriſti fidem converſione, Epiſtola Alcuini ad Paulinum Patriarcham Forojul. & carmen

Theodulfi Aurelian. Epiſc. ad Carolum. Quiſnam Svonimirus Slavorum Princeps? p. 48.

XIII. Hunnorum Abarum legati cum muneribus ad Carolum anno 797. miſſi. p. 51.

XIV. Thraſico Slavorum Abotritorum Dux commiſſo cum Northalbingis, ſive Tranſalbianis, qui Legatos Caroli Regis occiderant, prælio, victor exiſtit. Slavi illi adhuc erant gentiles, Carolo tamen ſubjecti. Ibid.

XV. Sclavi & Bajoarii deſertam Hunnorum in Pannonia terram inhabitare incipiunt anno 798. In Juvavia ſive Salisburgo Archiepiſcopalem dignitatem Arno, qui jam Epiſcopus fuerat, obtinens, ordinatum a ſe Theodoricum Epiſcopum, & a Geroldo Comite perductum, mittit in Sclaviniam, ut regionem Carinthianorum Evangelica luce imbueret. p. 53.

XVI. Quinque Confinii Comites in Pannonia, Hunnis partim expulſis, partim ſubjugatis, a Carolo Magno conſtituti. p. 54.

XVII. Boji & Carantani ad Chriſti fidem converſi, opera Antiſtitum Juvavenſium, & Comitum Confinii, quos Carolus conſtituerat. Bollandi ſententia. p. 55.

XVIII. Geroldus Bajoariæ, & Henricus Forojulianorum Comites ab Hunnis Abaribus a fide, quam promiſerant, deficientibus, interficiuntur anno 799. Carolus Magnus bello Hunnico anno 791. inchoato, finem imponit anno 799. p. 58.

CAPUT III. Hunni Slavi, Sorabi, Abotriti, Saxones, a Carolo Magno devicti. Slavi in Pannonia, Slavinia, & Bohemia. Chrobati e Dalmatia in Pannoniam & Illyricum Carolo ſubjectum ſecedunt. Slavi & Hunni ab Arnone Archiepiſcopo ad Chriſti fidem converſi. Lechus & Zechus, Polonorum & Bohemorum conditores. p. 60.

I. Zodan Princeps Pannoniæ, multique Sclavi, & Hunni Carolo ſe ſe dedunt. Carolus Pannoniæ vacuæ per immiſſas Colonias vicinarum gentium, maxime Bojorum, conſulit. Ibid.

II. Chrobatorum pars, qui in Dalmatiam, ejectis Abaribus, ſub Heraclio Imp. venerant, permiſſu Caroli Magni, in vacuas Pannoniæ ſedes, poſt devictos Hunnos, ſeceſſit circa ann. 803. p. 61.

III. Carolus M. Imperator inſtructionem Slavorum & Hunnorum in Sclavinia, ideſt in partibus Carinthianis atque inferioris Pannoniæ, tam Arnoni Archiepiſcopo Salisburgenſi, quam Ducibus atque Comitibus, & præſertim Ingoni, committit. Ab hoc Ingone plurimi magnates ad fidem adducuntur anno 803. Ibid.

IV. Thraſico ſive Thraſuc, Rex Slavorum Abotritorum, ſub Caroli M. clientela. Finis belli Saxonici a Carolo M. ſuſcepti, quod per annos 33. duraverat. Decem hominum millia ex iis, qui utraſque ripas Albis fluminis incolebant, inde tranſlati, per Gal-

Digitized by Google

liam & Germaniam diviſi. Ea conditio a Carolo Saxonibus propoſita, & ab illis ſuſcepta, ut abjecto idolorum cultu, Chriſtianam fidem amplecterentur, & Francis adunati, unus cum eis populus efficerentur. p. 62.

V. Theodorus Hunnorum Abarum Rex Chriſtianus, a Sclavis Bohemis infeſtatus, ſedes obtinet a Carolo M. inter Sabariam & Carnuntum. Ei mortuo ſuccedit alter Hunnorum Rex, cui idem Carolus ſummam Regni in omnes Hunnos concedit: & miſſo adverſus Bohemos Slavos exercitu, eorum regionem vaſtat, ducemque Lechonem interficit, anno 805. p. 64.

VI. Martini Cromeri ſententia circa Lechonem Bohemorum Ducem, a Carolo Caroli Magni filio interfectum anno 805. quem putat eſſe Leſconem ſecundum, tertii patrem, qui Primislao ſive Leſconi primo, Polonorum ſimul & Bohemorum Regi ſucceſſerit. p. 66

VII. Slavi omnes in Scythia & Sarmatia indigenæ; advenæ vero in Germania, Pannonia, Bohemia & Polonia. Lechus & Zechus, Polonorum & Bohemorum conditores, non e Croatia, neque e Dalmatia, aut Illyrico; ſed è Septentrionali plaga inter Viſtulam & Boryſthenem, in Bohemiam & Poloniam advenerunt. Cromeri ſententia refertur, ac probatur. p. 68.

VIII. Guagnini, & Matthiæ de Michovia ſententia de Lecho & Zecho. p. 72.

IX. Quid Farlatus, aliique recentiores ex Diocletana hiſtoria ſenſerint de Lecho & Zecho? Quid iidem de primis Dalmatiæ Regibus? p. 73.

X. Vera Polonorum & Bohemorum a Lecho & Zecho origo. p. 78.

XI. Quis Lecho ille a Carolo Rege Caroli Magni filio in prælio interfectus? Quidve ſentiendum de primis Bohemiæ ac Poloniæ Ducibus, quorum ſeries apud rerum Bohemicarum ſcriptores legitur? p. 82.

XII. Pax inter Francos, Venetos, & Græcos poſt varias diſceptationes ab anno 806. ad 810. circa Dalmatiæ fines. p. 86.

XIII. Sclavi Sorabi, & Bohemanni a Carolo Magno devicti. p. 91.

XIV. Danorum Rex una cum Slavis Wilſis, Linonibus & Smeldingis, in Slavos Abotritos invadit, quorum Duces Thraſico, & Godolaibus. p. 92.

XV. Thraſico Slavorum Abotritorum Dux, ſumta de Slavis Wilſis, & Smeldingis vindicta, dolo interficitur ab hominibus Godefridi Danorum Regis. Trans Albim a Carolo M. præſidium adverſus Danos ponitur. p. 93.

XVI. Slavi Wilſi caſtellum Albi flumini contiguum deſtruunt. Godefrido extincto ſuccedit Hemmingus filius in Regno Daniæ. p. 94.

XVII. Carolus Magnus, pace cum Nicephoro Orientis Auguſto & cum Hemmingo Daniæ Rege facta, tres exercitus mittit: primum

Trans Albim contra Slavos Wilſos: alterum in Pannoniam ad terminandas Hunnorum & Slavorum controverſias: tertium in Brittones. Canzaucus Abarum Princeps, Tudun, & alii Duces Slavorum circa Danubium habitantium, de Pannonia ad Caroli M. præſentiam accedunt. p. 95.

XVIII. Reges Daniæ poſt Hemmingi mortem, pacem a Carolo M. petunt. Fœdus ab eodem Carolo cum Michaele Nicephori Auguſti ſucceſſore confirmatum, & expeditio contra Slavos Vvilſos ſuſcepta. ibid.

XIX. Pax cum Daniæ Regibus facta, eiſque frater redditus. Michaeli ſuccedit Leo Bardæ filius Orientis Imperat. Carolus Magnus anno 814. moritur. pag. 97.

CAPUT IV. Hunni Abares, Slavi, Sorabi, Abotriti, Dalmatæ, Guduſcani, Timotiani, Chrobati, Vvilſi, Behemani, Moravi, Nordhmanni, Rhoſſi: ſub Ludovico Pio Imperatore. Ebbo Rhemenſis, Anſcharius Hamburgenſis, & Urolphus Laureacenſis, Archiepiſcopi, Danos, Svecos, Sclavos, Moravos, Hunnos, ad Chriſti fidem adducunt. pag. 98.

I. Ludovicus Pius, Caroli Magni filius, Saxones & Abotritos ad auxilium Heriolto ferendum adverſus Godefridi filios, Danorum Reges, mittit. Omnes Orientalium Slavorum primates & legatos ad ſe venientes anno 815. excipit. ibid.

II. Sorabi Slavi rebelles a Ludovico Pio domantur: Abotritorum legati audiuntur. p. 99.

III. Controverſia de finibus inter Dalmatas Romanos ſive Græcos, qui Imperatori Orientis parebant, & inter Slavos qui ad Francorum Regnum pertinebant, ſub Ludovico Pio & Leone Auguſto terminatur. Sclaomirus, poſt Thraſiconem, Abotritorum Slavorum Rex, cum Ceadrago Thraſiconis filio Regnum partiri renuit: & conjunctis cum filiis Godefridi Daniæ Regibus contra Herioltum, & contra Francos armis, Saxoniam invadit. ibid.

IV. Pax inter Beneventanos Duces, & Francorum Reges, quo pacto firmata? Legati Abotritorum, ac Bornæ Ducis Guduſcanorum & Timotianorum, necnon Liudevviti Ducis inferioris Pannoniæ, ad Ludovicum Pium. Liudevvitus cum Timotianis rebellat, & in regionem Carantanorum invadit: cui occurrunt Borna Dux Dalmatiæ & Baldricus Dux Forojulienſis. Sclaomiro dejecto, Regnum Abotritorum traditur Ceadrago. pag. 101.

V. Adverſus Liudevvitum Pannoniæ inferioris Ducem a Ludovico Pio tres exercitus diriguntur. Carniolenſes Baldrico Forojulienſium Duci ſe dedunt: item pars Carantanorum, qui ad Liudevvitum defecerant. pag. 102.

VI. Bornæ Dalmatiæ atque Liburniæ Duci defuncto, nepos ejus Ladaſclavus ſuccedit. Fortunatus Gradenſis Patriarcha, a Joanne Ja-

deræ

deræ præfecto Conſtantinopolim mittitur. Miſſi adverſus Liudevitum exercitus, devaſtata ejus regione, domum redeunt. Herioltus a filiis Godefridi in ſocietatem Regni Daniæ receptus. Sclaomirus ab exilio revocatus, & in patriam remiſſus, percepto Baptiſmatis ſacramento moritur. pag. 103.

VII. Liudevitus ad Sorabos, qui magnam Dalmatiæ partem obtinebant, fugiens, uno ex Ducibus eorum per dolum interfecto, civitatem ejus in ſuam redigit ditionem. Saxones depulſis Sclavis caſtellum quoddam Trans Albim ædificant. Ad Ludovicum Imp. accedunt Legati omnium Orientalium Sclavorum: hoc eſt, Abotritorum, Soraborum, Vvilſorum, Behemanorum, Marvanorum, Predecentorum, & Abarum in Pannonia reſidentium: nec non Herioltí, & filiorum Godefridi. p. 104.

VIII. Liubus Vvilſorum Rex commiſſo cum Abotritis prælio cadit. Meligaſtus filiorum ejus natu major a Vvilſis Rex conſtituitur: & mox ab eiſdem deponitur, ejuſque loco Ceadragus frater natu minor ſufficitur. Ambobus de Regno contendentibus, & ad Ludovici præſentiam venientibus, Ludovicus Regnum Ceadrago confirmat. Ceadragus Abotritorum Princeps ad Ludovicum accedens, muneribus donatur, & ad Regnum ſuum dimittitur. Liudevitus relictis Sorabis, in Dalmatiam ad Liudemullum Bornæ avunculum veniens, dolo ipſius interficitur. Ebo Rhemorum Archiepiſcopus multos ex Danis ad Chriſti fidem adducit. p. 105.

IX. Hunni in Pannonia ſub Liudevito a Francis deficiunt poſt annum 819. At Chrobati, qui ſub Heraclio Dalmatiam occupaverant, Porgæ patre, & Porga ipſo Principatum eorum obtinentibus, iidem circa annum 841. bello inter filios Ludovici Pii exorto, liberi ac ſui juris facti ſunt, Porino illis imperante. p. 106.

X. Dani ab Ebone Rhemenſi Archiepiſcopo anno 822. ad fidem Chriſti adducti. Danorum, Svecorum, Slavorumque Septentrionalium Apoſtoli S. Anſcharius, & Rembertus Epiſcopi, nec non Monachi Corbejenſes. Hamburgenſis Eccleſia, eique ſubjectæ Diœceſes. pag. 109.

XI. Urolphus Hunnos Abares, Moravoſque fide Chriſtiana imbuit, Laureacenſis Archiepiſcopus ab Eugenio II. Papa conſtituitur. Laureacenſis, Patavienſis, & Salisburgenſis Eccleſiarum ſtatus ab anno circiter 892. ad 992. pag. 113.

XII. Murtagon Rex Bulgarorum de finibus inter Bulgaros & Francos conſtituendis cum Ludovico Pio per Legatos agit. Abotriti, qui Predenecenti vocantur, & contermini Bulgaris, Daciam Danubio adjacentem incolunt, apud eundem Ludovicum per legatos queruntur, quod a Bulgaris injuſte infeſtarentur. pag. 125.

XIII. Murtagon Rex Bulgarorum moritur. Baldericus & Geriholtus Avarici, ſive Pannonici limitis cuſtodes. Ceadragus Abotritorum,

Digitized by Google

rum, & Tunglo Soraborum principes, defectionis accuſantur. Herioltus cum uxore, & magna Danorum multitudine baptizatur. Ceadragus & Tunglo abſoluti, dimittuntur. Herioltus a Danis pellitur. Bulgari Sclavos Pannoniæ ſibi ſubjicientes, Bulgaricos eis Rectores conſtituunt. p. 126.

XIV. Quum Bulgari fines Pannoniæ ſuperioris vaſtaſſent, Balderico Forojuliensium Duce honoribus privato, Marcha illa a Ludovico Pio anno 828. in quatuor Comites dividitur. Herioldo in Danorum fines invadente, Dani trajecto Albi, Francos adorti cuncta vaſtant: mox de pace cum Imp. tractant. pag. 127.

XV. Ludovicus juvenis contra Bulgaros mittitur. Ludovicus Pius Legationes plurimas audit, & dimittit. pag. 128.

XVI. Legati Saracenorum, Danorum, & Sclavorum ad Ludovicum Pium miſſi. ibid.

XVII. Ludovicus Bajoariæ Rex cum patre Ludovico Pio Augusto reconciliatur, poſtquam Bajoarii & Sclavi, quibus fidebat, ab ipſo receſſiſſent. pag. 129.

XVIII. S. Anſcharius fit primus Hamburgi Archiepiſcopus. Sedis Hamburgenſis amplitudo. pag. 130.

XIX. Ludovicus Pius, opera filiorum, & conjuratione quorumdam Epiſcoporum & Procerum, exauctoratur. pag. 133.

XX. Ludovici Pii Reſtitutio, opera Ludovici Boici & Pippini filiorum. ibid.

XXI. Ebonis Rhemenſis Epiſcopi, Nordalbingorum Apoſtoli, depoſitio. pag. 135.

XXII. Nordmanni in Friſiam irruunt. Horicus Rex Danorum per Legatos ſignificat Imperatori, vindictam de Piratis qui in fines Francorum irruperant, ſe ſumpſiſſe. Abotriti & Vvilzi ad fidem Imperatoris redeunt. p. 137.

XXIII. Annocor in Avaria Epiſcopus. Reginarius Epiſc. Pataviensis Moravos baptizat. Eidem Reginario diploma conceſſum a Ludovico Bajoariæ Rege. pag. 138.

XXIV. Nordmanni in Friſiam iterum invadunt. Dani in Valcram irrumpentes, Eghinhardum Comitem & Hemmingum ex ſtirpe Danorum Ducem interficiunt. pag. 139.

XXV. Ludovicus Bajoariæ Rex in ſuſpicionem venit intentatæ in patrem conſpirationis: a quo crimine juramento ſe purgat. Jubetur in Bajoaria ſe continere. Danos Piratas Horicus Rex aſſerit a ſe fuiſſe multatos: petit proinde, ut ſibi ſubdantur Abotriti & Friſiani. Spreta ab Imperatore illius petitio. ibid.

XXVI. Ludovicus Pius cogit Ludovicum filium per Sclavorum terram cum magno labore in Bajoariam redire. Theophilus Orientis Imp. per Legatos pacem cum Ludovico Pio firmat, eundem rogans, ut miſſos Chagani, qui ſe Rhos vocabant, per Imperium ſuum ſe-

curos

curos Byzantium remitteret. p.141.
XXVII. Diviſio Regni Franciæ a Ludovico Pio Inter filios facta. Ludovicus Pii filius cogitur intra Bajoariæ fines ſe continere. Repreſſæ Soraborum, Wilzorum, Abotritorum, & Linonum incurſiones. Cæſo Cimuſclo Soraborum Colodicorum Rege, pax cum eius ſucceſſore ſtatuitur. Horicus Danorum Rex fœdus cum Imperatore percutit. pag. 143.
XXVIII. Ludovicus Pius dum Ludovicum filium Bajoariæ Regem armis ad officium redigere ſtudet, morbo correptus, diem claudit extremum anno 840. Poſt obitum Patris Lotharius filius Ebonem Rhemenſi reſtituit Eccleſiæ. p. 144.
CAPUT V. Slavi, & Abares Hunni ſub Ludovici Pii filiis uſque ad annum 876. pag.145.
I. Saxones a Lothario Auguſto ad idololatriam redire permiſſi, poſtquam a Ludovico & Carolo fratribus devictus eſt. Ludovicus Bajoariæ Rex Auſtraſios, Thuringos, Alamannos, partemque Saxonum, ſuæ ſubdit ditioni. ibid.
II. Colloquium fratrum Lotharii, Ludovici, & Caroli de diviſione Regni Francorum inter ſe facienda. Ludovicus Saxones rebellantes & a Chriſtiana fide deficientes, multis occiſis, ad officium revocat. p.146.
III. Regnum Francicum inter fratres ſic diviſum, ut Ludovico Germania omnis Thransrhenana cum aliquot cis Rhenum urbibus obtigerit. pag. 147.
IV. Ludovicus Germaniæ Rex populos Reguloſque Sclavorum ſuæ ſubjugat ditioni, Goſſomvilum Regem Abotritorum interficit. Regum Sclavorum ſeries. pag. 148.
V. Oricus Danorum Rex a Saxonibus Ludovico ſubjectis victus, patem expetit. Ludovicus quatuordecim Duces Bohemorum cum hominibus ſuis ſuſcipit & baptizari jubet. Legatos fratrum ſuorum, nec non Northmannorum ſeu Danorum, Sclavorum, & Bulgarorum, audit & abſolvit. pag. 149.
VI. Moravi, Pannones, & Bohemi, defectionem molientes, a Ludovico Rege ſubiguntur. Moravis Rex poſt Moymari obitum Raſtices qui & Ratislaus imponitur. pag.150.
VII. Legatione ad Oricum Danorum Regem miſſa, Northmanni comprimuntur. Sclavi & Bohemi legatos pacis gratia mittere & obſides dare compelluntur. Gotheſcalchi Presbyteri hæreſis condemnatur. pag. 151.
VIII. Exercitus Ludovici Regis a Bohemis turpiter profligatur, quod Taculfo Sorabici limitis Duci mos geſtus non fuiſſet. pag.152.
IX. Orichus Regnum Danorum cum duobus nepotibus partitur. Normanni Regnum Lotharii infeſtant, Ducibus Rorico, & Godefrido, quos Carolus Calvus in ſocietatem Regni recipit. pag. 153.
X. Lu-

Digitized by Google

X. Ludovicus Sorabos & Slavos pene omnes ſubjugat. Graviſſima fames Germaniam opprimit; non hoc tamen ſed antecedenti anno Piratæ Danorum Galliam & Germaniam infeſtant. pag. 154.
XI. Godefridus Herioldi Dani filius, olim baptizatus, a Lothario deficiens, Friſiam infeſtat: ſed quibuſdam pactionibus conciliatur. Synodus Moguntina anno 852. habita. Bulgari & Sclavi a Ludovico vincuntur. pag. 155.
XII. Danis inteſtino prælio inter ſe decertantibus, Oricus Rex ejuſque nepos Guturmus interfecti ſunt: nec de ſtirpe Regia remanſit, niſi Oricus junior puer. Uterque Oricus S. Anſcarii fautor. p. 156.
XIII. Lothario Imperatore mortuo, filii ejus, Ludovicus Italiam cum Imperio accepit: Lotharius Lotharingiam; Carolus Provinciam. Ludovicus Germaniæ Rex adverſus Raſticem Moraviæ Regem bellum gerit. Roricus & Godefridus Dani, Doreſtadum cum magna Friſiæ parte occupant. pag. 158.
XIV. Ludovicus Rex Germaniæ in expeditione Sclavorum detentus, magnam ſui exercitus partem amittit. Per Sorabos idem Ludovicus iter faciens, Ducibus eorum ſibi conjunctis, Dalmatas victos, tributarios facit. Inde per Bohemanos tranſiens, nonnullos ex eorum Ducibus in deditionem accepit. pag. 159.
XV. Roricus conſentiente Orico Daniæ Rege, partem Regni accipit. Ludovicus per Comites ſuos civitatem Wiztrachi Ducis, ejecto inde Sclavitago filio, occupat, fratremque ejus Ducem creat. Sclavitagus ad Raſticem Moraviæ Regem confugit. Cziſtiborus Soraborum Dux Ludovico fidiſſimus cæditur. Ludovicus tres exercitus mittit: unum in Slavos Moravos contra Raſticem: alterum in Obotritos & Linones: tertium in Sorabos, qui, cæſo Cziſtiboro, defecerant. pag. 159.
XVI. Ruſſi, gens Scythica, a Ponto egreſſi, in urbem Byzantinam irruunt. Danorum graſſationes in Regnum Francorum. Pax ſancita inter Ludovicum, Carolum & Lotharium. pag. 160.
XVII. Ludovicus Rex Germaniæ bellum gerit adverſus Sclavorum gentes, ac præſertim adverſus Raſticem Moraviæ Regem. p. 162.
XVIII. Carolomannus, Ludovici Germaniæ Regis filius cum Raſtice Moravorum & Winidorum Rege fœderatur: Ducibus Pannonici & Carantani limitis expulſis, Marcham per ſuos ordinat. Ludovicus pater honoribus privat Comites, & Fuldenſem Abbatem, tamquam Carolomanno filio rebellanti adhærentes. pag. 162.
XIX. Carolomannus cum Ludovico Rege patre reconciliatur. Ludovicus Rex ducto in Obotritos exercitu, Ducem eorum Tabamvizilem, qui rebellaverat, dicto obedire compellit. Dani magnam Regni Ludovici partem prædantur. Ungri tunc primum viſi, Regnum ejuſdem populantur. pag. 163.
XX. Ludovicus per legatum a Carolo Rege fratre petit, ut Carolo-

mannum a Raſtice deſertum, & a ſe fugatum non recipiat. Idem Carolomannus, qui Carantanis præerat, proditione Gundachari Comitis, ab exercitu deſertus: per juramenta Principum ad patrem venit, & cum eo reconciliatur. Ludovicus Gundacharum Carantanis præficit. Dani Regnum Ludovici infeſtant, & conſilio Rorici ad propria redeunt. pag. 164.

XXI. Ludovicus Germaniæ Rex Raſticem Moraviæ Regem ſubjugat. Carolomanno filio ſuo Marchas ablatas reſtituit. Bulgarorum Regi, qui ſe Chriſtianum fieri velle promiſerat, hoſtiliter obviam pergit. S. Anſcharius anno 865. moritur. pag. 166.

XXII. Ludovicus, Ludovici Regis Germaniæ filius, contra patrem concitat Raſticem Moraviæ Regem, volens Marcham Carolomanno fratri traditam invadere. Carolomannus, cui ea Marcha conceſſa fuerat, Raſticem intra ſua ſe cohibere motis armis compellit. Ludovicus interventu Liutberti Epiſc. Moguntini, cum patre reconciliatur. pag. 168.

XXIII. Rex Bulgarorum anno 865. Chriſtianus fit: & anno 866. Legati ejus ad Nicolaum Papam Romam veniunt. Ludovicus Rex Germaniæ cum Rege Bulgarorum fœdere conjunctus. p. 168.

XXIV. Hermenricus Epiſc. Patavienſis cum Presbyteris & Clericis a Lud. Rege ad Bulgar. Reg. Bogoriſem ſeu Michaelem mittitur. p. 175.

XXV. Nicolaus Papa Præſulibus Galliarum præcipit, ut ſibi reſcribant de calumniis, quibus Græci Latinam Eccleſiam circa Proceſſionem Spiritus Sancti, jejunium Sabbati, cœlibatum Presbyterorum, & alias obſervationes criminabantur. pag. 175.

XXVI. Photius auctor calumniarum in Latinam Eccleſiam: tum quia a Romano Pontifice depoſitus fuerat; tum, ut Bulgaros a Latinis averteret. pag. 176.

XXVII. Res Bulgarorum diverſis annis geſtæ, ab Annaliſta Metenſi ad ann. 868. uno tenore narrantur. pag. 178.

XXVIII. Poſt ſolutam Raguſii obſidionem, Saracenis inde ejectis, Chrobati, & Serbli ſub Baſilio Macedone Orientis Imperatore ad obedientiam Græcanici Imperii redeunt, tum ii qui baptiſmum ejuraverant, tum qui nondum acceperant. Ex Conſtantino Porphyrogenito. pag. 179.

XXIX. Refelluntur qui id Chrobatorum & Serblorum factum tribuunt SS. Cyrillo & Methodio. pag. 182.

XXX. Animadverſiones ad narrationem Porphyrogeniti de Barii expugnatione, deque ſuppetiis a Baſilio Macedone Ludovico II. Auguſto miſſis. pag. 184.

XXXI. Querelæ Ludovici Auguſti contra Baſilium Macedonem circa Sclavos ſuos ſubditos a Niceta Oripha Patricio direptos, & circa Apocriſiarios Sedis Apoſtolicæ non cuſtoditos. pag. 187.

XXXII. Subdola Græcorum ars, qua Bulgariam a Sancta Romana Ec-

Digitized by Google

Eccleſia avulſam ſibi vindicarunt. pag. 188.
XXXIII. Quo pacto Apocriſiarii Sedis Apoſtolicæ poſt Synodum octavam redeuntes, in Piratas inciderint. p. 193.
XXXIV. Carolomannus, Ludovicus, & Carolus Ludovici Regis Germaniæ filii cum Slavis Bohemis, & Sorabis atque Siuslis, cum Raſtice Moraviæ Rege, & cum Zventibaldo ejuſdem Raſticis filio, tribus comparatis exercitibus congrediuntur, & victoriam reportant. Gundacharus qui ad Raſticem defecerat occiditur. pag. 197.
XXXV. Raſtices Moravorum ſeu Winidorum Rex, dolo nepotis Zventibaldi, capitur a Carolomanno, & ad Ludovicum patrem, Germaniæ Regem, mittitur: qui illum excæcari, & in Monaſterium detrudi præcepit. Contentio Ludovici & Caroli filiorum cum Patre Ludovico; quod is erga Carolomannum inclinatiori eſſet animo. pag. 199.
XXXVI. Bulgarorum Rex a Paulo Presbytero Romano ad Chriſti fidem, necnon a S. Methodio converſus, Epiſcopum, & Clericos a S. Romana Eccleſia poſtulat. Sed dolo Græcorum, ejectis Latinis Sacerdotibus, Bulgari Græcos recipiunt. pag. 200.
XXXVII. Hadriani II. Papæ querelæ de ſuis Legatis in Slavorum deprædationem incurrentibus, deque Latinis Epiſcopis, & Clericis a Bulgaria ejectis. An primus a Græcis ad Bulgaros miſſus Epiſcopus Theophylactus, an Gabriel? pag. 202.
XXXVIII. Zventibaldus, Raſticis nepos, Moraviæ Rex infidelitatis crimine accuſatus, in cuſtodia detinetur. Moravi Sclaomirum quendam Presbyterum ſibi Regem præficiunt, putantes Zventibaldum cæſum fuiſſe. Zventibaldus abſolutus atque dimiſſus, armis in Bajoarios motis Carolomannum compellit, omnes obſides qui in ſuo Regno erant, ſibi reſtituere. Bohemos una cum Moravis in Bajoariam irrumpentes, per Arnum Epiſcopum, Ruodoldum Comitem aliosque Ludovicus Rex comprimit. pag. 204.
XXXIX. Ludovicus Germaniæ Rex conciliata inter filios ſuos pace, Thuringos & Saxones contra Sclavos Moravos mittit, qui eos in fugam convertunt, eo quod nec Regem haberent neque inter ſe concordes eſſent. Alii de Francia ab eodem Ludovico contra Sclavos jam dictos, & alii contra Bohemos miſſi, proſternunt quinque eorum Duces, Syentislaum, Witislaum, Herimanum, Spoitimanum & Moyslavum. Zventibaldus Moravorum Rex miſſo exercitu de Bajoariis victoriam reportat. p. 206.
XL. Ludovicus Rex cum Zventibaldo Moraviæ Rege pacem facit. Legatos Bohemorum in carcerem detrudit: ſuppetias Carolomanno filio adverſus Winidos mittit. p. 208.
XLI. De Ludovico II. Auguſto, & Adelgiſo Beneventi Principe. pag. 209.

XLII. Tha-

XLII. Thaculfo Sorabici limitis Duce defuncto ſuccedit Ratolfus: qui Sorabos & Siuslos eorumque vicinos deficientes, ad priſtinum ſervitium redigit. Zventibaldus per Jo: Presbyterum de Venetiis Legatum a Ludovico Rege pacem obtinet. Bohemorum legati ab eodem Ludovico audiuntur. Normanni comprimuntur. p.212.

XLIII. Ludovico II. Auguſto defuncto Carolus Calvus ejus patruus a Jo. VIII. Papa die 25. Decembris Imperator coronatur, fruſtra obnitente Ludovico Germaniæ Rege. p.213.

XLIV. Ludovicus Rex Germaniæ moritur. Poſt reportatam de Carolo Calvo Imperatore victoriam, Tres filii ejuſdem Ludovici, Carolomannus ſcilicet, Ludovicus & Carolus, Regnum paternum inter ſe dividunt. Carolomanno obtingit Bajoaria, Pannonia, Carinthia, & Regna Sclavorum, Bohemorum, & Moravorum. Ejuſdem Carolomanni adverſus Winidos expeditio. p.214.

XLV. De cauſa Formoſi Portuenſis a Jo. VIII. Papa dejecti. p.216.

PARS SECUNDA

De Ruſſis, Bulgaris, & Moravis.

CAPUT I. Ruſſi ad Chriſti fidem ſub Baſilio Macedone Imperatore convertuntur, & a S. Ignatio Patriarcha Epiſcopum accipiunt. p.227.

I. Regni Francorum Orientalium poſt mortem Ludovici Regis inter tres ipſius filios diviſio. Carolomanno præter Bajoariam, Pannonia, Carinthia, Bohemia & Moravia obtigit. ibid.

II. Ruſſi ſub Baſilio Macedone a S. Ignatio Patriarcha CP. ad fidem converſi, Epiſcopum accipiunt. Ex Porphyrogenito. pag.228.

III. Quid de ea Ruſſorum converſione alii Hiſtorici Græci? p.229.

IV. Pagius id Ruſſorum factum ad annum 876. vel ſequentem confert. pag.230.

V. Pagii ſententia examinatur: ſimulque oſtenditur, Ruſſos ſub Michaele quidem Balbo Conſtantinopolim obſediſſe; at ſub Baſilio Macedone circa ann. 871. Epiſcopum accepiſſe. pag.231.

VI. Quonam anno ſcripta ſit Photii Epiſtola ad Patriarchales Sedes Orientis, in qua Photius meminit Ruſſorum converſionis? p.233.

VII. Oſtenditur, S. Nicolaum Papam in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ anno 867. data, non illam Photianam Epiſtolam, ſed aliam ſub nomine Imp. Michaelis & Baſilii evulgatam reſpexiſſe. p.234.

VIII. Quienus refellitur, qui exiſtimat, Ruſſos, de quibus eſt ſermo, non alios a Chazaris fuiſſe. pag.237.

IX. Demonſtratur Photianam ad Orientales Patriarchas Epiſtolam poſt annum 867. ſcriptam fuiſſe. pag.238.

X. Eminentiſſimi Baronii ſententia expenditur, exiſtimantis Photianam illam Epiſtolam ann. 863. exaratam tum, quum Photius Schiſmaticas Guntharii & Theutgaudi literas accepit. p.240.

XI. Montacutius Photii laudator, & Eminentiſſimi Baronii calumniator, confutatur. pag.243.

XII. Ex iis, quæ Photius de rebus ante annum 867. geſtis in ſua Epiſtola commemorat, non recte infertur, eam quoque ab ipſo Epiſtolam ante annum 867. evulgatam fuiſſe. pag. 247.
XIII. Photiani conciliabuli perſonæ confictæ: & Acta reprobata. ibid.
XIV. Demonſtratur, Photianam illam ad Orientales Patriarchas Epiſtolam poſt annum 869. conſcriptam, aut potius confictam. p. 253.
XV. Concluditur conficta a Photio fuiſſe quæcumque in illa Epiſtola narrat, præſertim de Armeniis, Bulgaris & Ruſſis ad Chriſti fidem converſis; deque Latinis contra Romanum Pontificem ad ſe confugientibus. pag. 254.
XVI. Fabuloſa recentioris cujuſdam Græculi narratio de Ruſſis ad fidem Chriſti converſis, Græcumque præ Latino Ritum eligentibus. pag. 258.
XVII. Anſelmi Bandurii in recitatam narratiunculam Animadverſiones. p. 263.
XVIII. Oſtenditur, ab auctore illius narratiunculæ confuſam eſſe primam Ruſſorum ſub Baſilio Macedone converſionem, cum altera, quæ ſub Wlodimiro poſtea contigit. pag. 264.
CAPUT II. Joannis VIII. Papæ pro recuperanda Bulgarica Diæceſi Studium. Bulgarorum origines & migrationes. Eorumdem res geſtæ, Regeſque ab anno Chr. 392. uſque ad Bogorim ſeu Michaelem, qui circa annum 865. Chriſtianam fidem amplexus eſt. pag. 266.
I. Joannes VIII. Papa per Epiſtolas ad S. Ignatium Patriarcham, & ad Clericos Bulgaricæ Diœceſeos operam impendit, ut Græcis ejectis, Latini Clerici in Bulgariam revocentur. Ibid.
II. Ejuſdem Joannis VIII. Papæ Epiſtolæ ad Baſilium Imp. & ad Michaelem Bulgarorum Regem, de eodem argumento: ubi & Georgii cujuſdam Epiſcopi meminit, qui Sergium ad Belogradenſem Epiſcopatum promoverat. pag. 268.
III. Aliæ ejuſdem Pontificis literæ ad Petrum Comitem, & ad alium quemdam Bulgarorum Principem. pag. 269.
IV. Elucidantur nomina Legatorum Regis Bulgariæ, qui in Synodo VIII. adfuere: ad quos exſtant Joannis Papæ literæ. Ibid.
V. Aliæ Joannis VIII. Pontificis ad Michaelem Bulgariæ Regem literæ. pag. 271.
VI. Photius, conficta Baſilii Imperatoris genealogia, in gratiam ejuſdem & in Palatium recipitur. pag. 274.
VII. Mortuo S. Ignatio Patriarcha, Sedem Conſtantinopolitanam iterum invadit, & a Joanne VIII. Papa admittitur, miſſis Conſtantinopolim literis, in quibus de Bulgaris ad diœceſim Romanæ Eccleſiæ revocandis agitur. pag. 277
VIII. Joannis VIII. Pontificis Literæ a Photio falſatæ: & conficta Pſeudoſynodus. pag. 280.
IX. Bul-

IX. Bulgarorum Origo. Bulgariæ ſitus. Prima eorum Sedes ad Orientem fluminis *Etel*, ſeu *Volga*, ſive *Rha* poſita. Secunda Sedes, regio Mæotidi Paludi contermina. Commiſtio fluvii *Etel* cum *Tanai* probatur; ex quorum nempe concurſu *Cuphis* amnis emergit. Tertia Bulgarorum Sedes, trajecto Danubio in Mœſia ac Thracia. pag. 282.
X. Bulgarorum excurſiones a Theodoſii Magni temporibus uſque ad Anaſtaſium: hoc eſt, ab anno Chr. 392. uſque ad annum 514. Buſa Bulgarorum Rex anno 489. pag. 286.
XI. Sub Juſtiniano, Heruli, Iberes, Hunni, Gepædes, Abares, Sclavi, & Bulgari, quorum Reges Vulger, & Drogo. Ab anno Chr. 538. ad ann. 558. pag. 289.
XII. Bulgarorum res geſtæ ab anno 568. ad ann. 599. pag. 296.
XIII. Cobratus ſeu Chrobatus Bulgarorum Rex ſub Heraclio circa annum 634. Quinque ejus filii. Batbajas Cobrati fil. circa ann. 678. pacem cum Conſtantino Pogonato facit: quam Juſtinianus Rhinotmetus ann. 678. ſolvit. pag. 298.
XIV. Terbelis poſt Batbajam ab anno 700. Bulgarorum Rex uſque ad ann. 727. Hujus ope Juſtinianus Imperium recipit, & in Cherſonitas & Boſporianos deſævit. pag. 300.
XV. Cæſo Juſtiniano, Philippicus Imperium invadit. Bulgari ad Byzantinam uſque urbem excurrunt. pag. 206.
XVI. Philippico dejecto excæcatoque, Anaſtaſius, deinde Theodoſius, ac demum Leo Iſaurus Imperio potiuntur. Hujus Leonis anno 3. Chriſti 718. Terbelis Bulgaror. Rex in auxilium Anaſtaſii & Nicetæ Xylonitæ advocatus, acceptis a Leone muneribus, proditiſque Anaſtaſio atque Niceta, domum redit. pag. 308.
XVII. Saraceni ab urbis Byzantinæ obſidione egreſſi, a Bulgaris cæduntur ſub Terbeli eorum Rege. pag. 311.
XVIII. Poſt *Terbelim*, Reges Bulgarorum, I. *Cormeſus*, alias *Comerſius*. II. *Teleſis*. III. *Sabinus*. IV. *Paganus*. V. *Thellerigus* alias *Tzerigus*. VI. *Cardamus*. VII. *Chrumnus*. Refellitur Orbinus, qui *Aſanerem* Bulgarum pro filio Chagani Chazariæ obtrudit. Ibid.
XIX. Conſtantinus Copronymus Syros & Armenios in Thraciam transfert: Sclaviniæ Provincias ad Macedoniam ſitas Imperio Romano ſubjicit, pluribus captivis abductis. Bulgaros ſub Cormeſio Rege ad Longum uſque murum excurrentes, comprimit, & datis acceptiſque mutuis cladibus, tandem Bulgaros ad pacem petendam compellit. pag. 313.
XX. Teleſis, qui poſt Comerſium Rex Bulgarorum creatus eſt, cum Sclavinorum auxiliis, vicina Romanorum loca hoſtiliter invadit. Conſtantinus Copronymus anno 763. commiſſo cum Bulgaris prælio, victoria potitur. Bulgari tumultuantes, Teleſim occidunt, Re-

Regemque Sabinum creant: quo propter novum tumultum ad Imperatorem fugiente, a Bulgaris Paganus Rex conſtituitur. pag. 315.
XXI. Conſtantini Copronymi res geſtæ adverſus Bulgaros ab anno 765 ad 775. ex Theophane & Nicephoro. Severus Sclavinorum Dux multorum malorum in Thracia auctor. Adverſus Ruſſorum Chelandia claſſem Conſtantinus inſtruit. Ante Paganum *Vmarus* & *Toctus* Bulgarorum Duces. Poſt Paganum Tellerigus ſeu Tzerigus. Copronymi interitus. pag. 317.
XXII. Tellerigus ſeu Tzerigus Bulgarorum Rex ad Leonem Chazarum Imp. profugiens, baptizatur anno 776. pag. 322.
XXIII. Sclavi Macedoniam, Græciam, & Peloponneſum circa ann. 750. invadunt. Anno 782. ſub Conſtantino & Irene AA. Romano ſubjiciuntur Imperio. Tributa iis impoſita ſub aliis Imperatoribus. Ibid.
XXIV. Cardamus Bulgarorum Rex ab anno 778. in Romanam ditionem invadere ſolitus, ſub Conſtantino & Irene de Romanis triumphat anno 788. 790. & ſeq. pag. 325.
XXV. Acamerus alias Dargamerus Sclavinorum Berzetiæ Princeps. Crumus, alias Crumnus & Crunnus, Bulgarorum Rex poſt Cardamum, cum Nicephoro Imp. bellum committens anno 806. 808. 809. & 811., inſignem victoriam reportat, cæſo ipſo Imperatore unacum innumerabili optimatum, & militum multitudine, cujus cædis memoria in Menæis Græcorum recolitur. p. 326.
XXVI. Crumi Bulgarorum Regis victoria de Michaele Rhangabe Imperatore reportata anno 812. & ſeqq. Michaeli Imperium abdicanti, ſuccedit Leo Armenius anno 813. pag. 331.
XXVII. Crumus capta Adrianopoli, captivos Macedonum aliarumque regionum innumeros in Bulgariam & trans Danubium deportari jubet ann. 813. pag. 339.
XXVIII. Crumus Rex Bulgariæ anno 814. extinguitur. p. 343.
XXIX. De Crumi Bulgarorum Regis interitu rebuſque geſtis. pag. 346.
XXX. Poſt Crumi interitum, Bulgarorum Rex *Murtagon*. Alii ejuſdem gentis Duces *Ducumus* & *Ditzengus* ſeu *Tzocus*. Manuel Epiſc. Adrianop. Georgius Debelti, aliique Martyres; de quibus Menæa Græcorum ad XXII. Januarii. pag. 353.
XXXI. Murtagon pacem facit cum Leone Imp. Ab eodem captivi Chriſtiani in libertatem aſſerti anno 817. & ſuppetiæ anno 822. Michaeli Balbo adverſus Thomam latæ. pag. 358.
XXXII. Dalmatæ ſub Michaele Balbo a Romano Imperio deficientes, ſui juris fiunt. p. 363.
XXXIII. Murtagoni Uladimirus Bulgariæ Rex ſuccedit. Qui in ſuperiorem Pannoniam anno 827. invaſit. Ludovicus Boicus anno 828. con-

contra ipſum a Ludovico Pio patre mittitur. Captivorum Macedonum, & in primis Baſilii, in patriam reditus. pag. 364.
XXXIV. Chazaria Romano Imperio ſubjecta, Chagano petente. Situs Zechiæ, Papagiæ, Chazachiæ, Alaniæ, & Abaſgiæ. p. 367.
XXXV. Bogoris Bulgarorum Rex poſt Uladimirum, pacem cum Theodora Auguſta firmat. Recepta ſorore, Theodorum Cupharam eidem Theodoræ reſtituit. Chriſti fidem amplectitur. p. 371.



A01 1471603

Digitized by Google



